SEBASTIANI CORRADI QVÆSTVRA,

In qua referuntur, & explicantur ea, quæ sequenti pagina continentur.

CVM INDICE.

Quid timeam rabidis surgentem dentibus hydram,



Si pro me Alcides protinus arma capit?

BONONIAE APVD ANselmum Giaccarellum. M. D. LV.

Totius rationis summa.

- *M.T.Ciceronis uita undique collecta, & defensa.*
- *Multa è Plutarcho, cæterisq́; Græcis conuersa.*
- *Multa comprobata.*
- *Multa confutata.*
- *Oratio Sallustij in Ciceronem confutata, & explicata.*
- *Oratio Ciceronis in Sallustium confutata, & explicata.*
- *M. T. Ciceronis opera numerata, & digesta.*
- *M. T. Ciceronis filij uita.*
- *Q. T. Ciceronis fratris uita.*
- *Q. T. Ciceronis filij uita.*
- *Q. T. Ciceronis fratris liber de petitione consulatus explicatus.*
- *Eorum, qui scribunt apud Ciceronem, uitæ demonstratæ.*

SEBASTIANI CORRADI QVÆSTVRA, VEL EGNATIVS

AD SENATVM, POPVLVMQVE BONONIENSEM.

EGNATII *præceptoris mei magnum fuit ingenium, magnum optimarum artium studium, & eloquentia tanta: ut eo tempore, quo Venetijs publice docens, florebat, omnes, qui literas in Italia profitebantur, in eo genere longe, multumq; superaret. Quo quidem tempore nos, qui iuuenes eramus, illum, cuius ætas iam senescebat, ut iam tum cessaret, imprudenter fortasse quidem, sed tamen amice monebamus, illud usurpantes: Solue senescentem mature sanus equum, ne peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat. Ille uero, qui uir prudentißimus esset, & optime, qui sit orbis in rebus humanis, nosset, ut in otium, solitudinemq; se conferre cupiebat, sic etiam sæpe tentauit, sed, quod cupiebat, à Senatu Veneto, qui iuuentutem talis, & tanti uiri consuetudine, fructuq; priuari nolebat, id nunquàm, nisi senex admodum, potuit impetrare. Quapropter ultimis annis, ut audimus, ita frigebat, ut, qui tunc eum sic iam deflorescentem cognouerunt, existimauerint illum uirum non satis eruditum fuisse. Qui in his proximis annis, ut nobis refertur, non defuerunt: qui uirum talem senem, si Dijs pla-*

cet, indoctum uocare non dubitarint. Quos quidem nos homines, qui, quo doctiores ipsi uideantur, alios indoctos appellant, quamuis ipsius scriptis, quæ iam multa leguntur, facile refutare possemus: quia tamen ille multo melius, ut Ser. Galba, *ut* Q. Hortensius, *ut alij, dixit, quàm scripsit; facilius eos testibus, qui sunt adhuc innumerabiles, confutari posse, si res poscat, arbitramur.* Nos *certe, quod omnes, qui tunc* Venetijs *erant, audire potuerunt, affirmare non dubitamus: illum, quum Pontificis olim legatus orationi, quam memoriter iam pene totam dixerat, interuenisset, illud idem, quod pronunciarat, diuersis uerbis à principio repetitum multo melius, elegantiusq; dixisse. Quare, quum descendisset, sic nos illi diximus: Tu uero posthac nihil unquàm scribito. Meminimus item* Romulum Amasæum, *qui tunc inter eloquentes principem locum tenebat, ita quum forte nobiscum quasi peregrinus, nec ab eo, qui pene cæcus erat, uisus ad audiendum uenisset, exclamare: Dij magni salicippium disertum.* Fortunius *uero* Spyra *uir optimus, & homo doctißimus* Egnatij *rerum cognitionem solebat optare: quem rerum thesaurum frequenter appellabat.* Habuit *enim uir ille, quod de* L. Lucullo *dicitur, diuinam quandam memoriam rerum: quas quidem res pene omnes ut legerat, uel audiuerat, sic ijs, qui scire uolebant, memoriter, iucundeq; narrabat.* Res *uero tam multas ille legerat, uel audiuerat, ut omnium maxime studiosus, atque etiam plane curiosus fuit, ut de omni re, quæcunque in disceptationem, quæstionemq; uocaretur, copiosißime, tanquàm* Gorgias, *posset, & soleret etiam sæpe disputare.* Nam *de iure ciuili caute, de totius orbis, & cœli regionibus, ac gentium moribus perite, de poetica diuinitus, de philosophia sapienter, atque de religione pie respondebat.* Quòd *si quis eum, ut de rebus ad historiam, uel ad* Rhetoricam *pertinentibus loqueretur, rogasset, id ille sic libenter, sic humaniter,*

ſic ornate, ſic copioſe faciebat, ut uere Lydus, quod aiunt, in campum uideretur eſſe prouocatus. Quare, præter ſtudioſos adoleſcentes, quorum maxima frequentia ſemper Egnatij ianua, & ueſtibulum frequentari ſolebant, multi nobilisſimi & optimi ſenatores, ut magnis de rebus deliberarent, ad eum penè quotidie ueniebant ita, ut eius domus oraculum totius ciuitatis uere poſſet appellari. Nos certe, quum Venetijs eſſemus, ut ea, quæ domi uel in porticu inambulans, uel in hemicyclo ſedens, Socrati co more diſputabat, audiremus, ſic ad eum ferè quotidie ueniebamus, ut, quoad poſſemus, et liceret, ab eius latere nunquàm penè diſcederemus. Quin in patriam nos, ut publice literas Græcas, & Latinas profiteremur S.C. reuocati, Venetias ſæpe reuertebamur, ut eum uirum, quem ſemper loco parentis coluimus, interdum ſaltem, quum, ut ante, quotidie non liceret, uideremus. Superioribus igitur annis ea cauſa Venetias profectus, illum, Ioannemque Pierium Valerianum, quum Conſules etiam tunc eſſent, et de Rep. cuius ærarium uidebant exhauſtum, loquerentur, conueni: qui me quum uidiſſent, benigneque, & comiter, ut ante ſolebant, excepiſſent, quum ſaluum ueniſſe gauiſi ſunt, tum diuinitus eſſe factum crediderunt, ut is, qui Quæſtor eſſet, eo potisſimum tempore, quo de Reip. rationibus ipſi commentabantur, adueniret. Itaque me rogare, uel potius urgere cœperunt, ut Quæſturæ rationem, quam prius inchoaſſem, aliquando tandem totam referrem. Ego uero, qui paratus eò ueneram, quamuis à principio cum uiris doctis, et facetis iocans, disſimulaſſem, rationem tamen, ut ipſi uolebant, totam quum retuli, tum uerbis etiam totidem, quot relata fuit, deſcribendam curaui: domumq; reuerſus inde ſermonem, quem nunc ad uos mitto, confeci. Nec ſum ueritus, ne quis diceret: haſce res indignas eſſe, quæ dialogo comprehendantur: quum rationes huiuſcemodi nemo ſolus unquàm ſoleat, aut etiam posſit referre: et

satis constet, nihil esse, de quo frequentius inter homines omnis generis, ætatum, ordinum non disputetur modo, sed etiam planè contendatur. Quòd si dialogus, ut Græci dicunt, uel de Philosophia, uel de Rep. ferè semper habetur, et de rebus hisce disputando quærit: hic noster quum de magnorum uirorum moribus, et uita, tum de numis, quibus Resp. seruari solet, habetur, & de rebus hisce disputando, uel potius exigendo quærit ita, ut uel ob id Quæstura dicatur. Personarum uero ratio sic habetur: ut, quamuis etiam sæpe iocentur, ut fieri solet, dignitatem tamen non minus iocando, quàm dicendo conseruent. Quin ita grauiter interdum dicunt, ut ego uerear, ne quis hoc ipsum non esse dialogi calumnietur: nisi, qui loquuntur, eos, ut non sint, Quæstores tamen, et Consules uocari: nec Consules modo, sed etiam Reges & Deos in dialogis loqui, recordetur. Iam, si quis, quód interdum contrà tenuiter, & summisse loquantur, accuset: ille primum sciat, eos, qui possint utrunque præstare, laudari: deinde, qui doceant, omnes ita loqui solere: postremo, qui tam multa conuertant, tam multa mutuentur, tam multa congerant, eos, quamuis conentur, non posse tamen unum dicendi genus semper, & ubique seruare. Sed uos, qui de rebus magnis soletis, de nostris etiam, qualescunque sint, poteritis, quum uoletis, uel legentes, uel audientes, iudicare.

EGNATIVS. *Tuo quidem more facis Corrade, nos quum uisis, & amas: sed uereor, ne tuo quoque more iam facias, ut nescioquid in te patiaris desiderari.* CORRADVS. *Ego uero facile patior, aliquid in me desiderari. atque utinam quidem aliquid, & unum, non etiam multa desiderentur.* EGN. *Nos, ut nunc est, unum tantum desideramus.* COR. *Quidnam tandem?* EGN. *Maiorem fidem.* COR. *In eone homine, quem Regienses Accensi iuuenes academici fidelem cagnomento uocent?* EGN. *Fieri potest, ut illi te fidelem sint experti: nos*

certe quum fidem tuam requirimus, tum uero interdum tibi sub irascimur: qui, quæ nobis olim non uoce modo, sed scriptis etiam pollicitus es, ea nondum præstitisti. COR. *Quæ?* EGN. *Te primo quoque tempore totam Quæsturæ tuæ rationem relaturum.* COR. *Iam me saluum saluo officio, et fide uenisse potestis gaudere.* EGN. *An huc uenisti, ut eam referres?* COR. *Quid eam referam, quam me relaturum nunquàm promisi?* EGN. *Quando sic præcise, & penè impudenter negas, tecum tabulis obsignatis agemus, & te tuis scriptis conuincemus. Hic tuam Quæsturam lege.* COR. *Operam dabo, ut reliquum quod sit, primo quoque tempore referam.* EGNA. *Quid hic polliceris?* CORRADVS. *Operam me daturum.* EGNA. *Quasi tu dicas, fidem te seruasse, modo rei cuipiam operam dederis. Vt, Pieri, qui soluendo non sunt, ad omnes captiones confugiunt?* COR. *Ego uero & soluendo sum, si quid debeo, nec ullas quæro captiones: sed tu mea uerba multo aliter, atque uel olim scripta sunt, uel nunc dicuntur, interpretaris.* EGN. *Quin igitur ea tu nunc explicas?* COR. *Pollicitus, inquam, sum, me, quum primum possem, curaturum, ut reliquum quod esset rationis, non totam rationem referrem.* EGN. *At tu ne id quidem curasti.* COR. *Atqui ne potui quidem. Nam quum ex amicorum literis cognouissem, fore, qui mihi uel accusatorem ponerent, uel accusarent ipsi, non putaui mihi faciendum, ut prius reliquum quod esset, referrem, quàm de parte relata fuisset iudicatum.* PIERIVS. *Quis ea de re sententiam ferre poterat, qua de Consules nondum statuissent?* COR. *Nemo uere: sed ego tamen, tanquàm* Apelles, *abseruabam, quid homines ea de parte iudicarent.* PIER. *Sutorne aliquis supra crepidam iudicauit?* COR. *Fortasse multi, ut sunt homines ad uituperandum, quàm ad laudandum, propensiores: sed ego de nemine audiui, nisi de* Ioanne Baptista Goineo *uicino*

tuo Pieri, iuuene erudito, & ad dicendum parato: qui nihil in Venere, ut par est credere, quum inuenisset, quod carperet, sandalij tamen crepitum reprehendit. Nam *quum de Quæstura ipsa ne uerbum quidem fecisset, calumniatus est, me nescioquid paulo iniquius de* Romulo Amasæo *scripsisse: quem uirum, ne sim, nisi ita colo, & obseruo, ut uni* Pompilio *filio, præterea nemini concedam, quod & ipse agnoscit, nec iam* Goineus *ignorat: qui postquàm uere cognouit, me alium esse, atque ipse sibi finxerat, nihil habuit antiquius, quàm ut meam sibi gratiam per communes amicos conciliaret.* Itaque *nunc mihi est, ut qui maxime, charus.* EGN. *Iam satis de accusatore, uel eo, qui uoluerit* Momum *imitari, audiuimus: Sed tu nullum nobis adhuc laudatorem nominasti.* PIER. *Nullum quidem ille laudatorem* Egnati *nominauit, sed nos, quod è uerbis ipsius penè sequitur, inferre possumus: nemo, præter unum, uituperauit, reliqui igitur omnes quodam modo uidentur laudasse.* COR. *Sequatur nec ne, uos ipsi uideritis: ego certe non mihi tantum tribuo, ut ita concludi uelim: illud quidem certe iure meo possum affirmare mihi laudatores tam multos fuisse, ut non solum decem more* Romano, *sed sexcentos etiam dare potuerim.* EGN. *Eos uellem, dedisses.* COR. *Dedissem profectò, si fuisset opus. sed quum iam nulli essent accusatores, cur ego laudatores darem?* EGN. *Da nunc aliquos saltem, ut nos aliorum iudicia, & testimonia habentes, facilius de re tua statuere posimus.* COR. Nec *uos, qui prudentißimi estis, quique optime de alijs iudicatis, aliorum iudicio egetis: nec nos de nobis loqui libenter solemus, ne nos ipsi, quod turpißimum est, laudare uideamur.* EGN. Imo *& nos, & omnes, qui de re aliqua recte uolunt decernere, aliorum sæpe iudicio egent: nec tu te, aliorum opiniones de rebus tuis referens, laudabis.* COR. *Lazarus igitur* Bonamicus *uir optimus, & homo doctißimus*

nos uel de Quæstura, quum uidisset nunquàm, dignos iudicauit, quos in Istriam primum, deinde in Sarmatiam ad docendum publice mitteret. EGN. *Ego sanèquidem recordor, Iustinopolitanos oratores ad me adijsse, ut ego te ad eam rem cohortarer: & Martinum Cromerum Sarmatam sæpe literas ad te Patauio dedisse, quibus te rogabat, ut Quæsturam ad Regem suum in Sarmatiam mitteres, et te ipse eodem postea conferres: quum ego tibi autor fui, ut tu Italus in Italia maneres.* COR. *Morem tibi geßi et quidem ita, ut neque Cromerus ipse, neque Regis legatus, modo non montes auri pollicentes, unquàm me de sententia mouere potuerint, et si Venetias uenerunt illi, et omnem, quod aiunt, mouerunt lapidem, ut me etiam mouerent.* EG. *Id ego recenti re audiui.* COR. *Non audisti, opinor, eodem tempore Magnum Gruberum uirum in literis nomine, te re magnum, & duos nobilissimos adolescentes Germanos Venetias uenisse, ut tuum Quæstorem uiderent: utque ab eo scriptum aliquod auferrent, quo apud suos testari possent, Quæsturam sibi ab autore donatam fuisse.* EGN. *Præclarum Quæsturæ probatæ testimonium, si uera dicis.* COR. *Aderant testes non pauci, quos, si uoletis, producam.* EGN. *Tibi iam credimus.* COR. Hoc *magis credetis.* PIER. *Qui libellus iste?* COR. *Quem* Ioannes Opporinus, *nisi fallor, ex eorum libris, qui aliquid in Ciceronis epistolas ad Atticum scripserant, confecit.* EGN. *Quid in eo de tua Quæstura scriptum?* COR. *Alia multa,, sed unum illud audiatis uelim.* EGN. Recita. COR. *Quòd autem tribus uiris nupserit* Tullia, *ui de Sebastianum Corradum in Quæstura sua doctißimis id quoque, ut alia omnia, argumentis probantem.* EGN. *Itane scriptum?* COR. Vide. EGN. *Non ille modo, quisquis est, Quæsturam probat tuam, sed pedem etiam in nostro choro ponit.* COR. *Recte facit, quando uos minus saltatis.* EGN.

Saltemus profectò, si tu restim ductes. COR. *Id ego uero iampridem fecissem, nisi, qui cantitarent, fuissent expectandi.* EGN. *At iam, ut uideo, multi sunt anni, quum cantarunt illi.* COR. *Cantarunt aliqui, sed multis opus erat, qui simul cantarent.* PIER. *Atqui iam multi simul etiam, nec obscure cantarunt: ut ille te Corrade cantus & multum delectare, & prorsus ad saltandum potuerit excitare.* COR. *Sic igitur excitauit, ut cupiam saltare: certe delectauit non aliter, atque Themistoclem uox eius, à quo uirtutem suam optime prædicari audiebat: sed non plus tamen oblectauit, quàm Marij Nizolij doctæ, & accurate scriptæ literæ: quàm Scipionis Blanchinij prædicatio: quàm M. Antonij Flaminij, Romuli Amasæi, Achillis Bochij, Fortunij Spyræ, Bernardi Feliciani, Martialis Rotæ, & Iouitæ Rapicij summorum hominum cohortationes: quàm Petri Bembi uiri clarißimi familiaris approbatio, et commendatio Quæsturæ: quàm denique iudicium Francisci Sabini tunc in literis uere Floridi: qui quum omnium penè, qui aliquid nostra, uel patrum memoria scripserunt, errores, quasi Timæum imitatus, collegisset, à Ruberto Saliceto Bononiæ interrogatus, an erroris aliquid in Quæstura nostra inuenisset, respondit, nihil, quod ualde reprehendi posset. Sed quid multa? Ciues mei Regienses ita Quæsturam probarunt meam, ut me uel absentem, et penè inuitum Aedilem curulem designarint.* EG. *Ita inuitum Pieri, ut ad illos excusationem pararit, nec fuerit magistratum initurus, nisi ego, ut se statim Regium conferret, impulissem.* PIE. *Quonam cõsilio Corrade patriæ tuæ honores repudiabas?* COR. *Eodem, quo sacerdotium mihi à Bartholamæo Croto Regiensi poeta graui, & nobili datum, & curationem Pontificiam ab eodem oblatam paulo ante repudiaram: ut uobiscum, & cum uestri similibus in hoc tranquillißimo portu uiuerem. Tu tamen Egnati non uerbis solum, sed exemplo etiam tuo mihi per*

suasisti, ut ciuium uoluntati obsequerer. EGN. *Nec te consi lij, ut audio, poenitet.* COR. *Haud sane quidem poenitet, quum tam gratos ciues sim expertus: qui nullum genus officij, & honoris non in me contulerunt: sed doleo, mihi nunquam tantum otij fuisse, ut hanc Quæsturæ rationem, quam uos tantopere petitis. possem conficere.* EGN. *Nunc tandem conficies. Vt enim tu dißimules, nos tamen ea causa huc te uenisse credimus.* COR. *Credatis licet, quod lubet, ego tamen, ut dicebam, huc ueni, uos ut in primis uiserem: sed, si uos ita uultis, & estis otiosi, non grauabor, quicquid mecum rationis huius attuli, tam nunc referre.* EGN. *Nos uero uolumus, ut audis, & sumus, ut quum maxime, feriati.* COR. *Sed uelim, rationes in prouincia relictas pro latis habeatis.* EGN. *Sumus uidelicet rerum omnium imperiti, & tibi acceptum referemus, quod tu nobis expensum non tuleris.* COR. *Feram.* EGN. *Re, an uerbo?* COR. *Vtroque.* EGN. *Incipe igitur numerare.* COR. *Incipiam, inquam, si uos rationes, quæ lege Iulia sint in prouincia relictæ, estis delaturi.* EGN. *Deferemus, & legem illam, quam ne tum quidem, quum lata est, à Bibulo seruatam scimus, nos tamen seruabimus: si tu, qui legis illius mentionem facis, eam prorsus seruasti.* COR. *Ego scio me rationes confectas ut lex illa iubebat, apud Regienses me os deposuisse.* EG. *Tantum abest, si uera dicis, ut eam seruaris, ut eam mihi, quod in te fuit, sustulisse uidearis, quum ea nihil minus iubeat, quàm ut quis apud quamlibet ciuitatem, et apud suos rationes publicas deponat.* COR. *Sciebam quidem eas apud duas ciuitates, quæ maximæ uideantur, nec apud suos, ne suspiciosum sit, deponi oportere: sed mihi nulla maior erat ciuitas, quàm Regium, & Regienses ea fide, et religione sunt præditi, ut in nullam uobis suspicionem uenire debeant.* EGN. *Tu recte facis, quum ciues tuos de te tam bene meritos laudas, &*

nos item credimus eos esse, quibuscum in tenebris, ut aiunt, micare poßimus: sed tu non nescis, quid sit personam publicam sustinere. N*on enim solum nobis utilitatis publicæ consulendum, sed, quid etiam poßint homines dicere, prouidendum: præsertim quum tot hodie sint* M*omi, quibus & si neminem satisfacere posse scimus, nobis tamen est opera saltem danda, quoadeius fieri potest, ne quid illi merito possint reprehendere. An non credis fore, qui nos uel amore uel cupiditate, uel temeritate prolapsos dicant, et accusent, si rationes ita relictas probemus? Quid quòd neque prædes, ut uideris, pecuniæ publicæ accepisti, neque literas tuæ ciuitatis attulisti?* COR. *Ego uero & illos accepi, & hasce ab amplißimis uiris nostræ ciuitatis obsignatas attuli, ne me rem tantam temere egisse censeatis.* EGN. *At illud dicent maledici: ratio quidem hercle apparet, sed argentum* οἴχεται. COR. *Poteras à principio dicere, rem sine numis omnibus agi non posse: & ego aliud egissem.* EGN. H*oc agas, necesse est.* COR. *Qui possum, quum uestræ manus ita sint oculatæ, ut ne credant quidem, quod uident?* EGN. N*ihil uident, nisi te uerba tantum dare, res, & uerba pollicitum.* COR. *Dem res quoque, nisi uos numos omneis petatis, quum paucos ego mecum nunc attulerim.* EGN. N*on est uerisimile, te domo profectum, huc ut uenires, ubi rationem tibi scires esse reddendam, & ubi multa esse non ignorares, quæ necesse est, emas, uelis, nolis, paucos tecum numos attulisse.* COR. D*abo, quotquot attuli: sed quid si postea rationum summa non quadrarit?* EGN. O*peram tu dabis, ut pares sint rationes.* COR. *Qui?* PIER. *Ego tibi dicam Corrade. In hac urbe sunt argentarij, sunt tabulæ, sunt foeneratores.* COR. *Quin tu recte mones. Quare uel mutuatione, uel permutatione, uel foenore, si quid fuerit reliqui, soluam, ut aliquando tandem hac molestia me liberem. Sed illud à nobis*

quæro, iubeatisne rationem totam referri, an, reliquum quod sit, solui. EGN. *Volumus utrunque.* COR. *Non putabam de relata parte mihi laborandum, quæ tot hominum doctißimorum testimonijs esset comprobata.* EG. *Quid uerbis opus? an non tu recordaris, inter nos ita conuenisse, ut nihil prius nos de parte, quæ relata esset, statueremus, quàm tu rationem totam simul retulisses?* COR. *Recordor sanè quidem.* EG. *Refer igitur.* COR. *Referte et uos, uel potius reddite, quam tum dedi, pecuniam, ut totam simul, et præsentem commodius soluam.* PIE. *Aequum petit Egnati.* EG. *Vereor, ne, quum Venetijs nunc sit, nauem potius, quàm equum petat, si nos illi pecuniam, quam numerauit olim, reddamus.* COR. *Quum te fraudaro semel, et profugero, tu nihil unquàm postea mihi quicquam credito.* EGN. *Cauebo potius, ne semel fraudes, & profugias. nam claudi fores iubebo. sed extra iocum, tu pecuniam accipe tuam, & rursus totam, & præsentem simul, ut dicis, numera.* COR. *Numerabo, si prius à uobis cauero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum.* EGN. *Nos uel te præsente, in tabulas publicas referemus.* COR. *Cautio non spernenda, sed uereor tamen, ut aduersus improbos sit firma satis.* EGN. *Ita firma, ut nemo poßit amplius à Quæstore quicquam petere. Quòd si quis improbus esse uelit, nec, quod scriptum sit, probare, potest ille Consulibus, qui retulerint in tabulas publicas, non Quæstori, quem tabulæ ipsæ publicæ soluisse testentur, negotium faceßere.* COR. *Placet cautio, sed uelim, uobis item lex illa, quam tulimus olim, nunc etiam placeat, ut numos omnis generis accipiatis: ne, quum Veneti sitis, uestro more Venetos numos semper quæratis.* EGN. *Placet, ut etiam pro Pierio respondeam.* PIER. *Placet quidem, sed uolumus Corrade, ut alium, atque olim secutus es, ordinem adhibeas.* COR. *Verbum Consulis agnosco: sed tamen*

id, quod mihi nunc imperas, egomet ipse mecum cogitabam. Scio enim tum, quum rus ad uos sine tabulis uenissem, ordinem seruare non potuisse, sed quicquid in solum uenit, ut dicitur, retulisse. N*unc illum sequar ordinem: ut, quamuis pecunias in tota prouincia exegerim, eas tamen tanquàm signatas in prima prouincia, & ciuitatibus, quæ sunt attributæ, referam.* N*am primum quicquid ad* C*iceronis ipsius uitam, et mores pertinet: deinde reliquorum, quorum scripta sunt in* C*iceronis libros congesta quum uitas, tum scripta ipsa, quàm diligentißime, & breuißime fieri poterit, explicabo.* EGN. P*arturient montes.* COR. N*ec tamen, opinor, mus ridiculus nascetur, sed homines, quos uel ipsa uetustas obruit, uel scriptorum negligentia modo non extinxit, renascentur.* EGNA. E*rit igitur aliquis, qui poßit illud usurpare: ipse ego (nam memini)* T*roiani tempore belli* P*anthoides* E*uphorbus eram.* COR. E*rit aliquis potius, cui nos dicemus: tu, qui fuisti* H*ippolytus, nunc idem* V*irbius esto.* EGN. A*t tu caueto, ne, si id feceris, tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris mortalem infernis ad limina surgere uitæ, ipse repertorem medicinæ talis, & artis fulmine correptum Stygias detrudat in undas.* COR. A*t nullum uidebit pæonijs reuocatum herbis, et amore* D*ianæ, sed scriptis omnes, quos diximus, ab inferis excitatos.* V*t uero* C*iceronem primum iam nunc ab inferis excitandum poßimus agnoscere, necesse est, ut nos illum deinceps, qualis ante* Q*uæsturam, ante* A*edilitatem, ante* P*ræturam, ante* C*onsulatum, ante mortem fuerit, depingamus.* EGN. D*epinge quod libet, dum nobis aliquando tandem numos incipias numerare.* COR. A*ccepi.* EGN. A*t hodie dabis, non accipies.* COR. N*ec ego me accepturum, sed accepisse dico, atque id ipsum more* Q*uæstorum, qui, quod in* V*errina tertia legimus, rationes ita referebant.* EGN. Q*uid igitur acce-*

pisti? COR. *Hunc numum.* EGN. *Quid dedisti?* COR. *Eundem nnmum, de quo Plutarchus, Dion, Appianus, & alij tam multa falsò retulerunt.* EGN. *Id posterius uidebimus, tu nunc perge, ut cœpisti, referre.* COR. *Scire prius uelim, placeatne uobis hic numus.* EGN. *Ipsa quidem forma, ut qui maxime, placet, sed, quanti sit, ignoramus.* COR. *Non mirum de uobis, qui uestris tantum numis utamini: uerum apud nos numis omnibus præfertur.* EGN. *Vbi signatus?* COR. *Arpini tribus literis.* EGN. *Quibus?* COR. M.T.C. EGN. *O gratos Arpinates, qui Marci Tullij Ciceronis non modo laudes olim prædicarunt, ut in oratione pro Plancio cognoscitur, sed adhuc etiam uel numis memoriam seruent. Quare uel hoc nomine dignus est numus, qui numis, ut tu dicis, omnibus præferatur,* COR. *Præferatur igitur.* PIER. *Iam prælatus est: tu uero perge.* COR. *Pergam, si prius illud dixero, idem propemodum summis poetis Homero, & Virgilio contigisse: nisi quòd illi numi sunt ænei, hic aureus, & uetus, si cum Virgilij numo conferatur. Numi uero huiuscemodi quo uetustiores sunt, eo magis hodie probari solent.* PIER. *Corradus Egnati, quantum ex hisce uerbis, quæ modo retulit, conijcio, uidetur nobis ueteres numos daturus.* COR. *Ita ueteres, uix ut signa, et imagines appareant.* EGN, *Si Romani sunt, naualis in ære altera signata est, altera forma biceps.* COR. *Romani sunt illi sanè quidem maiorem partem, et aurei ferè omnes.* EGN. *Non tam ueteres igitur esse possunt: si quidem constat aureos numos tempore belli Punici secundi signatos fuisse.* COR. *Tam ueteres certè, ut ne peritissimi quidem homines antiquitatis eos facile cognoscant.* EGN. *Si tu nos igitur consulas, tibi consilium demus, ut eos ne proferas. Nos enim non sumus tam stulti, ut numos accepturi simus, quos nemo cognoscat.* COR. *Nos faciemus, ut omnes cognos-*

eant. EGN. *Tu, uidelicet eos in splendorem, ut ait* Plautus, *ita dabis, ut signa patefacias.* COR. Non *dicemus, quid facturi simus, ne fortasse uideamur maiora polliceri, quàm quæ præstare possimus: sed speramus tamen fore, ut uos nullum numi genus libentius accipiatis.* EGN. *Scimus te diu, multumq; in ueterum rebus esse uersatum, neque id ipsum sine reprehensione.* COR. *Qui me tandem reprehendunt?* EGN. *Qui suum studium in* Philosophia, *uel in iure ciuili, uel in sacris literis collocarunt.* COR. *Quid reprehendunt?* EGN. *Christianum hominem tantum temporis hisce rebus perquirendis consumere.* COR. *Quasi uero parum, uel nihil omnino iuuet hominem Christianum, quum quæ iactant isti, quantum satis est, norit, historias quoque, quas maiores nostri prorsus ediscebant, nosse: aut iam conuicerint ipsi, Christianos esse magis, qui terrarum orbem captionibus, litibus, et erroribus replent, ac perturbant: quàm qui historias ita legunt, ut interea tamen uere philosophentur, leges seruent, et* Deum *colant.* EG. *Eáne tu facis?* COR. *faciam nec ne, tu unus omnium optime nosti. eos certe, qui faciunt, imitor, ut, qui me accusant, non iam* Næuium, Plautum, Ennium, *sed* Egnatium, Pierium, *&* Victorium *accusent.* EGN. *Vt malus culpæ socios quærit?* COR. *Imo laudis duces.* EGN. *Nisi forte interdum ut signa deseras.* COR. *Quando?* EGN. *Quando minima quæque persequeris, in quibus duces ipsi conniueant.* COR. *Nec elephantes murem, aut culicem capiunt: quanquàm uideo interdum ne duces quidem ipsos huius diligentiæ pudere: quod si tamen pudeat, alios ego duces, quos hac in parte sequar, habeo.* EGN. *Quos?* COR. Macrobium, Gellium, Plutarchum, Plinium, Tacitum, Suetonium, Asconium, Varronem, *&* hunc *denique ipsum, quem mihi imitandum proposui,* Ciceronem. EGN. *Ipse tamen ineptias uocauit.* COR. *Veritus fortasse, ne molestus*

lectus, ac planè ineptus Attico uideretur, à quo tam sæpe de rebus hisce quærebat, uerum nemo unquàm diligentius, & melius huiusce modi res est persecutus. EGN. Id ille faciebat, ut Reip. suæ prodesset, sed tu quam Remp. habes, cui prodesse uelis? COR. Eorum, qui literarum studia paulo rudiores colunt. EGN. Quid his utilitatis affers? COR. Id, ut legentes, intelligant. EGN. Nos igitur rudes Pieri, si, quum tam multa legerimus, ea nondum intelleximus. COR. Vos literarum studia non rudes, sed omnium doctißimi colitis, ut iam non modo scire, sed testari etiam poßitis, quod olim diximus, hæc neque uobis, neque cæteris doctißimis hominibus, sed rudioribus, aut Tarentinis, ut dixit Lucilius, scribi: et mihi satis esse, si quid utilitatis hisce uidear attulisse. EG. Vt scilicet intelligant, quæ fuerit Hecubæ mater, aut quid Sirenes solitæ fuerint cantare. COR. Ego ut hasce nugas curem? EGN. Quid igitur curas? COR. Vt alicuius uerbi uim, et autoris sententiam cognoscant. EGN. Habes exempla, quæ proferas? COR. Multa, sed uno nunc ero contentus. Hæc sunt Ciceronis uerba libro decimo tertio ad Atticum scripta. libri quidem exierunt. PIER. Quis hic dubitare potest, quin interpretandum sit, exierunt, editi sunt? COR. Qui sæpius infra legerit, & animaduerterit, eos libros ne Bruto quidem, cui scribebantur, tum datos fuisse. PIER. Quo tu igitur pacto uerbum illud interpretaris? COR. Exierunt, absoluti sunt, ut illud Horatij, urceus exit. PIER. Tu nobis hoc facile probas: sed proba item quod ad sententiam pertinet. COR. Differam potius, et, ne præpostere agam, referenda ratione tota suis locis probabo, et quidem ita, ut sperem fore, ne dicatis amplius, nos in ueterum rebus cum reprehensione uersatos esse, quum tam multa hac ratione à vobis in Ciceronis libris, & aliorum explicata cognoscetis. EGN. Cogitat hic homo

non Romanos solum, et ueteres, ut pollicitus est, sed externos etiam numos dare. COR. *Id uestra refert nihil, dum sint pro bi: quanquàm sunt ij quidem omnes ferè Ciceroniani, et ita Romani: fieri tamen potest, ut externi etiam multi sint admisti: qui si in manus uenerint, non credo uos propter legem latam reiectu ros.* EG. *Bene credis, nisi fuerint reijciendi.* COR. *Spectabi tis.* EG. *fac tandem spectemus.* COR. *Vita.* EG. *Libenter hunc numum Corrade spectamus: atque utinam quidem nobis ipsum liceat quàm diutissime spectare.* COR. *Animaduertas idem ferè omnes, qui semel hunc numum uident, optare.* EG. *Nec mirum uideri debet. Est enim dignus, quem semper omnes spectent.* COR. *Ea est, opinor, causa, cur, quamuis sit admodum uetus, ipse tamen magis, quàm cæteri, spectatus, et tritus hominum manibus esse uideatur.* EG. *Non uidetur admodum uetus, quum signa sic appareant.* COR. *In Arpinati uilla non procul à Fibreno, & Liri fluminibus est signatus anno ab V. C. sexcentesimo quadragesimo octauo C. Atilio Serrano, Q. Seruilio Cæpione Consulibus.* EGN. *Quis autor?* COR. *Multi, et in his ipse Cicero, qui libro secundo de legibus ita scribit. Hanc uides uillam, ut nunc quidem est, lautius ædificatam patris nostri studio: qui quum esset infirma ualetudine, hic ferè ætatem egit in literis. sed hoc ipso in loco, quum auus uiueret, & antiquo more parua esset uilla, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Deinceps et alia dicit, quibus omnino docet, in ea uilla se natum fuisse. In Bruto uero de Consulibus ita loquitur. His Consulibus Seruiliam legem suasit Crassus, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Cæpione Consule natus, et C. Lælio. Quæ quidem uerba quum superioribus annis interpretaremur, facile, quod apparebit in commentario, quem breui nos edituri sumus, ostendimus, ea Ciceronem dixisse, ut et quibus Consulibus esset natus ostenderet, et admoneret, pene fatum fuisse,*

ut L. Crassus, sub cuius persona Cicero sæpe latet, & Cicero ipse Consule nominis eiusdem, hoc est, Q. Seruilio Cæpione, tam diuerso tempore nascerentur. Idem Blondus in duodecima Italiæ regione de uilla, & Gellius libro decimo quinto capite uigesimo octauo de Consulibus affirmant. EGN. Post Ciceronem tu nobis Atticos testes dedisti: quasi uero Gellio, et Blondo plus, quàm Ciceroni sit credendum. COR. Id eo feci, ne quis Ciceronem ipsum testem domesticum nimis esse calumnietur: quanquàm satis constat, omnes, qui uitas uel oratorum, uel poetarum scripserunt, ex ipsorum scriptis omnia penè collegisse: ut iam nemo mirari debeat, si nos quoq; de Ciceronis uita dicturi, ex ipsius scriptis eam potissimum colligemus: quum præsertim Cornelij Nepotis, Tironis, Fenestellæ, Asconij, et aliorum scripta, quibus illi Ciceronis res mandarant, desiderentur. EGN. At ea, quæ Plutarchus, & Leonardus Arretinus de Cicerone scripserunt, non desiderantur. COR. Non desiderantur quidem, sed uereor, ne multis in rebus cæcus cæco dux fuerit. EGN. Hic Pieri oculos cornicum confixit: qui, quod Plutarchus, & Leonardus Arretinus uiri tales non uiderunt, ipse tot post annis uideat: quum, quod ante pedes habet, uix uidere possit. COR. Quid rides Pieri? PIER. Te lippum, uel luscum, certe parum uidentem ab eo significari, qui nunquàm domo sine conspicilijs, ut uocat Plautus, quasi Politiani Lamia egreditur. COR. Dici tamen solet, loripedem rectus derideat: sed ille, quicquid in me dicit, id suo iure, et nunc in suo regno dicit: Verum, si quis ex eo separatim quærat, ecquid Corradus uideat, pro eo amore, quo discipulos omneis suos prosequitur, eum uel lynceum esse dicat. EGN. Dicam, si uerum sit. COR. Hac in re dicas licet: quando uerum est, ea nos, in quibus quasi tenebris Plutarchus, et Leonardus Arretinus offenderunt, uidisse. EGN: Dicam, quum ego quoque uidero.

COR. Oportebit in Aesculapij prius incubare. EGN. Est hic mihi discipulus, qui me uel in eo semper est imitatus. COR. Dignus est profectò, qui quanto lux est cæteris rebus charior, tanto magis laudetur, quàm qui latos Platonis humeros, uel qui linguam Aristotelis paulum balbutientem sunt imitati. Sed, quoniam de loco, et anno diximus, dies etiam uidetur addendus, qui fuit III. Non. Ianuar. ut ipse Cicero libro septimo, & decimo tertio ad Atticum scripsit. EGN. Idem scripsit in uita Plutarchus. COR. Dubitant tamen eruditi, quum græce sic ille dicat: ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν. Nam multi uertunt, III. Cal. Ian. arbitrati, Plutarchum græce simul, & latine locutum fuisse: multi, III. Non. Ian. ipsum Ciceronem fortasse imitati, qui suum natalem III. Non. Ian. celebrat: sed si quis forte roget, cur Plutarchus ita sit locutus, nemo facile dicat. Nam uiros etiam doctos audiui, qui, die tertia post nouas Calendas, interpretarentur; quòd Attici sæpe præpositiones omittant. Verum si uertamus hoc modo, latine dicere poterimus: Prid. Non. Ian. qui dies est tertius post Cal. Ian. quas Plutarchus nouas uocat, quòd ab his nouus annus, et nouus mensis incipiat. et ita Plutarchus de die natali uideatur à Cicerone dissentire, præsertim quum dicat, postea morem fuisse, ut Romani pro salute principis eo die uota nuncuparent: quod certe Prid. Non. Ian. fiebat, ut uiri docti putant, quum uideant ita Caium Iurisconsultum libro quinquagesimo digestorum scripsisse: post Calendas Ianuarias die tertio pro salute principis uota suscipiuntur. EG. Quum Plutarchus, & Caius uiri tales consentiant, eum diem post Calendas Ianuarias tertium, hoc est, ut ais, Prid. Non. Ian. fuisse: uide, ne numerus apud Gellium, & Ciceronem sit mutandus, et II. idest, Prid. Non. Ian. legendum. COR. Videndum potius, ne sit locutio uetus, qualis illa, ante diem III. Non. Ian. idest, III. Non. Ian: ut sit, post Calendas Ian.

die tertio, hoc est tertio die cum Calendis ipsis. sic enim multi uerba Pauli Iurisconsulti libro quinquagesimo digestorum sunt interpretati: ante diem decimum Calendarum, post diem decimum Calendarum, utroq; sermone undecima dies significatur. EGN. *Hic sacer ancipiti mirandus imagine Ianus bina repente oculis obtulit ora meis: siquidem ante quod est in re, postq; uidetur idem.* COR. *Ne sit mirum, quum Gellius intra Calendas, et in Calendis idem esse putet. quamuis ego saepe dubitarim, ne, quum ueteres intra Calendas dicebant, Calendas significarent, quas Macrobius quintanas, & septimanas appellat: quum dicamus, intra dies, non intra diem, ut necesse esset dicere, si Calendas hic pro die primo mensis acciperemus.* EGN. *Quid igitur tu putas?* COR. *Veteres dies omnes, qui sunt ad Nonas, Calendas appellasse, quod Pontifex uerbum καλῶ quinquies, uel septies, ut Nonarum ratio postulabat, usurparet. Nam, quod Macrobius ait, hunc diem, qui ex his diebus, qui calarentur, primus esset, placuit Calendas uocari: sic interpretor, ut putem, eum potißimum Calendas uocari, quamuis etiam caeteri, qui sunt ad Nonas, Calendae uocentur.* EG. *Macrobius quidem ita loquitur, ut nescias, Calendásne, an Nonas quintanas, aut septimanas appellet; sed Varro, & Censorinus aperte Nonas quintanas & septimanas uocant. Quare nescio, quid in mentem tibi ueniat, ut audeas à uiris huiuscemodi dissentire.* COR. *Tantum abest, ut ab illis dissentiam, ut ego maxime, quod illi scribunt, affirmem: illud tamen dico, simile uero uideri, Calendas toties, quoties uerbum καλῶ diceretur, appellatas fuisse: quod ego ne dixissem quidem, nisi libro quadragesimo quinto digestorum apud Vlpianum ita scriptum uidissem: si quis ita interrogatus, intra Calendas quintas dabis? responderit, dabo Idib. non obligatur. Apparet enim Iurisconsultum de eodem mense loqui, quum respondeat ille, dabo Idib. quod*

pene sit necesse dicere, Idibus eius mensis, de cuius quintis Calendis interrogasti. Aliter enim nemo intelligat, quas Idus significet. Sunt tamen, qui credant, quinque menses, uel quinq; dies primos, hoc est Calendas quinq; mensium significari, quod mihi uel in primis absurdum uideri solet. Nam quis interrogatus, an intra quinq; menses siue Calendas quinq; mensium sit daturus, respondeat, se proximis Idib. daturum? Relinquitur, opinor, ut de Calendis interrogatus, de Idib. eiusdem mensis respondeat, & quae Calendas, de quibus est interrogatus, sequantur. Idus uero quintas Calendas in eodem mense nullo modo sequi possunt, nisi, Calendae quo modo diximus ante collocentur. Quod si uerum credimus, credamus etiam, Plutarchum, quum dixit, tertia die Calendarum Ian. pro III. Non. Ian. recte locutum fuisse: praesertim quum M. Cato uinum ante Cal. Ian. primas accipiendum, & Liuius frumentum ex agris in urbes ante Cal. Iul. primas conuehendum dicant: et uinum in triduo daretur, nec frumentum in agris in annum sequentem seruari soleat ita, ut necesse fuerit addere primas Cal. ne secundas significaret, ut multi arbitrantur. EGN. Hoc ipsum mihi facile probas, & si cupio pluribus à te uerbis explicari. CORR. Eos imitabor scilicet interpretes, qui superioribus annis, ne parum multa scire uiderentur, quaecunq; de re aliqua scripta recordabantur, & si parum, uel nihil potius ad id, quod interpretabantur, pertinebant, ea tamen unum in locum congerebant. EGN. Quasi uero res ea parum studiosis prodesset. COR. Proderat fortasse tunc, et nunc, ut quum maxime prodest illis, qui quasi ex commentario, ut loquitur Seneca, semper uolunt sapere: sed illis, quos iuuaret haurire, & petere è uiuis libandas fontibus undas, tantum abest, ut prosit, ut maxime etiam obesse credatur. Nam praeterquam quod aquam saepe turbidam bibunt, fit etiam interdum, ut illa contenti, tanquam

poculo Circeo, retardentur, quo minus fontes, unde fluat aqua liquidior, inuestigent. EGN. Non negabis, opinor, eos, qui tam multa, ut ais, congerebant, multo melius studiosorum commodis consuluisse, quàm qui tam pauca, tam breuia, tam concisa, ut ne intelligi quidem poßint, contulerunt. COR. Quid ego negem, qui neutrum probo, neq; quod in utrisq; sit uitiosum ut extremum, sequendum puto? EG. At uos, qui nunc τὰ σχόλια datis, ea scribitis, quæ propter breuitatem, Delio natatore prorsus indigeant. COR. Sumus uidelicet ita σκοτεινοί, ut quæ scribimus, neq; Egnatius neq; Pierius duo Socrates intelligant. EGN. Nos mitte, quibus ea scribi negas, & à rudioribus finge, atq; à Tarentinis, quibus scribuntur, ea legi: an ex his quenquàm fore putas, qui tuas coniecturas interpretari posſit? COR. Quando me unum petis, ego unus nunc iſtam petitionem uitare conabor, et respondebo, primum me tum, quum σχόλια illa describenda curaui, neq; temporis, neq; loci, propter librariorum festinationem, & libri formam, ac exiguitatem, tantum habuiſſe, ea ut poſſem latius explicare: deinde eo consilio scripſiſſe ut neq; ab indoctißimis, neq; à doctißimis, sed à mediocriter eruditis, quos ego rudiores, & Tarentinos uoco, legerentur: quod si fieret, ſperabam fore, ut multo plures meam parſimoniam, quàm aliorum luxuriem, laudarent. Nec ea me ſpes fefellit: ſiquidem ipſa τὰ σχόλια doctis etiam hominibus ita uideo placuiſſe, ut iam ſæpius in Germania, Gallia, & Italia ſint à librarijs deſcripta. EGN. In his tamen omnes autorum, quos ipſe fueris ſecutus, nomina deſiderant. COR. At in his, quæ iampridem in Ciceronis epiſtolas ad Atticum, & in Valerij Maximi libros edidimus: quæq; prope diem ſumus edituri, non deſiderabunt. EGN. Quæ pollicearis, expectabimus: nunc, quando ſatis de loco, anno, & die dixiſti, recte feceris, ſi reuerteris eò, ut, ſi modo ſcis, dicas, quis

hunc numum signauit. COR. *Fullo.* EGN. *Haud equidem miror amplius, maculam nullam habere. sed quonam modo, fullo quum esset, numos signabat?* COR. *Eo modo, quo uites, et oliuas semper serendas conducebat.* EGN. *Qui uites, & oliuas etiam alienas semper sereret, non uideo, qui fullo dici debuerit.* COR. *Dion tamen hoc dixit, nec, quod ipse dicis, animaduertit, non posse fullonem esse, qui semper arbores serat, nisi forte poßit etiam flare simul, et sorbere. sed Dion studio de nostris hominibus, & potißimum de Cicerone detrahendi sæpe mentitur. Itaq; fit interdum, ut & secum pugnet, et ab alijs dissentiat; ut hic à Plutarcho dissentit, quum refert, eum, quem Plutarchus* ἐν κναφείῳ *tantum natum, & altum ex aliorum opinione scribit, uere fullonem, & agricolam fuisse: quasi uero fullones sint omnes, qui* ἐν κναφείῳ, *et agricolæ, qui ruri nascuntur: quanquàm Dion in Caleno M. Antonium uidetur exprimere uoluisse, qui et ipse quum diceret contra Ciceronem, secum in tota oratione pugnauit, & ea dixit, quæ Cicero nullo negotio confutauit: ut nos ea, quæ Dion de Cicerone secus scripsit, sed hoc in primis, quo de agitur, hodie confutabimus. Pater igitur Ciceronis, quum esset infirma ualetudine, in Arpinati ferè ætatem egit in literis, ut ipse Cicero libro secundo de legibus affirmat. Qui uero sunt infirmi, uiderit Dion, quàm bene fullones, uel agricolæ poßint esse: nos certe scimus eos, qui domi suæ in literis agunt ætatem, non alienas arbores serere, sed uere suos agros irrigare. Nec dubitari poteſt, quin Ciceronis pater eruditus fuerit; quum uir optimus, & prudentißimus à filio libro secundo de oratore dicatur, & is describatur, qui de L. Craßi oratoris studio, & doctrina posset iudicare. Fuit enim L. Craßi, et C. Cæsaris oratorum familiaris: hinc C. Cæsar libro secundo de oratore loquitur ita: Vt illud, Marcus Cicero senex huius uiri optimi nostri familiaris pa-*

ter, nostros homines similes esse Syrorum uenalium, ut quisq; optime græce sciret, ita esse nequißimum. PIER. *Vide Conrade, ne tua te coniectura decipiat; dum, qui filius esse dicatur, cum tu patrem esse credis.* COR. *Credo igitur, quod optimi quiq; Christiani credunt, & nos in primis, qui de nostra religione semper optime sensistis.* PIE. *Nos recte credimus, tu an recte credas, ostende.* COR. *Quando iubes, ex uerbis, quæ modo recitauimus, ostendemus: M. Cicero, inquit, senex: & Ciceronis nostri pater L. Marcio Philippo, Sex. Iulio Cæsare Consulibus, quibus sermo de oratore fingitur habitus, senex esse non poterat, qui postea uiginti septem minimum annos, hoc est usq; ad L. Cæsarem, C. Figulum Consules, quibus Cicero filius Consulatum petijt, uixerit, ut Asconius, & ipse Cicero testantur. Nec se uirum optimum Cicero noster in suis scriptis appellasset. Fac tamen & eius patrem senem fuisse, & ipsum laudis cupidum, se uirum certe appellare non poterat, quum uix dum eo tempore sextum decimum annum ageret ita, ut ne familiaris quidem C. Cæsaris tunc appellari posset. Quis igitur, dicet aliquis, fuit hic senex? M. Tullius Cicero, qui duos habuit filios M. et L. Tullios Cicerones, quorum Marcus Ciceronis nostri pater L. Craßi, & M. Catonis patris, familiaris fuit: Lucius uero Ciceronis patruus, M. Antonij fuit amicus, ut in exordio libri secundi de oratore demonstratur: & Marcus quidem maior fuit natu, & ob id de more patris prænomen referebat: Lucius uero minor, qui Lucium Ciceronem filium reliquit: quem Cicero fratrem suum patruelem libro quinto de finibus, & in Verrinis appellat, & libro primo ad Atticum mortuum deplorat. Ex Marco M. & Q. Tullij Cicerones nati sunt: quorum Quintus infra describetur: Marcus uero patris habuit prænomen, quia maior fuit natu, ut ex libro primo, & undecimo ad Atticum cognosces: Nunc à te Pieri quæro, meáne me-*

coniectura deceperit. PIER. *Deceperit autem? tantum ab est, ut nunc mihi tandem recte credere uidearis. Quin ea de re multo plura, quàm sperabamus, dixisti. Itaq; tu contrà facis, atq; solent alij debitores, qui uix cogi possunt, ut soluant, uel, quæ nunquàm soluerunt, sæpe soluisse uolunt uideri, atq; in eo conceptis etiam uerbis peierant: tu uero numos, quos nondum petamus, soluis, neq; nos commonefacis, eos ut tibi acceptos referamus.* COR. *Vt ego uos officij uestri commonefaciam?* PIER. *Nos quidem quid nostri sit officij, ne tu de eo labores, scimus: sed tibi nos cautum esse cupimus, ne, dum tu nimis celeriter numeras, neq; nos admones, numus aliquis pereat, qui non sit in tabulas relatus.* COR. *Ego tamen soluero.* PIER. *Solueris tu quidem, sed non uideberis soluisse, quod nos accepisse, non perscripserimus.* COR. *Quid illis postea fit numis, qui non sint perscripti?* PIER. *Pereunt, uel his aliquis, qui non esse scriptos animaduertat, pro suis abutitur.* COR. *Verum dicis: nam scio me sexcentos alias numos soluisse, quos uideo, & ut uerum fatear, doleo nunc alijs acceptos referri. Quod si memor non sim, litis comitem esse miseriam, & satius esse pauculos numos amittere, quàm litigiosum uideri, agam lege Plagiaria, nec uerear, quin, quod meum sit, præclare uindicem. Sed fuerit hoc quasi periculum in Care. posthac ero cautior, nec soluam, nisi quod perscriptum iri uidebo.* PIER. *Recte feceris: sed ego scire uelim, cur tam multa de patre, & nihil de matre dicas.* COR. *Vt hic quoq; contrà faciam, atq; alij, qui multa de matre, & nihil, aut certe parum de patre dicunt, ut ne illud quidem, quòd in exordio libri secundi de oratore scribitur, legisse uideantur: eius in erudiendis filijs summum studium fuisse: unde Cicero in orationibus contra Rullum uere dicere potuerit, se fuisse suorum disciplinis institutum.* EGN. *Aliquid tamen etiam de matre diceres, ne Cicero, qua*

si Bacchus, de femore patris natus esse uideatur. COR. *Ea fuit* Heluia*, ut uocat* Eusebius. EG. Et Eutropius. COR. Id *nunquàm scripsit* Eutropius*, sed nescioquis in eius librum ex scriptis* Eusebij *transtulit; ut ex libris* Orosij *prodigium de uirgine icta fulmine, quod ille refert eodem tempore, quo* Cicero *natus est, factum fuisse, et maiores nostri* Ciceronis *eloquentiam significasse crediderunt, quum* Paulus Orosius, *&* Iulius Obsequens *octo minimum annis ante* M. Acilio, C. Porcio *Consulibus id contigisse testentur, et satis constet, responsum fuisse, infamiam, ut uerbis* Obsequentis *utar, uirginibus, et equestri ordini portendi.* Itaq; *decepti sunt illi, ut is item, qui scripsit,* Heluiam *matrem* Ciceronis *ex* Heluijs Galliæ *Populis ortam fuisse.* EGN. *At is* Eusebium *laudat autorem.* COR. *Suum fortasse. nam meus quidem* Eusebius *hac ipsa de re, quantum uidere potui, uerbum nullum facit.* Quin *si uerum id fuisset, aliquis inimicus* Ciceroni*, ut ipse* Pisoni*, cognationem maternam transalpini sanguinis obiecisset.* EG. *Tu uero ciuitatem putas eam fuisse?* COR. *Ciuem* Romanam*, siue* Romæ*, siue* Arpini *sit nata. nam gens* Heluia *certe* Romæ *fuit, ut apud* Liuium*, & in antiquitatibus urbis uidere licet: ex qua credimus* Heluiam Ciceronis *matrem fuisse, siue nata sit ex* Heluijs*, qui* Romæ *tunc essent, siue ex his, quorum maiores olim* Arpinum *coloni deducti fuissent.* Arpinatibus *certe* L. Genutio, Ser. Cornelio *Coss. ciuitas est data: &* L. Valerio Messala, C. Liuio Salinatore *Coss. lex lata est, ut* Arpinates *in tribu* Cornelia *suffragium ferrent: ut* Liuius *est autor.* PIER. *Potuit igitur scribi,* M. Tullius M. F. Cornelia Cicero. COR. *Potuit meo quidem iudicio, quanquàm nos olim putauimus tribum* Ciceronis Aemiliam *fuisse: quòd ipse libro secundo ad* Atticum *nescioquid ea de re significare uideretur: nunc ille cum patre, cæterisq;* Arpinatibus *in* Cornelia *censeatur: sed ad matrem*

reuertor, quam Plutarchus ὀλβίαν uocat, quod diues fuerit, & honeste uixerit, ut mirari soleam, cur Cicero nunquàm nominarit, nisi forte in libris, qui desiderantur, nominauit. Quintus certe Cicero uidetur eam libro decimo sexto familiarium ut bonam matrem familiàs commendare. EGN. *At genus ipsius Ciceronis ne tu quidem commendas.* COR. *Quòd genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi, uix ea nostra putem.* EGN. *Mos est tamen ijs, qui de uita, & moribus alicuius magni uiri uel scribunt, uel loquuntur, ut aliquid etiam de genere dicant.* COR. *Mihi quidem, inquit ipse in orationibus contra Rullum, apud uos Quirites de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quòd non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisq; institutos uidetis: sed quòd laude populari, atq; honoris uestri luce caruerint.* EG. *Eusebius tamen, & Silius scribunt, nec Plutarchus negat, eum à Tullio Volscorum Rege, quem Tullium Appium Plutarchus appellat, quum Tullium Accium, uel Tullium Atium alij uocent, originem duxisse.* COR. *Id si uerum fuisset, ut fuit gloriæ cupidus, nunquàm nec in epistolis ad Atticum suam* παλλιγγινεσίαν *appellasset, nec quum responderet aduersarijs, hoc ipsum tacuisset: nisi forte tacuit, ut uideretur, tanquàm Iphicrates, suis quasi præluxisse, & sibi sua uirtute, non maiorum gloria, nobilitatem comparasse: uel ne Romanos, quibus regium nomen inuisum esse sciebat, offenderet. Torquatus certe, & Clodius uel ob id illum Regem uideri possunt appellasse. Quin ipse libro secundo de legibus, se, & Quintum fratrem Arpini stirpe antiquißima ortos esse testatur.* EGN. *Et quidem loco equestri.* COR. *Id omnes sciunt, quum sæpius in orationibus, & epistolis id affirmet. Tullios porrò, ut ait Sex. Pompeius, alij dixere esse silanos, alij riuos, alij uehementes proiectiones sanguinis artuatim fluentis: à quibus Tullij dicti possunt uideri. alij tamen*

Tullios ominis causa dictos putant, quasi tollendos: ex quibus qui fuerunt Arpini *potissimum* Cicerones *sunt appellati, quòd autor illorum nescio quid in naso, quod ciceris formam referret, habuisse dicatur, ut* Plutarchus *scribit, quanquàm* Plinius *ita dictos putat, quòd genus hoc leguminis optime sererent. Quod quidem cognomen in alijs etiam gentibus uidetur fuisse, quando* Liuius *libro tertio* C. Claudium Ciceronem *uocat.* Cicero *certe noster id ita libenter est secutus, ut, quum multi essent autores, ut mutaret, dixerit, se* Ciceronem *nobiliorem* Catonibus, Catulis, *&* Scauris *effecturum, ut* Plutarchus *in uita, & dictis affirmat, ubi scribit etiam, illum, quum* Siciliæ *Quæstor* Dijs *argenteum uas dedicasset, post duas prænominis, & nominis notas* M. T. *cicer, quod ipsum cognomen referret, insculpi iußisse.* EGN. *Iam mihi, quod modo dixisti, probas,* Ciceronem, *ut nobilis ipse sua uirtute uideretur, sui generis nobilitatem non curasse: quando ne cognomen quidem prorsus obscurum, & ignobile uoluit, quùm posset multorum exemplo, & more, mutare.* COR. *Volebat Spartam, quam nactus erat, ornare: ut uere non cognomen modo suum, sed latinum nomen etiam, atq; adeo patriam quùm loci, tum iuris ornauit, ut ipse libro secundo de legibus appellat. Id mihi uidetur diuinitus significatum, quum mater* Ciceronem *pariens, ne partus quidem dolores sensisse dicatur: ne dicam, q.* Plutarchus *etiam scribit eius nutricem uisam esse audire uocem, se magnum* Romanis *emolumentum nutrire: quod uerum fuisse paulo post ostendemus: nunc illud quod in exordio libri secundi de oratore scriptum est, dicimus,* Ciceonem *& ea didicisse, quæ* L. Crasso *placerent, & ab his doctoribus, quibus ille uteretur, eruditum. Didicit igitur omnia, quæ libro primo & tertio de oratore* L. Crasso *placuisse dicuntur: & ab* A. Licinio Archia, *quem* L. Crassus *colebat, à pueritia fuit eruditus.* EGN. *Istud ex oratione pro* Archia

mutuatus es: quamuis isthæc ipsa, quæ tu dicis, undique colligas, & interdum ita confundas, ut non appareat, unde sint collecta. COR. Libet apes imitari, quæ huc, & illuc uolantes, flores carpunt, & fingendis fauis, conficiendoq; melle ita permiscent, nemo ut eos deinde agnoscat: uel potius medicos, qui medicinam ægrotis ex tam multis, tamq; uarijs radicibus, & herbis faciunt, uix ut ipsi postea nomina recordari, uel etiam nosse poßint. EGN. Fortasse ne norunt quidem. COR. Norunt illi quidem, modo sint artis suæ periti. EGN. Quasi tu fore dicas, ut ij quoq;, qui Ciceronis libros paulo accuratius peruolutarint, tua furta cognoscant. COR. Ea tu furta ne dixeris, quæ domino inuito non teneantur. EGN. Vnde tu id scire potes, quum tot iam sint anni, quum ille uitam profudit? COR. Ex testamento, in quo quidem nos omnes, qui literarum studijs dediti sumus, hæredes ille scripsit. EGN. Nos ut hæredes ille scripserit, quos, quamuis uir plane diuinus esset, futuros tamen tanto ante diuinare non potuerit? COR. An non ille nos hæredes fecit, quando nobis potißimum, qui sequimur hæc studia, tam multa, quæ scripserat, quasi testamento reliquit? EGN. Sed uereor, ne ista hæreditas sit commissa. CORR. Commissa est illa quidem, sed nobis omnibus, ut dicebam. EG. Cur igitur eam tu nunc usurpas? COR. Ne surculum quidem defringo. EGN. Eam tamen depascis. COR. Depasco sane quidem, nisi fuerit ager conseptus, ac diligenter consitus. EGN. Vel id quo iure facis? COR. Eo, quo licet omnibus cohæredibus agrum, qui sit compascuus, depascere, præsertim quum sit ita ferax, ut quantum longis carpant armenta diebus, exigua tantum gelidus ros nocte reponat. EG. Quando iure licet, depasce. COR. Depascam profecto, nec interea tamen agrum Plutarchi in relictis possessionibus habebo, ubi sit illud satum: à primis annis Ciceronem tantum in literis

profeciſſe, ut eius æqualium parentes ad eum uidendum, moti fa ma, conuenirent, quamuis nonnulli eſſent ita ruſtici, ut moleſte ferrent, à filijs eum medium honoris cauſa deduci: qui quum fe rè ſexdecim annos eſſet natus, L. Philippo, Sex. Cæſare Conſu libus in forum uenit, oratores, qui tunc dicebant, auditurus, ut annos ferè duos audiuit. Nam poſtea, quum decimum octauum annum ageret, in exercitu Cn. Pompeij Strabonis Conſulis tyro fuit; ut Philippica duodecima refert: quo tempore uidit, quod libro primo de Diuinatione ſcribit, quum Sylla legatus in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara ſubito anguem emergere. EGN. *Illuc properat Pieri, ut dicat, Poetam, quod de lubrico angue canit, inde ſumpſiſſe.* COR. *Diuinaſti: ſed Cicero quum Syllæ miles, ut putat Plutarchus, certe tyro in exercitu Cn. Pompeij Conſulis eſſet, ut oſtendimus, imminentesq; ſeditiones iam tum prouideret, ad literarum ſtu dia ſeſe retulit: & eodem quidem anno iuris ciuilis ſtudio mul tum operæ Q. Scæuolæ P. F. dedit: anno uero ſequenti L. Cor nelio Sylla, Q. Pompeio Rufo Conſulibus P. Sulpicij in Tribu natu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cogno uit: eodemq; tempore quum princeps Academiæ Philo cum A thenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamq; ueniſſet, totum ei ſe tradidit, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus.* EGN. *Nemo iure me nunc accuſet, ſi quàm poßim maxima uoce latrem, quum furem uide am.* COR. *Sed eum furem, quem ne tu quidem, qui furem uo cas, furti poßis accuſare.* EGN. *Ego uero, ſi in ius eatur, ac cuſem, & facile conuincam.* COR. *Qui tu furtum id eſſe conuincas, quod neq; inuito domino, ut diximus, aliquis teneat, & is, qui habeat, ultro, & libenter omnibus oſtentet, & ſi ro getur, unde habeat, profiteatur? niſi tu furtum illud etiam uo cas: Ego à patre ita eram deductus ad Scæuolam ſumpta uirili*

toga, ut quoad possem, & liceret, à senis latere nunquàm disce
derem: quo mortuo, me ad Pontificem Scæuolam contuli: uel
illud: à primo tempore ætatis iuri studere te memini, quum ipse
etiam ad Scæuolam uentitarem, neque unquàm mihi uisus es ita
te ad dicendum dedisse, ut ius ciuile contemneres. EGN. *Al*
terum ex Lælio, alterum ex libro primo de legibus accepisti:
per me tamen ne sit furtum, quàmuis in furto, quod turpissi=
mum est, deprehendaris. COR. *Vtinam semper ita possim fu*
rari, nec cogar, unde minus uelim, hæc ipsa mutuari. EG.
Nihil id refert tua, qui nihil horum, quæ uel furaris, uel mutuo
accipis, restituas. COR. *Cur ego restituam uel Ciceroni,*
uel alijs, qui quasi de suo lumine lumen accendant, faciunt, ut
nihilominus ipsis luceat, quum mihi accenderint? EG. *Ac=*
ceptum saltem referres. COR. *Ego uero ferè semper id fa=*
cio, & quidem sæpe totidem uerbis, quot accepi, sed non est sem
per causa, cur ego nomina faciam, præsertim quum ex ipsis per
scriptionibus cognoscatur, quæ nomina sint exigenda. EGN.
At perscriptiones ipsæ, nisi nomina scribantur omnia, falsæ uide
ri possunt. PIER. *Quid ego te Corrade nunc ita* μετέωρον
uideo? COR. *Magna cogitatione, quum hæc audio, impe=*
dior, atque haud equidem scio, an illi mihi post hac sint imitan
di: qui & ea, quæ nesciunt, nescire, & ea, quæ ex aliis didice
runt, didicisse dissimulant, & pro suis referunt. PIER. *Tu*
uero, qui semper ingenuus fuisti, neutrum feceris: quum sit
animi ingenui tam quæ nescias, quàm per quem profeceris, fa
teri. COR. *Hisce de rebus faciam, ut mones: sed illud ma=*
gis uereor, ne si quid aliter, atque alii, dixero, aliquem forte
offendam. Quare te rogo, ut, quando consilium dare cœpisti,
me uelis, quid in ea re sit faciendum, commonere. PIER. *Dif*
ficile est in ea re consilium dare. nam si te moneamus, ut in eo
taceas, quod dicendum, & explicandum susceperis, & tu ta=

ceas,

ceas, tam te homines accusent, quàm nos te nunc accusemus, si quam pecuniam debes, & iam numerare cœpisti, eam uelis auertere. sin te ut omnino dicas, hortemur, & tu, quod ab alijs antea sit dictum, pronuncies, atque illis etiam acceptum referas, clament omnes te furatum esse, & nihil noui prorsus attulisse. Quòd si tibi autores simus, ut, quamuis aliter multi senserint, & iudicarint, tu tamen tuam sententiam feras, illorumq; iudicia quasi rescindas, ueremur, ne te doceamus crabrones irritare. Quam ob rem, si me audies, neque tu tacebis, & ea tamen dices, quæ neminem offendant, sed omnes, qui modo aliquid utilitatis communis causa scripserunt, commendent. COR. Tu quidem currentem, quod aiunt, hortaris: sed ego tamen, quum ad alicuius nomen ueni, quasi Cæcina, toto corpore contremisco, ne quid, quod à me dicatur, suspiciosum uideri poßit. PIER. Tu nihil præstare, nisi culpam debes, à qua te semper fuisse remotum & nos scimus, & tua scripta, in quibus neminem, nisi honorifice nominas, testantur. COR. Quin omnes, qui me audiunt, testes mihi sunt, quàm soleam frequenter, me nihil scire, profiteri, & quum sedulo, tum libenter doctos homines commendare, & quidem omnes, sed eos tamen præsertim, qui scriptis suis aliquid utilitatis studiosis hominibus attulerunt. PIER. Et postea uereris, ne quis ægre ferat, si tu uerbo dissentias, præsertim quum satis constet, quot sint homines, tot esse sententias? COR. Posthac igitur horum nihil uerebor, & nunc audebo dicere, Plutarchum, ubi scripsit, Mucium Ciceronis in iure ciuili præceptorem fuisse, personas ita confudisse, ut uix intelligi poßit, utrum Mucium significarit, quum Cicero utrunque Mucium, Q. Mucium Scæuolam Augurem, & Q. Mucium Scæuolam Pontificem, ut supra retulimus, audiuerit: quod in Bruto pluribus ostendimus: ubi scribit ipse Cicero, se

iuris ciuilis tantum, quantum satis esset oratori, scire uoluisse, ut sciuit ita, ut postea uere dicere potuerit: si mihi homini uehementer occupato stomachum moueritis, triduo me iurisconsultum esse profitebor. PIER. *Quid est Corrade, cur aliorum, ut modo Plutarchi, sententias tantum, & Ciceronis etiam uerba referas?* COR. *Ne sermo noster chimæra uideatur, si uel Græca Latinis, uel Latina quidem, sed minus tamen elegantia Ciceronianis uerbis inculcentur.* EG. *Quid quum tua misces?* COR. *Mea uerba si misceam, iungantur gryphes equis.* EGN. *Quo tu nunc igitur modo loqueris?* COR. *Quo pene modo loquuntur, qui pietatem Christianam docent. Verbis enim Diui Pauli, quem semper in manibus habent, frequenter utuntur.* EGN. *Sane uero, ut tu quoque uerbis tui Ciceronis, quem semper in manibus habes, uti dicaris.* COR. *Vestrum esto iudicium, an quicquam proficiam. Ego certe uel ob id quum singula Ciceronis uerba, tum uerborum comprehensiones integras memoriæ soleo mandare.* PIER. *Inde fit, ut sæpe rebus hisce referendis uerba Ciceronis usurpes.* COR. *Ego uero & libenter usurpo, sed interdum tamen soleo, si res ita postulet, aliquod uerbum uel addere uel demere, uel etiam mutare ut si dicam: Ciceronem Cn. Octauio, & L. Cinna Consulibus, quum annorum uiginti esset, operam Molonii Rhodio & actori summo causarum, & magistro Romæ dedisse: deinde triennio, quo fere fuit quidem urbs sine armis, sed oratores multi uel interfecti sunt, uel discesserunt, uel fugerunt, eo tempore omni noctes, & dies in omnium doctrinarum meditatione uersatum fuisse.* PIER. *In hisce uerbis, quæ sunt in Bruto, non aliquod modo, sed plura etiam uerba tu addidisti, dempsisti, & mutasti.* COR. *At in his, quæ nunc ut à Cicerone dicta referam, quædam tantum demam. Eram cum Stoico Diodoto: qui quum habitauisset a-*

pud me, mecumq; uixisset, nuper est domi meæ mortuus: à quo quum in alijs rebus, tum studiosissime in Dialectica exercebar. Huic ego doctori, & eius artibus uarijs, atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus esset: commentabar declamitans sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multum etiam latine, sed græce sæpius: uel quòd Græca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter latine dicendi afferebat: uel quòd à Græcis summis doctoribus, nisi græce dicerem, neque corrigi possem, neque doceri. EGN. *Iam nescio, quid sit centones, si hoc non est, farcire.* COR. *Et si docet Ausonius aliud esse, siue tamen centones farcire, siue uestem suere tibi uidemur, nos certe nunc illud agimus, ut Plutarchi telam, quasi Penolopes, hoc loco retexamus, uel potius ostendamus eum, & alios, qui uoluerunt hanc telam texere, hac in parte multum subtegminis omisisse: ut Ciceronem in Dialectica exercitatum, & uarijs, atque multis artibus deditum fuisse: nec latine solum, sed etiam græce uel ante, quàm in Græciam proficisceretur, declamasse, atque ad ipsum cum alijs quidem, sed cum M. Pisone tamen potissimum fecisse: unde nata sit suspicio, Ciceronem eloquentiam pudicitiæ iactura, ut infra dicemus, perdidicisse. Verum quum Cicero iam tres, & uiginti annos complesset; tumultus pro recuperanda Rep. L. Scipione, C. Norbano Coss. fuit: quumque iam Cn. Carbone, C. Mario Consulibus interfectis, Sylla Dictatore leges, & iudicia constituta fuissent, & Resp. recuperata; Cicero quintum & uigesimum annum agens ad causas & priuatas, & publicas adire cœpit, quamuis eodem tempore Moloni, qui legatus ad senatum de Rhodiorum præmijs uenerat, iterum operam dederit. Tunc igitur priuatas aliquot causas, sed M. Tullio, Cn. Cornelio Consulibus annos*

sex & uiginti natus primam publicam pro Sex. Roscio *dixit: quæ quidem tantum commendationis habuit, ut non ulla esset causa, quæ non eius patrocinio digna uideretur: deinceps inde multæ dictæ, & in his oratio pro* P. Quintio *ita, ut in ordine oratio pro Sex.* Roscio *sit præponenda.* EGN. *Ipse dixit* Pieri. *Itaque nihil est, cur amplius* Eusebium, *uel* Gellium, *uel alios, qui de rebus hisce multo aliter scripserunt, legamus.* COR. *Imo uero est aliquid, cur eos etiam libenter legatis, sed non libentius tamen, aut accuratius, quàm* Fenestellam, *&* Quintilianum: *quos ipsi nos, & temporum seriem secuti, facile, quod diximus, in* Bruto Ciceronis *explicando probauimus.* EGN. *Eos potiùs es secutus, qui solent libros, qui nusquàm sint, nominare, ne parum multa legisse uideantur.* COR. *Dum sciamus id, quod probare cupimus, eos olim scripsisse, haud sanè magni putamus referre, utrum dicamus id eos olim scripsisse, an nunc in aliorum libris inueniri: ut nunc in* Gellij *libris inuenitur, quod hac de re* Fenestella *scripsit,* Ciceronem *sexto uigesimo ætatis anno pro* Sex. Roscio *dixisse, hoc est, ut supra diximus,* M Tullio, Cn. Cornelio Coss. *quod fatum mihi quoddam uidetur fuisse, ut* M. Tullius *eo anno primam causam publicam dixerit, quo* M. Tullius *personam non modo publicam, sed totius etiam ciuitatis sustinebat. Si uero* Cicero, *post orationem pro Sex.* Roscio, *deinceps pro multis, & pro* P. Quintio *dixit, falsum uidetur, quod* Plutarchus, *& alij scribunt, eum, quod* Syllam, *quem in Sex.* Roscij *causa offendisset, timeret, statim* Roma *profectum: nec uerum, quod idem* Plutarchus *addit, illum, ut timoris suspicionem uitaret, diuulgasse, se ualetudinis curandæ causa in* Græciam *proficisci: quum de timore nihil in* Bruto *dicat ipse, & proficiscendi causam hoc modo describat:* Erat *eo tempore in nobis summa gracilitas, & infirmitas corpo-*

ris, procerum, & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abesse putatur à uitæ periculo, si accedit labor, & laterum magna contentio: eoq; magis hoc eos, quibus eram charus, commouebat, quòd omnia sine remißione, sine uarietate, ui summa uocis, & totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me & amici, & medici hortarentur, ut causas agere desisterem, quoduis potius periculum mihi adeundum, quàm à sperata dicendi gloria discedendum putaui. sed quum censerem remißione, & moderatione uocis, & commutato genere dicendi, me & periculum uitare posse, & temperatius dicere, ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque quum essem biennium uersatus in causis, & iam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. PIER. *Hæc Plutarchus uel aliter, ut ais, scribit, uel negligenter, ut apparet, omittit.* COR. *Minime mirum tibi debet uideri, hominem Græcum, qui Latinas literas serò dedicerit, in historia sæpe mentiri, & in describendis rebus priuatis, quas fortasse minus intelligebat, errare: mirari uero potes, Leonardum Arretinum Latinum hominem, & Latinæ linguæ peritum, hæc quum describere potuisset, hominis Græci negligentiam sequi maluisse.* EGN. *Non sequeretur eum, quem uertebat?* COR. *Verteret igitur, non scriberet. sed hac in re scriptor potius, quàm fidus interpres iure debet appellari. Quum uero scriberet, debuit ille paulo diligentius ea, quæ sunt in Bruto de uita Ciceronis scripta, ponderare.* EGNAT. *Tu nunc ea ponderabis.* COR. *Malletis, opinor, argentum me, quàm uerba ponderare: ueruntamen illud primum ponderamus, incredibili quodam dicendi studio Ciceronem flagrasse, qui quoduis potius periculum sibi adeundum, quàm à sperata dicendi gloria discedendum putauit: deinde P. Seruilio, Ap. Claudio Con-*

sulibus illum, quum iam uigesimum octauum annum ageret, Roma *profectum fuisse.* EGN. *Alterum tibi, Ciceronem gloriæ cupidum fuisse, concedent omnes, sed alterum, quod ad tempus pertinet, nos facile, nisi melius probas, arbitramur posse confutari.* COR. *Quis poterit confutare, quod ipse Cicero dicat, se post recuperatam* Remp. *in causis biennium uersatum fuisse? Quòd si* Resp. *paulo ante* M. *Tullium,* Cn. *Cornelium Consules est recuperata, ut in historiis apparet, & Cicero Consulibus illis pro Sex. Roscio dixit, & in causis biennium uersatus est, is certe uix ante* P. *Seruilium, &* Ap. *Claudium Consules* Roma *potuit proficisci. porrò Consulibus illis annum Cicero uigesimum octauum, qui ponitur inter periculosos, agebat. quæ res illum fortasse magis etiam mouit, ut profisceretur. Quum uero, inquit ipse, uenissem Athenas, sex menses cum Antiocho ueteris Academiæ nobilissimo, & prudentissimo Philosopho fui, studiumq́; philosophiæ nunquàm intermissum, à primaq; adolescentia cultum, & semper auctum, hoc rursus summo autore, & doctore renouaui.* Eodem *tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum ueterem, & non ignobilem dicendi magistrum studiose exerceri solebam.* EGN. *Habésne hic aliquid, quod ponderes?* COR. *Multa, sed illud in primis, quod ait, sex menses se cum Antiocho fuisse.* EGNAT. *Quid hic ponderas?* COR. *Dionem more suo mentiri, quum scribit, cum treis annos Athenis fuisse.* EGN. *Id tu negas, quod Eusebius etiam uidetur affirmare?* COR. *Ego uero negem, etiam si Pythagoras affirmet, quum dicat ipse, tantum sex menses se cum Antiocho fuisse.* EGN. *Quasi uero non potuerit treis annos Athenis esse, & tamen Antiochum sex tantum menses audire.* COR. *Tunc ille treis annos Athenis esse non potuit, qui se dicat in Bruto biennio post, quàm* Roma *profectus*

est, domum rediisse, quum tamen interea totam Asiam peragrasset. sic enim loquitur: post à me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia illis temporibus disertißimus: & si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Aßiduißime autem mecum fuit Dionysius Magnes: erat etiam Aeschylus Gnidius, Adramytenus Xenocles. hi tum in Asia Rethorum principes numerabantur, quibus non contentus, Rhodum ueni, meque ad eundem, quem Romæ audiueram, Molonem applicaui quum actorem in ueris caußis, scriptoremq́; præstantem, tum in notandis, animaduertendisq́; uitiis, & instituendo, docendoq́; prudentißimum. is dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimis redundantes nos, & superfluentes iuuenili quadam dicendi impunitate, & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentes coerceret. ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed propè mutatus. Nam & contentio nimia uocis reciderat, & quasi deferbuerat oratio, lateribusq́; uires, & corporis mediocris habitus accesserat.
EGN. *Hermodorus importat uerba.* COR. *Res agi sine uerbis hæc ipsa non potest: & nos etiam uerba simus polliciti, nec tamen ea damus, quæ tibi molesta esse poßint, quum sint è Ciceronis ipsius Bruto petita: quem quidem librum superioribus annis ita sumus interpretati, ut eum nos ad uerbum edidicisse, propemodum poßimus affirmare. Itaque tibi mirum ne sit, si nos ex eo libro multa memoriter pronunciamus: quod hisce rebus referendis eo libentius facimus, quòd in eo Cicero, quæ nunc ipsi dicimus, ea penè omnia est ipse complexus.* EGN. *In his tamen, quæ tu modo recitasti, multa, quæ scribit Plutarchus, omisit: ut ipsum, si omnino ad Remp.*

accedere non posset, Athenis philosophari semper cogitasse: sed, quum, mortuo Sylla, literis amicorum domum reuocaretur, & ab Antiocho, ut ad Remp. accederet, moneretur, ad eloquentiæ studium rediisse, & ob id in Asiam nauigasse. COR. *Vellem etiam Plutarchus omisisset, quum uerisimile non sit, eum, qui domo profectus esset, ut dicendi consuetudinem mutaret, postea semper Athenis philosophari cogitasse: præsertim quum dicat ipse, eodem tempore, quo fuit Athenis, apud Demetrium Syrum dicendi magistrum studiose exerceri solitum fuisse: quod ostendit falsum esse, quod Plutarchus affirmat: eum mortuo Sylla, dicendi studium repetisse. Omisit uero contrà Plutarchus Aeschylum Gnidium, uel oblitus, uel quòd ad Molonem properaret: quem Cicero bis Romæ prius audiuerat, & tunc illi se Rhodi rursus reformandum, ac uelut recoquendum dedit, ut ait Quintilianus. Is igitur Molo, uel Apollonius Molonis filius, ut Plutarchus uidetur appellare, quum linguam Latinam ignoraret, olim Ciceronem rogauit, ut græce declamaret: quod ille tam bene fecit, ut constet, alios quidem omnes, qui tunc aderant, obstupuisse, Ciceronemq; laudibus certatim prosecutos fuisse, sed Apollonium neque, dum audiret, exhilaratum fuisse, & quum ille perorasset, longo spatio tristem, & cogitanti similem sedisse, donec, id ægre ferente Cicerone, dixit: Te quidem Cicero & laudo, & admiror, sed me Græcorum fortunæ miseret, quum uideam doctrinam, & eloquentiam, quæ nobis bona sola relicta fuerant, ad Romanos per te nunc esse translatas.* EG. *Hoc tamen ipse Cicero tacuit.* COR. *Ille neque uitam scribebat, & fortasse ueritus est, ne se nimis ipse laudare uideretur: nisi forte cauit, quod ab auo suum dictum sciebat: nostros homines similes esse Syrorum uenalium, ut quisque optime græce sciret, ita esse nequißimum: quanquàm uidetur ille neque hoc*

ipsum, neque, M. Antonij consilium probasse, qui ne nosse quidem Græcos uolebat uideri: quum ipse contrà, & literas Græcas optime didicerit, & semper præsertim magistratus adeptus didicisse præ se tulerit. Quid enim, inquit in Oratore, possem, quum abfuissem adolescens, & horum studiorum causa mare transissem, & doctißimis hominibus domus referta esset? Itaque, quod in libris oratorijs L. Crasso tribuit, illi placuit, eoque usus est adolescens, ut summorum oratorum Græcas orationes explicaret: quibus lectis, hoc assequebatur, ut, quum ea, quæ legerat græce, latine redderet, non solum optimis uerbis uteretur, & tamen usitatis, sed etiam exprimeret quædam uerba imitando, quæ noua nostris essent, dum modo idonea uiderentur. sic, iuuenis admodum quum esset, Arati carmina, & Xenophontis librum, qui Oeconomicus inscribitur, é Græco in Latinum conuertit: deinde multis post annis Syracusis apud Græcos græce locutus est: postea suum Consulatum græce scripsit, in quo Græcam nationem conturbauit: orationes deniq; nobilißimas inter se contrarias Aeschinis, & Demosthenis, Timæum Platonis, & alia, quæ longum, & difficile sit referre, conuertit. PIE. *Quum uir talis tam graue testimonium dixerit, & res ipsa loquatur, Ciceronem literis Græcis eruditißimum fuisse, me tamen puero fuerunt, & hodie sunt, opinor, homines, qui, ut aliquid ipsi scire uideantur, dicere non dubitent, eum græce, si Dijs placet, nescisse: quòd* ἐντελεχίαν *quasi quandam continuatam motionem, & perennem sit interpretatus, & negarit, quo modo Græci ineptum appellent, inueniri.* COR. *Multi sunt hodie Midæ, quibus, quòd aures non tam asini, quàm Boeoticas habeant, neque mare Cretensis, neque cantum luscinia nosse uideatur: sed non magis ij nobis sunt iudices constituendi, quàm Panides illi, qui Ciceronem, quòd aliter quæ-*

dam scribat, atque præcipiat Aristoteles, *imperitum philosophiæ non dubitant appellare, eique suos quosdam scriptores omnium literarum rudes quasi uel* Apollini *uanes, uel* Homero *poetas indoctos anteferre: nec recordantur, quod ille, de se modeste loquens, ita libro primo de natura* Deorum *scribit:* Nos *nec subito cœpimus philosophari: nec mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operam curamq; consumpsimus, & , quum minime uidebamur, tum maxime philosophabamur: quod & orationes declarant refertæ philosophorum sententiis, & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, & principes illi* Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, *à quibus instituti sumus: & si omnia philosophiæ præcepta referuntur ad uitam, arbitramur nos, & publicis, & priuatis in rebus ea præstitisse, quæ ratio, & doctrina præscripserit. &* Rhodi *quidem* Posidonium, *quod* Plutarchus *etiam refert, audiuit, quem suum familiarem quamuis* Stoicum *uocat.* Quin *affirmat ipse, se* Phædrum, & Zenonem Epicureos *audiuisse, & cum* Cratippo, Stasea Neapolitano, & M. Pisone *Peripateticis familiaritatem habuisse.* Ita *uidetur à* Diodoto, & Posidonio *Stoicam, à* Phædro, & Zenone *Epicuream, à* Philone, & Antiocho *Academicam, à* Cratippo, Stasea, & Pisone *Peripateticam, & ab aliis alias disciplinas cognouisse: quas in libris postea de finibus bonorum, & malorum præsertim, & in quæstionibus* Tusculanis *explicauit: in primis tamen* Academicum *se ferè semper esse profitetur usque adeo, ut in* Oratore *dicat: fateor me oratorem, si modo sim, aut etiam quicunque sim, non ex* Rhetorum *officinis, sed ex* Academiæ *spatiis extitisse.* Non *paucis igitur* Cicero, *ut* Neoptolemus, *est philosophatus: sed summo ingenio, longo tempore, & flagranti studio philosophos, qui tunc erant in* Philosophia *principes, audiuit:* Phi-

losophorum libros, qui tunc erant propemodum innumerabiles, legit, & ex his multa conuertit: atque primus ipsam philosophiam, quæ iacuerat usque ad eam ætatem, Latinis literis illustrauit. Et sunt homines, qui, quum sint nunquàm uere philosophati, sed nec acute, nec diu, nec studiose sophistas suos potius, quàm philosophos audiuerint: & Aristotelis sui tantum particulam, qualiscunque sit ea, legerint: nec ipsi quicquam, quod legi posśit, unquàm scripserint, ita putent se posse tenebras rebus clarissimis offundere, ut, qui lyncei sunt, non uideant, ad Ciceronem doctrinarum lucem, ut ait Plinius, alteram, quasi Elicem in philosophia quoque scriptiones nostras esse dirigendas: nec magis illum, quòd alios secutus, ab Aristotele, quàm Aristotelem ipsum, quòd inuidia motus, à Platone magistro dissentiat, accusandum? At nihil de natura & rebus ocultis scripsit. Ille uero de natura Deorum, quæ res est occultiśsima, scripsit, & Platonis librum certe περὶ φύσεως inscriptum conuertit: ac multo plura de rebus hysce, si uiueret, opinor, scripsisset. sed nihil scripserit, quid tum? literam Socrates nullam reliquit, & tamen non philosophus modo, sed princeps etiam philosophorum solet appellari. & nos, ut Quintilianum, Diuum Augustinum, Boetium, Rodulphum Agricolam, & alios testes mittamus, à Lactantio Firmiano, qui nobis ut uir non minus doctus, quàm religiosus, esse debet instar omnium, Ciceronem modo perfectum philosophum, modo Romanæ philosophiæ principem, modo summum philosophum uocari uidemus. EGN. *Magnum das ferre talentum.* COR. *Et quidem, quod Romæ sit inchoatum, Athenis signatum, & Rhodi perfectum. Sed Cicero quum Rhodi tam ualde fuisset ab Apollonio commendatus, & ob id in spem magnæ alicuius dignitatis ingressus, ad Remp. primo quoque tempore cuperet accedere, Delphos*

profectus, Apollinem, qua ratione fieri uir clarissimus ipse posset, consuluit: unde responsum tulit: si suam ipsius naturam, non uulgi opinionem, uitæ ducem sequeretur: quod ille ueritus, quum biennio post, quàm Roma profectus erat, se recepisset non modo exercitatior, sed propè mutatus, quòd & contentio nimia uocis reciderat, & quasi deferbuerat oratio, lateribusq; uires, & corporis mediocris habitus accesserat: primum tempus cautè, uel, ut Plutarchus ait, εὐλαβῶς traducebat, nec honores cupidè petebat, sed eos negligere uidebatur. PIE. *Leonardus Arretinus hoc ita uertit: magistratus sibi commissos quodam modo horrere, formidareq; uidebatur.* COR. *Magistratus nec ei committi poterant, qui ne petebat quidem, sed eos negligebat: nec Cicero magistratus commissos formidauit, sed eos omnium fortissime gessit. Itaque noster amicus* ACHILLES BOCHIVS *uir nobilissimus ita melius uertit: pigre publicis dignitatibus, uelut eas quodam modo in contemptum haberet, ingerebatur.* EGN. *Tu ne ita uerteres?* COR. *Nec ipse nunc ita uerteret, nec olim fortasse, quum iuuenis esset, ita uertit. sed ad Plutarchum reuertor, qui certe scribit, Ciceronem tunc ob id, quòd Græcos homines imitatus, ad Remp. non accederet, sed literis, & otio delectaretur, uulgo Græcum, & σχολαστικὸν appellatum fuisse: quòd ego tamen non magis esse uerum puto, quàm quod idem Plutarchus affirmat, cùm patris, & amicorum cohortationibus excitatum, se ad causas forenses contulisse. Nam nec Plutarchus ipse negat, honoris illum natura cupidum fuisse, & ille, dum scribit ad Atticum, in se sub inane quiddam, & non ἀφιλόδοξον agnoscit: atque illa ponit uerba: neque ego inter me, atque te quicquam interesse unquàm duxi, præter uoluntatem institutæ uitæ, quòd me ambitio quædam ad honorum studium, te autem alia minime re-*

prehendenda ratio ad honestum otium duxit : in Bruto *uero ponit illa :* Duo *tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent,* Cotta, *&* Hortensius, *sed cum* Hortensio *mihi magis arbitrabar rem esse , quòd & dicendi ardore eram propior, & ætate coniunctior . Vnum igitur annum, quum rediissemus ex* Asia *causas nobiles egimus, quum* Quæsturam *nos,* Consulatum *Cotta,* Aedilitatem *peteret* Hortensius. *Quòd si, quum cupidus honoris, ut qui maxime, semper fuisset, illum* C. Cotta, *&* Q. Hortensius *imitandi cupiditate incitarunt, non uidetur nec honores contempsisse, nec patris, aut amicorum exhortationibus eguisse, præsertim quum dicat ipse, se unum annum, quum rediisset ex* Asia , *nobiles causas egisse, & eodem anno* Quæsturam *petisse : quod ostendit, illum statim post reditum ex* Asia *se dicendis causis , & petitioni dedisse, tantum abest, ut primum tempus* ἰυλαβῶσ, *ut ex* Plutarcho *retulimus, traduxerit.* Nam Cicero P. Seruilio, Ap. Claudio *Consulibus, quum ageret annum uigesimum octauum,* Roma *profectus est : abfuit biennium, quo* M. Lepidus, Q. Catulus *primum, deinde* M. Mamercus, *&* D. Brutus *Consules fuerunt : reuersus est* Cn. Octauio, C. Curione *Coss. quum iam trigesimum annum complesset: quo quidem anno causas nobiles egit, &* Quæsturam *petiit ita, ut nihil temporis relinquatur, quod dici possit* ἰυλαβῶσ *traduxisse.* EGN. *Viden' hunc nummum* Pieri *? quamuis sit magnus, & ingeniose formatus, ego tamen uereor, ne sit adulterinus.* COR. *Egóne uobis ut numos adulterinos soluam?* EGN. *Tu quidem prudens, opinor, nunquam soluas : sed fieri potest, ut quos tu numos adulterinos imprudens pro bonis acceperis, eos tu nunc quoque bonos putes, & ita pro bonis nobis soluas.* COR. *Fieri potest, ut omnes homines decipiantur, sed boni tamen* Quæstores, *quum tam multas pe-*

cunias tractent, facilius multo, meliusq; bonos numos ab adulterinis, quàm boni agricolæ frumentum à lolio secernunt. Nos certe *scimus hunc esse bonum, uerum si uos ipsi dubitatis, posterius expendetur: nunc illud expendatur, quod ita* Plu*tarchus scribit: quum se dicendis causis dedisset, non sensim ad principem locum peruenit, sed statim gloria præstitit, & reliquos, qui uersabantur in foro, longe superauit.* PIE. *Quid hic expendi potest?* COR. *An hoc sit uerum, quum tunc princeps esset, & haberetur* Hortensius, *nec adhuc, quod erat in* Cicerone, *perfectum esset, ut in* Bruto *scribit.* Nec il*lud, quod sequitur,* Plutarchus *mihi satis probat:* Dicitur *&* Cicero *non minus in actione, quàm* Demosthenes *labor asse, & ob id operam* Roscio *comœdo, &* Aesopo *tragœdo studiose dedisse.* Vt *enim fatear, quod* Macrobius *etiam scribit,* Ciceronem Roscio, *&* Aesopo *histrionibus usum familiariter fuisse, & cum* Roscio *etiam solitum contendere, utrum ille sæpius eandem sententiam uariis gestibus efficeret, an ipse per eloquentiæ copiam sermone diuerso pronunciaret: haud facile tamen adducor, ut credam Ciceronem, quod uel ipse postea non esse faciendum præcepit, gestus ab scena, & histrionibus didicisse: quum præsertim nihil nec ipse, nec cæteri scriptores, quantum uidere potuimus, ea de re dicant, præter unum* Dionem, *apud quem tamen* Calenus *ita calumniatur, ut, quum dicat,* ὀρχηστὰς τὰς ποικιλίας τῶν ἐνθυμημάτων κικέρωνα διδάξαι τοῖς σχήμασιν. *ostendat se, si uerum hoc fuisset, multo plura dicturum fuisse, quum semper histriones habiti infames esse dicantur. Sed hoc ipsum ut concedamus, illud certe nunquàm dabimus, Ciceronem post reditum ex Asia potissimum gestus ab histrionibus didicisse, quum se dicat ita mutatum ex Asia rediisse, ut opera histrionum non uideatur eguisse: contrà uero prius, ut supra diximus, indigebat, &* Roscio

familiariter utebatur, ut in oratione pro P. Q*uintio pluribus ipse testatur. sed nunc ea, quæ sequuntur,* Plutarchi *uerba uertamus: non parum uero* Ciceroni *ad persuadendum in actione momentum fuit: & ille quidem oratores magno clamore utentes mordens, dicebat, eos propter imbecillitatem ad clamorem, ut claudos ad equum, confugere. Illius uero urbanitas in dictis, & iocis, à principio quidem res iudicialis, & iucunda uidebatur: sed ea quum ad satietatem usque abuteretur, multos offendit, & in eam uenit opinionem, ut natura peruersus esse crederetur. hæc uerba nos icciro uertimus, quòd ab alijs ea uel male conuersa, uel omissa prorsus esse uideamus.* Nam Leonardus Arretinus *neque sensum more suo, neque uerba conuertit, uel quòd ea in suo libro non inuenerit, uel quod indigna putarit, quæ &* à Plutarcho, *& de* Cicerone *scripta dicantur.* N*am quum male, quod in* Græco *melius apparet, connectuntur, tum, quod falsum est, indicant,* Ciceronem *suas salinas non bene curasse, quas tamen ipse tanti fecit, ut queratur, earum possessionem parum diligenter à* Volumnio *procuratore defensam fuisse. quin ipse libro secundo de oratore de iocis, & facetijs ea scripsit, quibus facile ostendit, se, quum doceret alios, quo pacto dictis utendum esset, sic illis uti sciuisse, &, ut par est credere, consuesse, ut à nemine dicax merito posset appellari.* EGN. *Macrobius tamen affirmat, illum consularem scurram uel ob id appellatum fuisse.* COR. *Sed addit, ab inimicis, qui testes in ea re non magis esse possunt, quàm* L. Papirius Pætus, *qui iocans, illum scurram uelitem uocauit. Verum, qui nihil habuerunt causæ, cur mentirentur, ij* Ciceronem *ut hominem iocandi peritissimum commendarunt: ut* Macrobius, *qui scribit ita: animaduerto duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, comicum* Plautum, *& oratorem* Tullium, *eos ambos*

etiam ad iocorum uenustatem cæteris præstitiſſe: & Quintilianus, qui putat in Cicerone miram quandam urbanitatem fuiſſe: quanquàm illa ponit uerba: utinam Quintus, & libertus eius Tiro, aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulſiſſent, & plus iudicij in eligendis, quàm in congerendis studij adhibuiſſent. minus obiectus calumniantibus foret, qui tamen nunc quoque ut in omni eius ingenio, facilius, quid reijci, quàm quid adijci poßit, inuenient. EGN. *En, qui ſe negabat à pecunijs paratum huc ueniſſe, nunc oſtendit, eas ſe iampridem, ut hanc rationem referret, undique collegiſſe.* COR. *Iampridem uero nos eas collegimus, uel potius exegimus, ac nobiſcum multos etiam annos tulimus, non ut aliquam rationem potißimum referremus, ſed ut pauperibus, qui ſæpe ſunt etiam moleſti, largiremur.* EGN. *Vt audio, niſi caueamus, periculum eſt, ne, ſi pecunias, quæ pauperibus debentur, accipiamus, aliqua religione nos implicemus.* COR. *Vos facite, ne debeantur, & uos ita religione ſoluetis.* EGN. *Quin recte mones: quare tibi nos imperamus, ut tu ſoluas, ne debeantur.* COR. *Nos uero quum ſæpe multis antea, qui de rebus hiſce nobis erant moleſti, ſoluimus, tum uero nunc ipſum uobis, ut quum maxime, ſoluimus.* EGN. *At has pecunias, quæ pauperibus debentur, ipſis, quorum petitio ſit, ſolueres.* COR. *Pauperibus ego mihi ſoluere uideor, quum uobis ſoluo, qui nunc eius Reip. perſonam ſuſtinetis, ex cuius ærario pauperes propemodum innumerabiles aluntur.* EG. *Qui ſunt ij pauperes?* COR. *Indocti, qui cupiunt, uel, etiamſi non cupiunt, interdum tamen poſſunt doceri.* EG. *Qui cupiunt, facile, ſi ualent ingenio, docentur, ſed illi, qui non cupiunt, qui tandem doceri poſſunt?* COR. *Fit ſæpe, ut qui ſunt indoctißimi, doctißimi uelint haberi, idque ut apud*

rudes saltem consequantur, solent inter mulierculas, & homines imperitos de magnis etiam rebus disputare; interdumq; grauissimos scriptores ut parum dilgentes, quasi Timæi sint, accusare, sperantes fore, ut ipsi, qui tantos homines accusent, uel maiores, uel certe aliquid esse uideantur. Et quum reliquos scriptores reprehendunt, tum uero Ciceronem sic oppugnant, ut omnes in eum quasi Catilinæ coniurasse uideri poßint: quos tu si, quod fieri facile potest, conuincas, & illi uel inuiti doceantur, & tu pecunias, quas dicebam, pauperibus largitus esse iudiceris. Nos certe quum magnas antea pecunias huiuscemodi hominibus largiti simus, tum multo maiores parauimus, ut eas ob ora impura belluis, ut ait Plautus, si quid Ciceroni detraherent, obtruderemus: sed eas omneis hodie uobis, uel maiorem partem soluemus: ut, quum per uos in ærarium, unde licet omnibus, quantum lubet, accipere, relatæ fuerint, nos hac donandi molestia liberemur. E G. At nemo, cui, quod Plutarchus de Ciceronis iocis uidetur scripsisse, & bis etiam scripsit, persuasum fuerit, hunc numum uictoriatum putabit: quod nondum uiceris, in ea re Ciceronem laudandum fuisse. C O R. Ego tamen arbitrabar me uicisse, quum grauißimos testes produxerim: sed quoniam uos aliter, ut uideo, sentitis, publicum testimonium dabo: ille sic gloriam antiquam Atticam retinuit, ut, quum in Ciliciam profectus esset, omnia dicta in his etiam Sestiana in eum conferrentur: quod ille tamen ægre ferebat: quod sperabat ita notata se reliquisse genera dictorum suorum, ut conosci sua sponte possent: hinc in oratione pro Cn. Plancio sic loquitur: ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed contentione dicendi, aut laceßitus: & quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt. ego autem si

quid est, quod mihi scitum esse uideatur, & homine ingenuo dignum, atque docto, non aspernor: stomachor uero, quum aliorum non me digna in me conferuntur. ob id etiam Volumnium sic hortatur: pugna, si me amas, nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολή, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt, à me in secundo libro de oratore per Antonij personam disputata de ridiculis, ἔντεχνα & arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea nõ esse. hoc fecisse Cæsarem in epistolis affirmat: Cæsar habet peracre iudicium, &, ut Seruius frater tuus, quem literatißimum fuisse iudico, facile diceret; hic uersus Plauti non est, hic est, quòd tritas aures haberet notandis generibus poetarum ex consuetudine legendi, sic audio Cæsarem, quum uolumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reijcere solere. Quid quòd ipse Cicero L. Flaccum repetundarum reum ioci opportunitate de manifestißimis criminibus, ut ait Macrobius, exemit? & sanè natura fuit ita facetus, ut olim sic ad Antonium iure scribere potuerit: nihil unquàm non modo acerbum in me fuit, sed ne paulo quidem tristius, aut seuerius, quàm necesßitas Reip. postulauit: quod & Plutarchus in comparatione Demosthenis, & Ciceronis uidetur sentire, quum scribit, eum ad iocos, & facetias aptum natura fuisse, uultumq; illius risum, & tranquillitatem præ se tulisse: quanquàm paulo ante dicat, eum, quòd mordendi studio scurrile quiddam sectaretur, & in iudicijs res serias risu, & ioco cauillaretur suæ utilitatis causa, decorum non seruasse, & ob id à Catone ridiculum Consulem uocatum fuisse: ut iam uidere poßitis, quanta fides ei sit habenda, qui non ab alijs modo, sed à se ipso etiam dissentiat. EGN. *Ille tamen diligenter ipsius dicta collegit.* COR. *Quædam potius è multis, quæ Tiro libertus tribus libris fuerat complexus,*

in suam linguam utcunque conuertit. Nos *enim, quamuis* Quintilianus *dubitet, arbitramur* Tironem *de* Ciceronis *patroni iocis scripsisse: quòd, ut ait* Gellius, *eo ab ineunte ætate liberaliter instituto adminiculatore, & quasi administratore in studijs literarum* Cicero *usus est: unde* Ciceronis *dicta melius audire, & scire potuit, quàm frater, aut alius, qui cum* Cicerone *non uixerit: &* Macrobius *affirmat, suis temporibus omnes putasse, libros illos* Tironis *fuisse: quod eo magis credi debet, quòd* Asconius *ostendat, eundem libros minimum quatuor de* Ciceronis *uita scripsisse*. EGN. *Quando* Plutarchus, *ut ais, pauca conuertit, tu, qui res istas penè superstitiosè persequeris, & homines ab inferis excitas, ea nobis, quæ* Tiro *scripsit, redde*. COR. *Quum accepero, reddam: nunc* Quintilianus, Plutarchus, & Macrobius, *quæ de libris* Tironis *acceperunt, reddent: & ego, quum qualis ante* Quæsturam Cicero *fuerit, dixerim,* Quæstor *Quæstorem describam. Sic igitur in oratione in* Pisonem *loquitur ipse: me* Quæstorem *in primis cunctis suffragijs populus* Romanus *fecit: & in* Bruto: Interim me Quæstorem Siciliensis *excepit annus: ubi tamen olim dubitauimus, an antea* Quæstor *fuisset urbanus, quòd alios prius in urbe* Quæstores *fuisse, deinde in prouincias profectos legamus: & ipse dicat in* Verrinis, *se* Quæstorem *factum, &* Quæsturam *in prouincia* Siciliа *obtinuisse: item in oratione post reditum in senatu, se* M. Curij *patri* Quæstorem *fuisse, quum* Sex. Peduceo Prætore Quæstor *in* Sicilia *fuerit, ut* Asconius *ostendit, nisi forte alter alteri ante successit, quàm* Cicero *de prouincia decederet: uel* Sex. Peduceus M. Curij *per adoptionem pater fuit*. Cicero *certe, nisi anno, quo rediit ex* Asia, *in urbe* Quæsturam *gessit,* Quæstor *urbanus esse non potuit: quando natus annos triginta* Cn. Octauio, C. Curione *Consulibus ex* Asia *rediit,*

& anno sequenti, quum esset annorum unius & triginta Quæstor in Siciliam uenit, ubi, quod Asconius scribit, & ipse in oratione pro Cn. Plancio significat, Lilybætanus Quæstor fuit, & ita se gessit, ut postea Siculis omnibus iucundam, diuturnamq; memoriam Quæsturæ, nominisq; sui reliquerit: quam rem pluribus uerbis in oratione pro Cn. Plancio persecutus est: quæ uobis ego, si potero, referam: Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, socijs abstinēs, omnibus eram uisus in omni officio diligentissimus: excogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. Itaque hac spe decedebam, ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. at ego, quum casu diebus his itineris faciendi causa decedens è prouincia Puteolos forte uenissem, quum plurimi, & lautissimi solent esse in his locis, concidi penè iudices, quum ex me quidam quæsisset, quo die Roma exissem, & num quid in ea esset noui: cui quum respondissem, me è prouincia decedere: etiam, mehercules, inquit, ut opinor ex Africa. huic ego iam stomachans fastidiose, imò ex Sicilia, inquam. tum quidam, quasi qui omnia sciret, quid: tu nescis, inquit, hunc Syracusis Quæstorem fuisse. Quid multa: destiti stomachari, & me unum ex ijs feci, qui ad aquas uenissent. sed ea res iudices haud scio àn plus mihi profuerit, quàm si mihi tum essent omnes congratulati. nam posteaquàm sensi populum Romanum aures hebetiores, oculos acres, atque acutos habere: destiti, quid de me audituri essent homines, cogitare: feci, ut postea quotidie me præsentem uiderent: habitaui in oculis: pressi forum: neminem à congressu meo neque ianitor meus, neque somnus absterruit. Hanc curationem σιτοδείαν Plutarchus appellat: qui rem totam sic narrat, ut ne Leonardus quidem Arretinus eum hac in parte uoluerit imitari: quòd eū uideret errasse. Nam, quum Ci-

cero dicat, se omnibus gratum, is molestum fuisse scribit, hoc modo latine, quoquo modo uertant alij, dicens: molestus hominibus à principio fuit, quum frumentum Romam mittere cogeret. EGN. Hic ego Plutarcho potius, quàm Ciceroni credendum puto: quòd hic de se loquens in eo præsertim, quod ad laudem pertinet, fortasse mentiatur: ille ut historicus, quod uerum sit, scribat, & causas addat, cur molestus esset: quòd nondum, qualis esset, erat notum, & Siculos, ut frumentum Romam mitterent, cogebat: quæ duæ res non poterant Siculis non esse molestæ: quum iam tum à principio ita cogerentur, & multo peius ab homine, quem nondum planè nossent, timerent eo præsertim tempore, quo male Romani magistratus audiebant. Hæc Cicero ne dicere quidem debuit, quum de se loqueretur: & reliquum tempus respexit, in quo Siculis ita gratus fuit, ut ab illis inauditi honores sint excogitati, ut ait ipse, cui Plutarchus sic assentitur, ut affirmet, Siculos postea, quum diligentiam, iustitiam, & mansuetudinem ipsius experti fuissent, eum ut nullum ex antiquis ducibus honorasse. COR. At in eo, quod Ciceroni Puteolis, ut retulimus, accidit: quodque Plutarchus ipse γελοῖόν τι uocat, ualde dissentit: quum scribat, eum, quum in uirum nobilem, qui amicus esse uidebatur, incidisset in Campania, ex eo quæsisse, quid Romani de rebus à se gestis loquerentur, & quid sentirent, tanquàm nomine, & fama rerum à se gestarum urbem totam complesset: illum uero dixisse: ubi Cicero tu hoc tempore fuisti? Cicero uero plures eos, in quos incidit, fuisse, & ipsos, num quid esset noui Romæ, quæsisse, non respondisse testatur. FIE. Quid si Cicero rhetorice quum loqueretur, rhetorice rem uoluit ornare, quum sit concessum Rhetoribus mentiri, & in historijs, ut aliquid dicere poßint argutius? COR. Conuinci potuisset, si mentiretur, ut Plutar-

chus est hac in parte conuictus, & fortasse, si nunc omnes historiæ Romanæ extarent, in ea conuinci posset, in qua scribit: multos adolescentes Romanos nobiles, reos, quòd aciem deseruisse, & molles in bello fuisse dicerentur, ad Siciliæ Prætorem reiectos, & à Cicerone defensos fuisse. nam diceret, cur eò reiecti fuissent: quanquàm nihil, ut nunc est, nostra refert, idipsum scire, dum, quæ pertinent ad Ciceronem, sciamus: qui in oratione pro P. Sylla uidetur ostendere, P. Antronium in Quæstura sibi collegam fuisse. Quum autem anno post annos triginta duos iam natus è Sicilia se recepisset, iam uidebatur illud in eo, quicquid esset, esse perfectum, & habere maturitatem quandam suam. Itaque tunc, ut supra retulimus, forum pressit, & quum esset in plurimis causis, & in principibus patronis quinquennium ferè uersatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen uenit designatus Aedilis cum designato Consule Hortensio: quæ res ostendit, illa Plutarchum non satis uere scripsisse: Ciceronem, quòd fama de rebus à se gestis in urbem, tanquàm in mare latum incidens, nihil ad gloriam profuisset, prorsus animo primum concidisse: deinde, quum secum ratiocinatus esset, multum de ambitione remisisse, tanquàm pro re infinita, nec terminum, ad quem perueniri posset, habente, hoc est gloria, certaret: Verum quum mirum in modum se laudari gauderet, id gloriæ studium semper in eo tantum fuisse, ut multas cogitationes rectas sæpe turbarit. EGN. Vnde tu coniecturam ducis, hæc Plutarchum parum uere scripsisse? COR. Inde, quòd neque Cicero tum prorsus concidit, neque de ambitione quicquam remisit: siquidem scribit in Bruto, se post reditum ex Sicilia quinquennium ferè in causis, & in principibus patronis uersatum fuisse: quod tempus inter Quæsturam, & Aedilitatem uix integrum colligi potest, tantum abest, ut iacuerit, aut ali-

quid etiam cogitarit, quod gloriæ studium turbarit. EG. *Iacuit tamen hoc quinquennium, quod tu dicis inter Quæsturam, & Aedilitatem uix integrum fuisse.* COR. *Iacuit ille, credo, de nocte, quum dormiret: nam de die causas in foro stans de more dicebat: sed nec ita iacuisse dici potest, qui magistratus annis suis adeptum se fuisse glorietur.* PIE. *Ob id fortasse hæc Plutarchi uerba, quæ tu modo uertisti,* Leonardus Arretinus *omisit.* COR. *Illa non omisit: homini, qui se ad* Remp. *animo alacriore conferat, turpe putabat esse, si quum operarij, qui instrumentis, & uasis inanimatis utuntur, nullius ipsorum neque nomen, neque locum, neque uim ignorent, ipse* Reip: *studiosus, cui per homines res communes perficiendæ sint, res ipsas publicas non ualde laboret, ut consequatur.* Vnde *se non solum nominibus assuefaciebat, sed loca etiam in quibus nobilissimus quisque habitaret, & regiones, in quibus prædia possideret, & amicos, quibus uteretur, & uicinos cognoscebat.* Itaque Ciceroni, *per quancunque uiam faceret iter, erat facile dicere, & agros amicorum, ac uillas ostendere.* EGN. *Et tibi facile est, ut uideo, hæc ipsa memoriter referre.* COR. *Et mihi turpe, ut arbitror, esset, nisi, quum tam multos annos in hac* Rep. *sim uersatus, omnia, quæ sint mei muneris, memoria iampridem fuissem complexus: præsertim quum mihi turpius esse uideatur, hæc ipsa, quàm ciuium nomina, ædes, prædia, amicos, uillas, & reliqua id genus, ignorare, quando fortissimo, & optimo cuique uiro id, quod* Africano, *curæ debet esse, non ut multos cognoscat, sed ut ab omnibus ipse cognoscatur: quod quum ita sit, & constet,* Ciceronem *nomenclatore usum fuisse, dubitarem, ne* Plutarchus *hæc ipsa finxisset, nisi* Q. *frater in libello de petitione Consulatus ita scriberet: primum id, quod facis, ut homines noris, significa, ut appareat, & auge, ut*

quotidie melius fiat: quanquàm Quintus ipse frater ita loquitur, ut eum potius hortetur, hoc ut faciat, quàm fecisse demonstret: postea tamen ait; tu & nosti, & cognosces. EGN. *Pecunia, qua de tu loqueris, ut apparet, tota est in nominibus.* COR. *Est illa quidem in nominibus, sed illa sunt ita bona, ut ea uos facile possitis exigere.* EGN. *Nos ut exigamus? iam nos Pieri de Consulibus non Rhetores modo, sed Quæstoris etiam nostri procuratores fiemus.* CO. *Vos uero, ut Consules, decet, exigetis.* EGN. *Recte mones: quare nomina postea transferentur: tu nunc, quod à Plutarcho deinceps exegisti, solue.* COR. *Vereor, ne uos illud, ut homines reliqui, contemnatis.* PIER. *Profer tamen.* COR. *Ciceronem, quum pecuniam possideret paruam quidem, sed quæ tamen sumptus necessarios suppeditaret, omnes admirabantur, quòd ex patrocinijs neq; mercedes, neque dona, ne tum quidem quum Verrem accusabat, accepit.* EG. *Tu postea uereris, ne, quod omnes admirantur, nos ipsi contemnamus.* COR. *Illud ego uerebar, ne uos quoque pecuniam paruam negligeretis, quam M. olim Crassus etiam contempsit: ut sic in paradoxis apparet: Meam quoniam pecuniam contemnis, & recte, est enim ad uulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica; de me silebo, de te loquar. nec ita multo post illud addit: ex meis prædijs centena sestertia capio. Sed de pecunia uidero, nunc uideamus, an uerum sit, ex patrocinio Ciceronem nihil mercedis accepisse. Dion enim non semel affirmat, eum numos cepisse, sed & nos non semel diximus, illi parum, uel nihil potius in hisce rebus esse credendum. Q. certe frater in libello de petitione Consulatus ita scribit: Hæc tu planè ab ijs postulato, ut, quoniam nulla impensa per te alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud ullum tempus futurum sit, ubi tibi re-*

ferre gratiam poßint, hoc te officio remunerent. Nec Cicero, *quum sciret, Romuli, Cincij, & Titij legibus esse cautum, ne patroni pecunias à clientibus acciperent, in eas unquàm commisisset, ne, quod obiecit Hortensio de sphinge, in eo posset accusari. hinc ita scripsit ad Atticum. L. Papirius Pætus uir bonus, amatorq; noster mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit, donauit: quum mihi per legem Cinciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libenter dixi me accepturum, si attulisset. Itaque fecit, quod in patrijs moribus erat, quodque in libris de officijs ipse postea faciendum præcepit, ut multorum causas, & non grauate, & gratuito defenderet. Nam, quod in oratione pro lege Manilia refert, penè quotidie dicebat: quamuis ex orationibus, quas dixit, multæ desiderentur: sed ex his, quæ nunc extant, post reditum ex Sicilia primam dixit eam, quæ pro Q. Roscio comœdo inscribitur: quum C. Calphurnius Piso Prætor, Pompeius, & Crassus, ut arbitror, Consules essent: quo quidem anno Vergilius est natus, & Cicero ipse, quum ageret annum trigesimum sextum, Aedilis designatus, Verrem, ut dicemus, accusauit. C. enim Verres, ut scribit Asconius, perfunctus Quæstura, Legatione, Prætura urbana, patre C. Verre, & prætextato filio, & filia nupta, uxorem habens, quum successisset in Sicilia C. Sacerdoti Prætori, eamq;, non sibi succedente Arrio, per triennium tenuisset, atque in ea fuisset libidinose, auare, crudeliterq; uersatus, succedente tandem in eadem prouincia Metello, repetundarum reus ab Siculis appellatus est: qui omnes, præter Syracusanos, & Mamertinos, M. Tullium illo tempore florentem defensionibus amicorum ad accusandum descendere compulerunt, iampridem illis neceßitudine copulatum, quòd Quæstor in Sicilia fuisset Prætore Sex. Peduceo, & quòd quum decederet, in illa ora-*

tione, quam Lilybei habuit, multa ijs benigne promisisset. Accessit his non ignobilis futura de Verre *uictoria, quia à* Metellis, Scipionibus, *& multis alijs nobilibus uiris, & praecipue ab* Hortensio *ipso defenderetur, facile, & principe in senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam* Rege *causarum, & eodem* Consule *designato cum* Q. Metello *fratre* Metellorum, *alterius* Praetoris *Siculi, alterius* Praetoris *urbani.* His *ita constitutis, extitit* Q. Caecilius Niger, *domo* Siculus, *&* Quaestor Verris, *& eiusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere: quo uicto, & accusatione ad se delata,* Cicero, *quum inquisitionis tempus in Siciliam postulasset dies* CX, *& cum filio patrui sui* Tullij *totam prouinciam colligendis literis in* Verrem, *& denunciandis testimonijs peragrasset diebus* L. *quia pedestre iter ex Sicilia, & propter fugitiuos & propter* Verris *insidias dubitabat, à* Vibone *transiit. tum repente aduenie ns, quum uideret id agi, ut à* Glabrione Praetore, *& ab ijs iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum, alienumq́; Praetorem res tota transiret, eriperetur q́; sibi reus patrocinio* Hortensii, *ac* Metelli, *qui tunc* Consules *futuri erant, per hos enim* Verres *eludendi iudicij fiduciam sumpserat, hoc commentus est rationis, ut orationem longam praetermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, & eos* Hortensio *interrogandos daret. qua arte ita est fatigatus* Hortensius, *ut nihil, quod contra diceret, inueniret.* EGN. *Hic exclamare posset* Asconius: *en queis conseuimus agros?* COR. *Et nos respondere, nobis, qui metamus.* EGN. *Alienam messem.* COR. *Imo nostram.* Nobis *enim ueteres agricolae non serere modo, sed inserere etiam uoluerunt, ut carpamus poma nepotes.* EGN.

Hoc igitur ex hortis etiam Plutarchi carpere poteras. COR. *Poteram, si placeret: sed, ut uerum fatear, illius pomi neque gustatus, neque odoratus, neque aspectus iucundus uidebatur: quod tu etiam dices, si, quàm sagacißime potes, id fueris odoratus.* EGN. *Ostende igitur, ut odorari poßim.* COR. *Verrem, qui Siciliæ Prætor fuerat, & multa nequiter fecerat, Siculis persequentibus, ipse non dicens, sed ex eo, quòd quodam modo non dixit, in iudicio conuicit. Nam, quum Prætores Verri gratificarentur, & iudicium multis dilationibus in ultimum diem extraherent, Cicero, quod neque diei tempus orationibus suis satis fore, neq; iudicium perfectum iri uideret, surgens, orationibus opus non esse, dixit: sed, productis testibus, & interrogatis, iußit iudices sententiam ferre.* EGN. *Haud omnino satis bene olet.* COR. *Quippe quod nondum maturum satis esse uideatur. nam quos Plutarchus ait* στρατηγοὺς *Verri gratificatos, iudicium distulisse, illi nondum magistratum inierant. Quare neque autoritate sua iudicium differre, neque uere* στρατηγοὶ *poterant appellari, nisi forte uelis, alios imitatus,* στρατηγοὺς *iudices uertere, quum Plutarchus per* στρατηγοὺς *Q. Hortensium, Q. Metellum Coss. & M. Metellum Prætorem, qui Verri fauebant, uoluisse complecti uideatur, sed existimasse, tunc illos in magistratu fuisse, qui tantum essent designati: qui cupiebant iudicium Verris non in ultimum, neque in unum diem, ut Plutarchus ostendit, sed in annum sequentem, & ad nouum Prætorem trasferre. quam rem Plutarchus in secunda Verrina ita scriptam uidere potuit: Nonæ sunt hodie Sextiles, hora nona conuenire cœpistis, hunc diem iam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos uotiuos, quos Cn. Pompeius facturus est. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani sequentur. Ita propè XL. diebus in-*

terpositis, tum denique se ad ea, quæ à nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur: deinde se dicturos & dicendo, & excusando facile ad ludos Victoriæ: cum his plebeios esse coniunctos, secundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt: ita defessa, ac refrigerata accusatione rem integram ad M. *Metellum Prætorem esse uenturam.* EG. *Illius odor pomi iam præ huius odore nautea est, ut ait Plautus. sed heus tu quid agis? Iampridem nobis non solum pro farina das uerba, quod aiunt, sed pro nummis etiam poma numeras?* COR. *Nihil id refert uestra, quum sint aurea, quasi ex hortis hesperidum decerpta. Vos enim numos ex his quos, & qua forma uoletis, cudendos curare poteritis.* EGN. *Quis capiet detrimentum?* COR. *Idem, qui capiet emolumentum.* EGN. *Non uideo, quid hic esse poßit emolumenti, nisi poma ista tua sint ita grauia, ut quum tot ex ipsis numi, quot esse debent, fuerint confecti, aliquid tamen auri reliquum sit futurum, quod in lucro poni poßit.* COR. *Videbunt monetales, qui & poma grauia, & aurum ita purum esse cognoscent, ut facile, Mercurio fauente, poßit augeri.* EG. *Nos Batti non sumus, nec patiemur unquam, ut nos in lapides Mercurius iste conuertat.* COR. *Id ego spero, quum uos ipse Mercurius ita diligat, ut uobis alas, quibus per ora uirûm uolitetis, donasse uideatur: sed ille tamen more suo sæpe ludit, & eos, quos amat, offendit:* Hortensium *certe, & Verrem quum semper antea iuuisset, in lapides postea repente mutauit.* Nam *quum magnas utrique diuitias, & eloquentiam præterea* Q. *Hortensio dedisset, sic eos postea per Ciceronem arte, & eloquentia delusit, sic oppreßit, ut lapides dici merito possent: de quibus ita scribat Asconius: Ciceronis arte ita est fatigatus* Hortensius, *ut nihil, contrà quod diceret, inueniret: ipse etiam Verres, desperato patrocinio, sua spon-*

te discederet in exilium. item: multis diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diuersorum, dum recitantur publicæ, priuatæq; literæ: quibus rebus adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret: adeo perculsus Verres, ut abiret in exilium sua sponte. & Lactantius inquit: Ciceronis industria defensores Verris uel oppreßit, uel gratiæ restitit. Hinc Cicero sic in Oratore dixit: Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius: & si Quintilianus ostendit, eum respondisse, quum studiosos hortatur, ut orationes Hortensii pro Verre legant: quas tamen Hortensium postea scripsisse, non tum dixisse puto, ut Cicero reliquas Verrinas post primam, & secundam scripsit, non dixit: quod Asconius ita refert: Adeo perculsus Verres, ut abiret in exilium sua sponte: nec quid amplius in iudicio gestum est, nisi quòd Tullius metuens, ne tantum negotium penè tacitum præteriret, finxit Verrem comperendinationi præsto fuisse, ut bis defensus accusaretur iterum, & quemadmodum uictoriæ consuluerat breuitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tanquàm repetita accusatione est consecutus reliquorum conscriptione librorum, qui cæteros consequuntur. item, Deinceps hæc omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum, quod ita factum est. fingit Cicero adesse in iudicio Verrem comperendinatum, & respondere citatum, & defendi. in cæteris enim orationibus defensor futurus, accusationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compensare decreuit: & quoniam accusare multos indecorum Tullio uidebatur, in una causa uim huius artis, & eloquentiæ demonstrare. nam & bene intelligentes omnem uirtutem oratoriam, quæcunque in criminationibus constituta est, hic expressam uident: & contrà ex hoc defensionum uim in cæteris orationibus, & neruos eius ex hac uir-

tute cognoscunt, quæ in opprimendo exprimitur reo. Verres igitur abijt in exilium, cui postea uel ab amicis relicto Seneca Ciceronem ipsum scribit affuisse: quem Plinius etiam refert non alia de causa proscriptum postea fuisse ab Antonio, quàm quòd Corinthijs se ei cessurum negasset. hinc à Seneca dicitur proscriptus perijsse, & à Lactantio felix in eo fuisse, quòd ante suam mortem crudelißimum exitum sui accusatoris audiuit. EGN. *Non reddis ea, quæ Plutarchus de iocis hoc loco refert.* COR. *Iam nunc, quum accepero, reddam, & quidem mensura, ut iubet Hesiodus, cumulatiore. Verrem, inquit Plutarchus, Romani porcum non castratum uocant. Quòd igitur libertinus homo nomine Cæcilius Iudæorum moribus addictus, Verrem, Siculis reiectis, uolebat accusare, quid, inquit Cicero, Iudæo cum porco? Habebat autem Verrem filium puberem, qui formam non, ut decet ingenuum, custodisse dicebatur. ut mollis igitur Cicero à Verre accusatus, filios, inquit, oportet domi castigare.* EGN. *Eadem, non cumulatiore, ut dicebas, mensura reddidisti.* COR. *Quatuor igitur iocorum tunc è nomine Verris dictorum cumulus accedat. Repente è uestigio ex homine tanquàm aliquo circeo poculo factus est Verres: alij negabant, mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum: alij Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset: aiebant Siculi, in labores Herculis non minus hunc immanißimum Verrem, quàm illum aprum Erymanthium referri oportere.* E G. *Placet cumulus, qui de Verre factus, è Verrinis sit etiam collectus.* COR. *Sit ille multo maior cumulus, si nunc ex ijsdem Verrinis ea, quæ tunc in Hortensium dixit, colligam: sed non faciam, ut in ea parte multus esse uidear, in qua Plutarchus unum tantum de sphinge referat: illud potius, quod idem Plutarchus addit, considerabo: Verre condemnato, Cicero, quum litem septin-*

gentis & quinquaginta millibus æstimandam curasset, non effugit calumniam, quòd argento corruptus multam diminuisset. nam calumnia uidetur ex eo nata, quod ita scribit Asconius: quamuis sestertium quadringenties à Verre petitum esset, septuagies tamen dupli nomine exigi uisus est, ad gratiam ne Hortensij, an suam, an etiam conniuentia Ciceronis ipsius, parum comperimus: quod idem sic etiam defendit. frustra calumniantur Ciceronem quidam homines, & modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadringenties: quum primum non suo ore, sed Siculorum loquatur accusatorie uociferantium: deinde, si maxime ad eum referenda sunt, quæ dicit, adhuc non instructus sit contra Verrem, nec ad plenum nouerit causam. tertio, cur aut calumniatoris, aut præuaricatoris personam subeat, quum aliud agatur? non enim de condemnando Verre, sed de constituendo accusatore confligitur. postremo, cur id fraudi sit Ciceroni, quum ad tempus oratorum dicta proferantur? nam eodem modo erit contrarium præsenti actioni, quod alibi dicit, oratione uictum à se Cæcilium, qui idoneas causas ad accusandum Verrem multas protulisset. Quibus tamen ex uerbis apparet, homines illos existimasse, Ciceronem diuersa potius scripsisse, quàm pecunias accepisse: sed Plutarchus, quum uideret, litem multo minoris æstimatam fuisse, quàm quantum fuerat à principio repetitum, arbitratus est, calumniam, quasi Cicero præuaricatus esset, fuisse: quasi uero lites non semper ferè minoris æstimentur, & de Cicerone talis opinio nasci potuerit, cui M. olim Cato integritatis, iustitiæ, clementiæ, fidei testimonium dederit. Quin ipse Verrina secunda sic ait: fecit animo libentissimo populus Romanus, ut cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunijs de honore deijcerer: & Verrina tertia: comitijs meis, quum iste infinita largitione

contra me uteretur, populus Romanus iudicauit, istius prcu= niam, quæ apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. Quòd si ea unquàm fuisset opinio, aliquis aliquando aduersarius Ciceroni obiecisset. EGN. Obiecerunt fortasse multi, sed scripta non extant, in quibus id conosci poßit. COR. At ipsius Ciceronis extant orationes, in quibus quum reliqua, quæ sunt obiecta confutet, id quoque, si obiectum fuisset, aliqua ratione confutaret: extat & liber quadragesimus sextus Dionis, ubi Q. Fusius Calenus quum dicat ea, quæ nullus unquàm de Cicerone somniauit, multo magis id, si fuisset in opinione, diceret, quum præsertim calumnietur, eum nec in accusando Verre, nec in defendendis alijs officio boni oratoris functum fuisse. Nam post quàm multa de ratione dicendi, qua Cicero uteretur, dixit, ea tandem profert uerba, quæ nos ita uertimus: an aliquem putas esse, qui nesciat, te nullam ex orationibus tuis mirabilibus, quas edidisti, dixisse, sed omnes illas postea scripsisse, ut qui duces, & equitum magistros è luto fingunt? Quod si forte minus credis, reccordare, quo modo Verrem accusasti, & aliquid etiam ex arte patris ipsi præbens, quando ἐνόυρησας. Quid quòd illum Siculi, si modo fuisset opinio præuaricatum fuisse, postea semper odissent? atqui Plutarchus idem refert, Siculos beneficij memores ad eum Aedilem ex insula multa duxisse, & multa tulisse, quorum tamen ille nihil lucrifecerit, sed eorum liberalitate sit in eo tantum usus, ut res in foro uilius uenderentur: ipse uero sæpe, sed in oratione tamen pro Cn. Plancio præsertim testatur, Siculos usque adeo sibi coniunctos fuisse, ut, quum domo pulsus Siciliam peteret, ipsa penè insula sese obuiam ferre uoluerit. PIE. Inopem me copia facit. Nunc enim numos tales, & tam multos profers, ut ego nesciam, quem potißimum uel probem, uel in co=

dicem

dicem referam. COR. *Omnes censeo.* PIE. *Paucos dares.* COR. *Id ego libenter faciam, & nullos etiam multo libentius dabo.* EGN. *Nunc iniurato tibi credimus.* COR. *Creditores igitur estote.* EGN. *Satis diu fuimus: sed nunc ita conuenimus, ut tibi non liceat amplius conturbare.* COR. *Nec uelim quidem, si liceat, modo uos ipsi numos, ut dantur, accipiatis.* EGN. *Nos, ut dantur, omnes accipiemus, & hosce præsertim, qui sint ex auro Siculo, quod hodie ualde probatur, confecti: sed si tu, quasi canis festinans catulos cæcos pepereris, nihil erit postea, cur te quoque parum uidisse causeris: quum tam dudum intellexeris, eos numos auerti facile posse, qui non sint in codicem relati.* COR. *Vos referte.* PIE. *Quis celeritate scribendi tam multa persequi posit?* COR. *Multa quidem, fateor, congessi, quòd à Quæstore Quæsturam pluribus uerbis explicari posse iure quodam uidebam: sed, quoniam qualis ante Aedilitatem Cicero fuerit, est dictum, nunc paulum, ut uos, quæ dicta sunt, perscribatis, interquiescam.* EGN. *Quin tu iam pergis numos dare, postquàm uides eos, quos dedisti, omnes esse perscriptos? quid, inquam, spectas otiosus?* COR. *Nihil ego quidem specto, sed uideor mihi tamen ludos ueteres, quos Aediles faciebant, spectare.* EGN. *Tu potius ipse nobis ludos facis.* COR. *Viuis igitur facio, & me Aedilem esse memini.* EGN. *Tu, si sapies, huiuscemodi ludos illis, quibus debes, facies, & te Quæstorem nobis esse memineris.* COR. *Memini, sed æquum tamen uidetur, ut, quemadmodum Quæstor ante Quæstorem, sic Aedilis nunc Aedilem Ciceronem describam.* EGN. *Tu, & polypum, & chamæleontem, uel Proteum potius ipse cupis imitari, sed, quanto ipse magis formas te uertes in omnes, nos tanto magis tenacia uincula contendemus, donec talis eris mu-*

tato corpore, qualem uidimus, incœpto tegeres quum lumina somno. Nos enim te Quæstorem, non Aedilem nobis esse uolumus, ut numos, non autem ludos, spectare poßimus. COR. *At hic numus, quem nunc ipsi damus, non est Quæstorius, sed Aedilitius.* PIE. *Et nos non Quæstori, sed Aedili, ut Paulo Manutio, qui de Aedilibus, & cæteris magistratibus scripturum se pollicetur, acceptum referemus.* COR. *Id, me lubente, feceritis, præsertim quum inter me, & ipsum conuenerit, ut nostrum neuter in alterius prouinciam, quod etiam ueteri lege cautum erat, transiret.* PI. *Cur igitur tu transijsti?* COR. *Quin eam prouinciam quum petere in animo haberem, & iam tum prensare cœpissem, eam petitionem reliqui, ut is eam posset obtinere, tantum abest, ut in eam nunc ipse transierim.* PIE. *Amice fecisti, sed quo pacto hic numus ad te peruenit?* COR. *Quo pacto pecuniæ omnis generis ad Quæstores, qui magnas habeant prouincias, perueniunt, huc, & illuc à mercatoribus circunlatæ. An non credis, fore, ut ille quoque numos ex mea prouincia delatos soluat?* PIE. *Credo sanè, sed, ut est omnium modestißimus, & maxime ingenuus, quos ita delatos soluet, tuos esse fatebitur.* COR. *Faciet, ut ludebit: nos certe dabimus operam, ut digni uideamur, quibus aliquando parem gratiam referat: qua de tamen adhuc nullum uerbum fecit, tempus idoneum magis, ut credimus, expectans.* PIE. *Quum uir ille nulli, quæ sit ipsius humanitas, non retulerit, tibi quoque, si quam debet, primo quoque tempore referet.* COR. *Id illum facturum speramus, si quales nos erga se, & magistratum gerentes, & priuatos expertus sit, recordari uoluerit.* PIE. *Recordabitur, opinor, quando de Quæstoribus scribet, inter quos te referat, erit necesse.* COR. *Et quidem ita, ut me Quæstorem in se perhonorificum fuisse, uere poßit*

affirmare. PIE. *Quid affirmet? res ipsa loquitur.* COR. *Vt ut sit igitur, id ut lubentius ille faciat, seruabo fidem, nec de magistratibus quicquam, quod ad ipsius prouinciam separatim pertineat, referam: sed quos magistratus, & quo modo* Cicero *gesserit, simpliciter, & breuiter, ut sum pollicitus, exponam. Annos igitur triginta septem* Cicero *natus* Aedilitatem Q. Hortensio, Q. Metello *Consulibus anno ab urbe condita sexcentesimo octuagesimo quinto gessit, qunm prior, ut in oratione in* Pisonem *scribit, esset factus: &, quod ait in oratione pro* Muræna, *trinos ludos fecit: de quibus ante* Verrina *septima sic ipse fuerat locutus:* Nunc *sum designatus* Aedilis*: habeo rationem, quid à populo* Romano *acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cerimonia* Cereri, Libero, Liberæq; *faciendos: mihi* Floram *matrem populo, plebiq;* Romanæ *ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi* Romani *sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione* Ioui, Iunoni, Mineruæq; *esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam.* EGN. *Viden', ut seruat fidem? qui modo dixit, se de magistratibus nihil esse relaturum, is nunc* Aedilitatem *describit.* COR. Cicero *describit.* EGN. *Tu uerbis eius describis, & hoc commento quasi* Thracio *in aliena prouincia uersaris.* COR. *Mons* Amanus Ciceroni *cum* Bibulo *communis erat, & multa sunt huiuscemodi magistratibus prouincialibus communia, & eo magis, quòd prouinciarum fines solent maiores esse, quàm possessionum: in quibus tamen usucapionem duodecim tabulæ inter quinque pedes esse noluerunt: ut ego dici non possim in aliena prouincia uersari, si quid, quod commune sit, interdum, quum res postulet, usurpem: ut hoc ipsum, quod de* Ciceronis Aedilitate *referebam.* Vt *enim ad omnes* Aediles *pertineret,*

Cicero tamen de se ipse scripsit, & se non magnum sumptum fecisse tum libro secundo de officijs hisce uerbis est testatus: Nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominaui, sane exiguus sumptus Aedilitatis fuit. *hinc ait in oratione pro Murena se C. Antonij ludis commotum fuisse, quos ille sumptuosiores fecisset. Vnde nonnulli sunt suspicati, C. Antonium Ciceronis in Aedilitate collegam fuisse: quasi uero ludos facere non potuerit, nisi Ciceronis collega, ut tunc tamen esse non potuit, nisi forte nescioquo modo suffectus fuit M. Cæsonio, quem Cicero ipse Verrina secunda certe suum collegam uocat.* EGN. *Idem scribit Asconius, sed heus tu, cur item de collegis in Quæstura non aliquid ipse dixisti?* COR. *Quia, uerum ut fatear, oblitus fueram, & sciebam plures etiam fuisse, quàm ut inueniri possent. nam quum multæ prouinciæ, multi magistratus essent, totidem penè Quæstores erant: Aediles contrà tantum quatuor, bini curules, bini plebeij fiebant: unde Cicero in oratione in Pisonem dixit:* me Quæstorem in primis, Aedilem priorem populus Romanus fecit. *Quis igitur collegas omnes in Quæstura posset inuenire? Vnus tamē P. Antronius, quod ex oratione pro P. Sylla didicimus se collegam in Quæstura cōmemorabat fuisse. Iam quū de Aedilitate quæcūq; potuimus inuenire, dixerimus, ad Præturā properaremus, nisi nos Plutarchus reuocaret, qui de Aedilitate parum quum dixisset, hoc loco multa, quæ fortasse fuissent aliò transferendā, de uillis, & alijs rebus interposuit.* EG. *Videas Suetonium, Diogenem, Philostratum, Dionem, Spartianum, Lampridium, & alios, qui clarorum uirorum uitas descripserunt, idem propemodum fecisse: nec ordinem rerum semper, aut temporum seruasse, sed ea sæpe, quæ similia uiderentur, in unum locum contulisse: quod arbitrati sint, nihil referre, quo loco res ipsæ dicantur, in aliqua modo parte dicantur: præsertim quum scribendis uitis occurrant multa, quæ*

sæpius essent dicenda: quæque nullum certum locum habere uideantur. COR. *Quando tu hoc ipsum probas, nos hac in parte saltem Plutarchum sequemur, quamuis pugnantia loqui uideatur. Nam, quum paulo ante dixisset, Ciceronem paruam pecuniam possedisse, hoc loco scribit hoc modo: in Arpis uillam pulchram, & agrum prope Neapolim, & prope Pompeios alterum non magnos possedit. Dos Terentiæ uxoris centum uiginti millium, & hæreditas quædam ad nonaginta denariorum millia simul accesserunt.* EGN. *An putas Plutarchum pugnantia loqui, quòd Arpos pro Arpinati posuisse uideatur?* COR. *Illud ego, quum mihi nondum satis constet, an reliqui Græci sint ita locuti, negligentiæ uel eius, uel librariorum potius aßigno: & hoc pugnare dico, Ciceronem eodem penè tempore pauperem, & diuitem fuisse. Nam quem uiginti uersibus ante paruam pecuniam possedisse dixit, hic uel ditißimum fuisse testatur.* PIE. *Fortasse repente thesaurum, non carbones inuenit.* EGN. *Imo dotem, ut audis, magnam, & hæreditatem, ut ait Plautus, offertißimam, atque haud scio, an etiam sine sacris, est adeptus.* COR. *De tempore, quo Cicero illam creuit hæredtiatem, nihil habeo, quod affirmem: sed quo tempore Plutarchus eum scribit paruam pecuniam possedisse, eodem facile probem, non Terentiæ modo dote, sed etiam filia, quam postea tam ualde dilexit, auctum fuisse.* EGN. *Proba, si potes.* COR. *Refert igitur Plutarchus Ciceronem, quo tempore Verrem cœpit accusare, non admodum diuitem fuisse, quum tamen etiam multo ante Terentiæ dotem fuisset adeptus: quod ita cognoscimus. L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo Consulibus Cicero Tulliam C. Pisoni, ut ait in epistolis ad Atticum, despondit: à quo tempore si reuertes ad Cn. Pompeium, & M. Crassum Consules, quibus Cicero Verrem, ut diximus, accusauit, sex*

patrocinio Ciceronem nihil mercedis accepisse. Quis praeterea οἰκίαν πατρῴαν, domum paternam non uertat. PI. Qui legerit in Appiani libris à Catilina Ciceronem ἐνοικοῦντα, uel ἔνοικον, opinor, appellatum, quòd quasi nouus homo, & inquilinus, in alienis, & conductis aedibus habitaret. CO. Quid mirum, si fratri paternas concesserat? PIE. Per inquilinum, uel ἔνοικον, ut arbitror, Catilina uoluit eum significare, qui prorsus hospes esset in urbe, neque suas haberet, neque paternas aedes habuisset, uel per se, non per maiores notus esset, ut Appianus etiam uidetur interpretari. COR. Fortasse male, ut saepe, quum ciuis inquilinus apud Sallustium tantum uocetur, quod inter inquilinum ciuem, & ueterem uel hodie multum interesse uideatur. Cicero certe Romae domum paternam uidetur habuisse, quum pater etiam Romae uixerit, & filios, ut diximus, erudiendos Romae curarit, & Plutarchus hoc ita scribat, ut nemo posit dubitare. nisi forte dubitet, an Cicero, patre uiuo, fratri paternam domum potuerit concedere. Nam Plutarhus hoc ante Ciceronis Praeturam factum uidetur significare, quum pater, ut dicetur, in petitione Consulatus decesserit. Quòd si de patris uoluntate domum fratri dedit, & ipse prius, quàm domum emeret, prope palatium in aedibus conductis habitauit, à Catilina uere potuit inquilinus appellari. sin mortuo patre, quum post Consulatum de Crasso domum, ut dicemus, emisset, paterna domo cessit, & ita prope palatium in suis aedibus habitauit, & Plutarchus rem praepostere narrauit, & Appianus male fuit interpretatus: sed nos, quae restant ante Praeturam, reddamus. Obseruabant uero Ciceronem, quotidie ad eius ianuam accedentes, non pauciores, quàm Crassum propter diuitias, & Pompeium propter potentiam ex re militari comparatam: qui duo tum Romanorum maxime admirabiles, & maximi habeban-

tur. Pompeius etiam Ciceronem obseruabat. & sanè multum ipsi quum ad potentiam, tum ad gloriam Reip. administratio Ciceronis profuit. Præturam uero quum multi, & magni uiri simul peterent, omnium primus est ipse designatus. Et quanti quidem Pompeius Ciceronem fecerit, quantumq; rursus ipsi Cicero profuerit, alio fortasse loco dicetur, sed quod ipse primus omnium Prætor fuerit designatus in Bruto sic ipse testatur: Et Prætor primus, & incredibili populari uoluntate sum factus: & in oratione in Pisonem: Me Prætorem primum cunctis suffragijs populus Romanus fecit: & in oratione pro lege Manilia: propter dilationem comitiorum ter Prætor primus centurijs cunctis renanciatus sum. & primus, quòd octo Prætores eo tempore fierent, ut nos in Bruto pluribus ostendimus, & Ciceronis collegas hosce collegimus: C. Aquilium Gallum, Q. Nasonem, M. Pletorium, C. Flaminium, C. Orchinium, Q. Voconium, P. Caßium. sunt etiam, qui C. Antonium connumerent, quòd apud Asconium Cicero sic cum ipso loquatur: an oblitus es, te ex me, quum Præturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? & Quintus Cicero in libro de petitione Consulatus illum dicat, in Prætura competitorem fuisse: quod si credimus, necesse est dicere, uel tum plures fuisse Prætores, uel aliquem ex ijs, quos diximus, collegam non fuisse. EGN. Plaudite. COR. Cur ita? EGN. Quia non fabula modo tua, sed Aedilitas etiam Ciceronis acta nobis uidetur. PIE. Et quidem trinis ludis, ut audiuimus, uel potius spectauimus. COR. Spectaretis igitur, non etiam, plaudite, diceretis: quando spectatores aulæa manent, & usque sedent, donec cantor, uos plaudite, dicat? EGN. Cur ipsi tantum spectemus, & nihil ex aliorum partibus usurpemus, quum in ista fabula sic omnia misceantur, ut iam contrà, atque præcipiat Horatius, serpentes aui-

tione, quam Lilybei habuit, multa iis benigne promisisset. Accessit his non ignobilis futura de Verre *uictoria; quia à* Metellis, Scipionibus, *& multis alijs nobilibus uiris, & præcipue ab* Hortensio *ipso defenderetur, facile, & principe in senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam* Rege *causarum, & eodem Consule designato cum* Q. Metello *fratre* Metellorum, *alterius* Prætoris *Siculi, alterius* Prætoris *urbani.* His *ita constitutis, extitit* Q. *Cæcilius* Niger, *domo* Siculus, *&* Quæstor Verris, *& eiusdem, ut ipse dicebat, inimicus, qui se potius accusatorem contenderet constitui oportere: quo uicto, & accusatione ad se delata,* Cicero, *quum inquisitionis tempus in* Siciliam *postulasset dies* CX, *& cum filio patrui sui* Tullij *totam prouinciam colligendis literis in* Verrem, *& denunciandis testimonijs peragrasset diebus* L. *quia pedestre iter ex* Sicilia, *& propter fugitiuos & propter* Verris *insidias dubitabat, à* Vibone *transiit. tum repente adueniens, quum uideret id agi, ut à* Glabrione Prætore, *& ab iis iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum, alienumq́; Prætorem res tota transiret, eriperetur q́; sibi reus patrocinio* Hortensii, *ac* Metelli, *qui tunc Consules futuri erant, per hos enim* Verres *eludendi iudicij fiduciam sumpserat, hoc commentus est rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad unumquodque crimen expositum, & eos* Hortensio *interrogandos daret. qua arte ita est fatigatus* Hortensius, *ut nihil, quod contra diceret, inueniret.* EGN. *Hic exclamare posset* Asconius: *en queis conseuimus agros?* COR. *Et nos respondere, nobis, qui metamus.* EGN. *Alienam messem.* COR. *Imo nostram.* Nobis *enim ueteres agricolæ non serere modo, sed inserere etiam uoluerunt, ut carpamus poma nepotes.* EGN.

Hoc igitur ex hortis etiam Plutarchi carpere poteras. COR. *Poteram, si placeret: sed, ut uerum fatear, illius pomi neque gustatus, neque odoratus, neque aspectus iucundus uidebatur: quod tu etiam dices, si, quàm sagacißime potes, id fueris odoratus.* EGN. *Ostende igitur, ut odorari poßim.* COR. *Verrem, qui Siciliæ Prætor fuerat, & multa nequiter fecerat, Siculis persequentibus, ipse non dicens, sed ex eo, quòd quodam modo non dixit, in iudicio conuicit. Nam, quum Prætores Verri gratificarentur, & iudicium multis dilationibus in ultimum diem extraherent, Cicero, quod neque diei tempus orationibus suis satis fore, neq; iudicium perfectum iri uideret, surgens, orationibus opus non esse, dixit: sed, productis testibus, & interrogatis, iußit iudices sententiam ferre.* EGN. *Haud omnino satis bene olet.* COR. *Quippe quod nondum maturum satis esse uideatur. nam quos Plutarchus ait* στρατηγοὺς *Verri gratificatos, iudicium destulisse, illi nondum magistratum inierant. Quare neque autoritate sua iudicium differre, neque uere* στρατηγοὶ *poterant appellari, nisi forte uelis, alios imitatus* στρατηγοὺς *iudices uertere, quum Plutarchus per* στρατηγοὺς *Q. Hortensium, Q. Metellum Coss. & M. Metellum Prætorem, qui Verri fauebant, uoluisse complecti uideatur, sed existimasse, tunc illos in magistratu fuisse, qui tantum essent designati: qui cupiebant iudicium Verris non in ultimum, neque in unum diem, ut Plutarchus ostendit, sed in annum sequentem, & ad nouum Prætorem trasferre. quam rem Plutarchus in secunda Verrina ita scriptam uidere potuit: Nonæ sunt hodie Sextiles, hora nona conuenire cœpistis, hunc diem iam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos uotiuos, quos Cn. Pompeius facturus est: hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani sequentur. Ita prope XL. diebus in-*

terpositis, tum denique se ad ea, quæ à nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur: deinde se dicturos & dicendo, & excusando facile ad ludos Victoriæ: *cum his plebeios esse coniunctos, secundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt: ita defessa, ac refrigerata accusatione rem integram ad* M. Metellum *Prætorem esse uenturam.* E G. *Illius odor pomi iam præ huius odore nautea est, ut ait* Plautus. *sed heus tu quid agis?* Iam*pridem nobis non solum pro farina das uerba, quod aiunt, sed pro numis etiam poma numeras?* C O R. *Nihil id refert uestra, quum sint aurea, quasi ex hortis hesperidum decerpta. Vos enim numos ex his quos, & qua forma uoletis, cudendos curare poteritis.* E G N. *Quis capiet detrimentum?* C O R. *Idem, qui capiet emolumentum.* E G N. *Non uideo, quid hic esse posit emolumenti, nisi poma ista tua sint ita grauia, ut quum tot ex ipsis numi, quot esse debent, fuerint confecti, aliquid tamen auri reliquum sit futurum, quod in lucro poni posit.* C O R. *Videbunt monetales, qui & poma grauia, & aurum ita purum esse cognoscent, ut facile,* Mercurio *fauente, posit augeri.* E G. *Nos* Batti *non sumus, nec patiemur unquam, ut nos in lapides* Mercurius *iste conuertat.* C O R. *Id ego spero, quum uos ipse* Mercurius *ita diligat, ut uobis alas, quibus per ora uirum uolitetis, donasse uideatur: sed ille tamen more suo sæpe ludit, & eos, quos amat, offendit:* Hortensium *certe, &* Verrem *quum semper antea iuuisset, in lapides postea repente mutauit.* Nam *quum magnas utrique diuitias, & eloquentiam præterea* Q. Hortensio *dedisset, sic eos postea per Ciceronem arte, & eloquentia delusit, sic oppreßit, ut lapides dici merito possent: de quibus ita scribat* Asconius: *Ciceronis arte ita est fatigatus* Hortensius, *ut nihil, contra quod diceret, inueniret: ipse etiam* Verres, *desperato patrocinio, sua spon-*

te discederet in exilium. item: multis diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producuntur criminum diuersorum, dum recitantur publicæ, priuatæq; literæ: quibus rebus adeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret: adeo perculsus Verres, ut abiret in exilium sua sponte. & Lactantius inquit: Ciceronis industria defensores Verris uel oppreßit, uel gratiæ restitit. Hinc Cicero sic in Oratore dixit: Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius: & si Quintilianus ostendit, eum respondisse, quum studiosos hortatur, ut orationes Hortensii pro Verre legant: quas tamen Hortensium postea scripsisse, non tum dixisse puto, ut Cicero reliquas Verrinas post primam, & secundam scripsit, non dixit: quod Asconius ita refert: Adeo perculsus Verres, ut abiret in exilium sua sponte: nec quid amplius in iudicio gestum est, nisi quòd Tullius metuens, ne tantum negotium penè tacitum præteriret, finxit Verrem comperendinationi præsto fuisse, ut bis defensus accusaretur iterum, & quemadmodum uictoriæ consuluerat breuitate dicendi, ita laudem eloquentiæ tanquàm repetita accusatione est consecutus reliquorum conscriptione librorum, qui cæteros consequuntur. item, Deinceps hæc omnia non dicta, sed scripta sunt contra eum, quod ita factum est. fingit Cicero adesse in iudicio Verrem comperendinatum, & respondere citatum, & defendi. in cæteris enim orationibus defensor futurus, accusationis officium his libris, qui Verrinarum nomine nuncupantur, compensare decreuit: & quoniam accusare multos indecorum Tullio uidebatur, in una causa uim huius artis, & eloquentiæ demonstrare. nam & bene intelligentes omnem uirtutem oratoriam, quæcunque in criminationibus constituta est, hic expressam uident: & contrà ex hoc defensionum uim in cæteris orationibus, & neruos eius ex hac uir-

tute cognoscunt, quæ in opprimendo exprimitur reo. Verres igitur abijt in exilium, cui postea uel ab amicis relicto Seneca Ciceronem ipsum scribit affuisse: quem Plinius etiam refert non alia de causa proscriptum postea fuisse ab Antonio, quàm quòd Corinthijs se ei cessurum negasset. hinc à Seneca dicitur proscriptus perijsse, & à Lactantio felix in eo fuisse, quòd ante suam mortem crudelißimum exitum sui accusatoris audiuit. EGN. Non reddis ea, quæ Plutarchus de iocis hoc loco refert. COR. Iam nunc, quum accepero, reddam, & quidem mensura, ut iubet Hesiodus, cumulatiore. Verrem, inquit Plutarchus, Romani porcum non castratum uocant. Quòd igitur libertinus homo nomine Cæcilius Iudæorum moribus addictus, Verrem, Siculis reiectis, uolebat accusare, quid, inquit Cicero, Iudæo cum porco? Habebat autem Verrem filium puberem, qui formam non, ut decet ingenuum, custodisse dicebatur. ut mollis igitur Cicero à Verre accusatus, filios, inquit, oportet domi castigare. EGN. Eadem, non cumulatiore, ut dicebas, mensura reddidisti. COR. Quatuor igitur iocorum tunc è nomine Verris dictorum cumulus accedat. Repente è uestigio ex homine tanquàm aliquo circeo poculo factus est Verres: alij negabant, mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum: alij Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset: aiebant Siculi, in labores Herculis non minus hunc immanißimum Verrem, quàm illum aprum Erymanthium referri oportere. EG. Placet cumulus, qui de Verre factus, è Verrinis sit etiam collectus. COR. Sit ille multo maior cumulus, si nunc ex ijsdem Verrinis ea, quæ tunc in Hortensium dixit, colligam: sed non faciam, ut in ea parte multus esse uidear, in qua Plutarchus unum tantum de sphinge referat: illud potius, quod idem Plutarchus addit, considerabo: Verre condemnato, Cicero, quum litem septin-

gentis & quinquaginta millibus æstimandam curasset, non effugit calumniam, quòd argento corruptus multam diminuisset. nam calumnia uidetur ex eo nata, quod ita scribit Asconius: *quamuis sestertium quadringenties à* Verre *petitum esset, septuagies tamen dupli nomine exigi uisus est., ad gratiam ne* Hortensij, *an suam, an etiam conniuentia* Ciceronis *ipsius, parum comperimus: quod idem sic etiam defendit. frustra calumniantur* Ciceronem *quidam homines, & modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadringenties: quum primum non suo ore, sed Siculorum loquatur accusatorie uociferantium: deinde, si maxime ad eum referenda sunt, quæ dicit, adhuc non instructus sit contra* Verrem, *nec ad plenum nouerit causam. tertio, cur aut calumniatoris, aut præuaricatoris personam subeat, quum aliud agatur? non enim de condemnando* Verre, *sed de constituendo accusatore confligitur. postremo, cur id fraudi sit* Ciceroni, *quum ad tempus oratorum dicta proferantur? nam eodem modo erit contrarium præsenti actioni, quod alibi dicit, oratione uictum à se* Cæcilium, *qui idoneas causas ad accusandum* Verrem *multas protulisset.* Quibus *tamen ex uerbis apparet, homines illos existimasse,* Ciceronem *diuersa potius scripsisse, quàm pecunias accepisse: sed* Plutarchus, *quum uideret, litem multo minoris æstimatam fuisse, quàm quantum fuerat à principio repetitum, arbitratus est, calumniam, quasi* Cicero *præuaricatus esset, fuisse: quasi uero lites non semper ferè minoris æstimentur, & de* Cicerone *talis opinio nasci potuerit, cui* M. *olim* Cato *integritatis, iustitiæ, clementiæ, fidei testimonium dederit.* Quin *ipse* Verrina *secunda sic ait: fecit animo libentissimo populus* Romanus, *ut cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunijs de honore deijcerer: &* Verrina *tertia: comitijs meis, quum iste infinita largitione*

contra me uteretur, populus Romanus iudicauit, istius preuaricationem, quæ apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. Quod si ea unquàm fuisset opinio, aliquis aliquando aduersarius Ciceroni obiecisset. EGN. *Obiecerunt fortasse multi, sed scripta non extant, in quibus id conosci posit.* COR. *At ipsius* Ciceronis *extant orationes, in quibus quum reliqua, quæ sunt obiecta confutet, id quoque, si obiectum fuisset, aliqua ratione confutaret: extat & liber quadragesimus sextus* Dionis, *ubi* Q. *Fusius Calenus quum dicat ea, quæ nullus unquàm de* Cicerone *somniauit, multo magis id, si fuisset in opinione, diceret, quum præsertim calumnietur, eum nec in accusando* Verre, *nec in defendendis alijs officio boni oratoris functum fuisse.* Nam *post quàm multa de ratione dicendi, qua* Cicero *uteretur, dixit, ea tandem profert uerba, quæ nos ita uertimus: an aliquem putas esse, qui nesciat, te nullam ex orationibus tuis mirabilibus, quas edidisti, dixisse, sed omnes illas postea scripsisse, ut qui duces, & equitum magistros è luto fingunt?* Quod *si forte minus credis, reccordare, quo modo* Verrem *accusasti, & aliquid etiam ex arte patris ipsi præbens, quando ἰνόυριααὶ.* Quid *quòd illum* Siculi, *si modo fuisset opinio præuaricatum fuisse, postea semper odissent? atqui* Plutarchus *idem refert,* Siculos *beneficij memores ad eum* Aedilem *ex insula multa duxisse; & multa tulisse, quorum tamen ille nihil lucrifecerit, sed eorum liberalitate sit in eo tantum usus, ut res in foro uilius uenderentur: ipse uero sæpe, sed in oratione tamen pro* Cn. Plancio *præsertim testatur,* Siculos *usque adeo sibi coniunctos fuisse, ut, quum domo pulsus* Siciliam *peteret, ipsa pene insula sese obuiam ferre uoluerit.* PIE. *Inopem me copia facit.* Nunc *enim numos tales, & tam multos profers, ut ego nesciam, quem potißimum uel probem, uel in condicem*

dicem referam. COR. *Omnes censeo.* PIE. *Paucos dares.* COR. *Id ego libenter faciam, & nullos etiam multo libentius dabo.* EGN. *Nunc iniurato tibi credimus.* COR. *Creditores igitur estote.* EGN. *Satis diu fuimus: sed nunc ita conuenimus, ut tibi non liceat amplius conturbare.* COR. *Nec uelim quidem, si liceat, modo uos ipsi numos, ut dantur, accipiatis.* EGN. *Nos, ut dantur, omnes accipiemus, & hosce præsertim, qui sint ex auro Siculo, quod hodie ualde probatur, confecti: sed si tu, quasi canis festinans catulos cæcos pepereris, nihil erit postea, cur te quoque parum uidisse causeris: quum iam dudum intellexeris, eos numos auerti facile posse, qui non sint in codicem relati.* COR. *Vos referte.* PIE. *Quis celeritate scribendi tam multa persequi posit?* COR. *Multa quidem, fateor, congessi, quòd à Quæstore Quæsturam pluribus uerbis explicari posse iure quodam uidebam: sed, quoniam qualis ante Aedilitatem Cicero fuerit, est dictum, nunc paulum, ut uos, quæ dicta sunt, perscribatis, interquiescam.* EGN. *Quin tu iam pergis numos dare, postquàm uides eos, quos dedisti, omnes esse perscriptos? quid, inquam, spectas otiosus?* COR. *Nihil ego quidem specto, sed uideor mihi tamen ludos ueteres, quos Aediles faciebant, spectare.* EGN. *Tu potius ipse nobis ludos facis.* COR. *Viuis igitur facio, & me Aedilem esse memini.* EGN. *Tu, si sapies, huiuscemodi ludos illis, quibus debes, facies, & te Quæstorem nobis esse memineris.* COR. *Memini, sed æquum tamen uidetur, ut, quemadmodum Quæstor ante Quæstorem, sic Aedilis nunc Aedilem Ciceronem describam.* EGN. *Tu, & polypum, & chamæleontem, uel Proteum potius ipse cupis imitari, sed, quanto ipse magis formas te uertes in omnes, nos tanto magis tenacia uincula contendemus, donec talis eris mu-*

E

tato corpore, qualem uidimus, incœpto tegeres quum lumina somno. Nos enim te Quæstorem, non Aedilem nobis esse uolumus, ut numos, non autem ludos, spectare poßimus. COR. *At hic numus, quem nunc ipsi damus, non est Quæstorius, sed Aedilitius.* PIE. *Et nos non Quæstori, sed Aedili, ut Paulo Manutio, qui de Aedilibus, & cæteris magistratibus scripturum se pollicetur, acceptum referemus.* COR. *Id, me lubente, feceritis, præsertim quum inter me, & ipsum conuenerit, ut nostrum neuter in alterius prouinciam, quod etiam ueteri lege cautum erat, transiret.* PI. *Cur igitur tu transisti?* COR. *Quin eam prouinciam quum petere in animo haberem, & iam tum prensare cœpissem, eam petitionem reliqui, ut is eam posset obtinere, tantum abest, ut in eam nunc ipse transierim.* PIE. *Amice fecisti, sed quo pacto hic numus ad te peruenit?* COR. *Quo pacto pecuniæ omnis generis ad Quæstores, qui magnas habeant prouincias, perueniunt, huc, & illuc à mercatoribus circunlatæ. An non credis, fore, ut ille quoque numos ex mea prouincia delatos soluat?* PIE. *Credo sanè, sed, ut est omnium modestißimus, & maxime ingenuus, quos ita delatos soluet, tuos esse fatebitur.* COR. *Faciet, ut ludebit: nos certe dabimus operam, ut digni uideamur, quibus aliquando parem gratiam referat: qua de tamen adhuc nullum uerbum fecit, tempus idoneum magis, ut credimus, expectans.* PIE. *Quum uir ille nulli, quæ sit ipsius humanitas, non retulerit, tibi quoque, si quam debet, primo quoque tempore referet.* COR. *Id illum facturum speramus, si quales nos erga se, & magistratum gerentes, & priuatos expertus sit, recordari uoluerit.* PIE. *Recordabitur, opinor, quando de Quæstoribus scribet, inter quos te referat, erit necesse.* COR. *Et quidem ita, ut me Quæstorem in se perhonorificum fuisse, uere poßit*

affirmare. PIE. Quid affirmet? res ipsa loquitur. COR. Vt ut sit igitur, id ut lubentius ille faciat, seruabo fidem, nec de magistratibus quicquam, quod ad ipsius prouinciam separatim pertineat, referam: sed quos magistratus, & quo modo Cicero gesserit, simpliciter, & breuiter, ut sum pollicitus, exponam. Annos igitur triginta septem Cicero natus Aedilitatem Q. Hortensio, Q. Metello Consulibus anno ab urbe condita sexcentesimo octuagesimo quinto gessit, quum prior, ut in oratione in Pisonem scribit, esset factus: &, quod ait in oratione pro Muræna, trinos ludos fecit: de quibus ante Verrina septima sic ipse fuerat locutus: Nunc sum designatus Aedilis: habeo rationem, quid à populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cerimonia Cereri, Libero, Liberæq; faciendos: mihi Floram matrem populo, plebiq; Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæq; esse faciendos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam. EGN. Viden', ut seruat fidem? qui modo dixit, se de magistratibus nihil esse relaturum, is nunc Aedilitatem describit. COR. Cicero describit. EGN. Tu uerbis eius describis, & hoc commento quasi Thracio in aliena prouincia uersaris. COR. Mons Amanus Ciceroni cum Bibulo communis erat, & multa sunt huiuscemodi magistratibus prouincialibus communia, & eo magis, quod prouinciarum fines solent maiores esse, quàm possessionum: in quibus tamen usucapionem duodecim tabulæ inter quinque pedes esse noluerunt: ut ego dici non possim in aliena prouincia uersari, si quid, quod commune sit, interdum, quum res postulet, usurpem: ut hoc ipsum, quod de Ciceronis Aedilitate referebam. Vt enim ad omnes Aediles pertineret,

Cicero tamen de se ipse scripsit, & se non magnum sumptum fecisse tum libro secundo de officijs hisce uerbis est testatus: Nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominaui, sane exiguus sumptus Aedilitatis fuit. *hinc ait in oratione pro Muræna se C. Antonij ludis commotum fuisse, quos ille sumptuosiores fecisset. Vnde nonnulli sunt suspicati, C. Antonium Ciceronis in Aedilitate collegam fuisse: quasi uero ludos facere non potuerit, nisi Ciceronis collega, ut tunc tamen esse non potuit, nisi forte nescioquo modo suffectus fuit M. Cæsonio, quem Cicero ipse Verrina secunda certe suum collegam uocat.* EGN. *Idem scribit Asconius, sed heus tu, cur item de collegis in Quæstura non aliquid ipse dixisti?* COR. *Quia, uerum ut fatear, oblitus fueram, & sciebam plures etiam fuisse, quàm ut inueniri possent. nam quum multæ prouinciæ, multi magistratus essent, totidem pene Quæstores erant: Aediles contrà tantum quatuor, bini curules, bini plebeij fiebant: unde Cicero in oratione in Pisonem dixit: me Quæstorem in primis, Aedilem priorem populus Romanus fecit. Quis igitur collegas omnes in Quæstura posset inuenire? Vnus tamē P. Antronius, quod ex oratione pro P. Sylla didicimus se collegam in Quæstura cōmemorabat fuisse. Iam quū de Aedilitate quæcūq; potuimus inuenire, dixerimus, ad Præturā properaremus, nisi nos Plutarchus reuocaret, qui de Aedilitate parum quum dixisset, hoc loco multa, quæ fortasse fuissent aliò transferendā, de uillis, & alijs rebus interposuit.* EG. *Videas Suetonium, Diogenem, Philostratum, Dionem, Spartianum, Lampridium, & alios, qui clarorum uirorum uitas descripserunt, idem propemodum fecisse: nec ordinem rerum semper, aut temporum seruasse, sed ea sæpe, quæ similia uiderentur, in unum locum contulisse: quod arbitrati sint, nihil referre, quo loco res ipsæ dicantur, in aliqua modo parte dicantur: præsertim quum scribendis uitis occurrant multa, quæ*

sæpius essent dicenda: quæque nullum certum locum habere uideantur. COR. *Quando tu hoc ipsum probas, nos hac in parte saltem* Plutarchum *sequemur, quamuis pugnantia loqui uideatur.* Nam, *quum paulo ante dixisset,* Ciceronem *paruam pecuniam possedisse, hoc loco scribit hoc modo: in* Arpis *uillam pulchram, & agrum prope* Neapolim, *& prope* Pompeios *alterum non magnos possedit.* Dos Terentiæ *uxoris centum uiginti millium, & hæreditas quædam ad nonaginta denariorum millia simul accesserunt.* EGN. *An putas* Plutarchum *pugnantia loqui, quòd* Arpos *pro* Arpinati *posuisse uideatur?* COR. *Illud ego, quum mihi nondum satis constet, an reliqui* Græci *sint ita locuti, negligentiæ uel eius, uel librariorum potius aßigno: & hoc pugnare dico,* Ciceronem *eodem penè tempore pauperem, & diuitem fuisse.* Nam *quem uiginti uersibus ante paruam pecuniam possedisse dixit, hic uel ditißimum fuisse testatur.* PIE. Fortasse *repente thesaurum, non carbones inuenit.* EGN. *Imo dotem, ut audis, magnam, & hæreditatem, ut ait* Plautus, *offertißimam, atque haud scio, an etiam sine sacris, est adeptus.* COR. *De tempore, quo* Cicero *illam creuit hæredtiatem, nihil habeo, quod affirmem: sed quo tempore* Plutarchus *eum scribit paruam pecuniam possedisse, eodem facile probem, non* Terentiæ *modo dote, sed etiam filiæ, quam postea tam ualde dilexit, auctum fuisse.* EGN. *Proba, si potes.* COR. *Refert igitur* Plutarchus Ciceronem, *quo tempore* Verrem *cœpit accusare, non admodum diuitem fuisse, quum tamen etiam multo ante* Terentiæ *dotem fuisset adeptus: quod ita cognoscimus.* L. Iulio Cæsare, C. Marcio Figulo *Consulibus* Cicero Tulliam C. Pisoni, *ut ait in epistolis ad* Atticum, *despondit: à quo tempore si reuertes ad* Cn. Pompeium, *&* M. Crassum *Consules, quibus* Cicero Verrem, *ut diximus, accusauit, sex*

annos summum numerabis: quot annos natam filiam, nedum minorem, Cicero nunquàm, meo quidem iudicio, despondisset. Sed dotem, sed hæreditatem mittamus, Cicero, qui treis fundos, & Romæ domum dicatur habuisse, diues etiam debet uideri: quanquàm M. Crassus neminem, nisi qui exercitum suis fructibus alere posset, tum diuitem esse dicebat: postea certe Cicero diues fuit, qui uillas non duodeuiginti quidem, ut Blondus curiose magis, quàm uere collegit, sed multas tamen habuit, &, quod in secunda Philippica scribit, amplius HS. ducenties acceptum hæreditatibus retulit. sed hæc posterius, illud Plutarchus addit: Hisce rebus cum Græcis conuictoribus, & Romanis, qui disputandi essent studiosi, quos Græci φιλολόγους uocant, liberaliter simul, & temperanter uixit. Hinc libro primo scripsit ad Atticum: Nos præter cæteros φιλέλληνες & sumus, & habemur: & in Oratore: Doctißimis hominibus domus referta fuit: & libro primo de natura Deorum: philosophabamur, quod & orationes declarant refertæ philosophorum sententijs, & doctißimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poßidonius, à quibus instituti sumus: quæ uerba nos etiam supra retulimus: & libro secundo, & decimo tertio ad Atticum se delectatum fuisse φιλολογίᾳ, & φιλολόγοις hominibus ostendit. EGN. Plutarchus igitur in hoc pugnantia non loquitur. COR. Nec in eo, quod sequitur: Raro, si unquàm, ante solis occasum non tam propter negotia, quàm propter corpus stomachi causa male affectum discumbebat. PIE. Cœnandi, an dormiendi causa? COR. Cœnandi: nam, quum cæteri, ut constat, hora nona cœnarent, Cicero, ut stomacho laborans, in noctem cœnam differebat, nisi foris cœnaret, ut quum scripsit ad Papirium Pætum, se hora nona, ut cœnaret,

apud Volumnium Eutrapelum accubuisse. Ipse certe non semel affirmat, se noctu cœnasse, quum literas uel scripsit ipse, uel ab amicis accepit. Quare, *qui uertunt ex* Plutarcho κατακλίνεσθαι *dormire, possunt illi quidem defendi, quòd stomacho laborantibus quies à medicis concedatur, sed tamen hoc loco* Plutarchus *ostendit,* Ciceronem, *quum ferè semper post solis occasum discumberet, aliter, atque alij facerent, qui ante solis occasum discumbebant, fecisse.* Nec *alij præterea solebant ante solis occasum dormire.* PIE. *Placet interpretatio, præsertim quum* Plutarchus *addat, id eum non tam propter negotia, quàm propter ualetudinis imbecillitatem fecisse.* COR. *Addit & illud:* Erat *& in alijs corporis curationibus diligens, & multus adeo, ut & frictionibus, & ambulationibus numero definitis uteretur, hoc modo sic habitum corporis firmauit, ut ad multas, & magnas contentiones, ac labores accommodarit.* EGN. Non *tu quidem de eadem fidelia duos parietes dealbas, sed eodem numo duo nomina dissoluis.* COR. Qui *fieri potest, quum uos statim numos omnes accipiatis?* EGN. Nescio, *nisi recordor, te nobis hunc numum prius etiam dedisse.* COR. Quod *dedi, uos habetis, ne me furti putetis accusandum.* PIE. Verum *dicit* Egnati: *ecce tibi numus, quem dedit.* EGN. Consimiles *sunt adeo, ut, quod ait* Blepharo Plautinus, *utri adsim, nesciam.* COR. Nil *mirum, quum uterque sit ex auro* Chæroneo, *& ab eodem artifice factus: sed domum redeamus, id est de* Ciceronis *domo loquamur, ita prius illa* Plutarchi *uerba uertentes:* Domum *quidem paternam fratri concessit, ipse uero prope palatium, ne, qui ipsum obseruabant, longe uenientes, grauarentur, habitauit.* PIE. Vidi, *qui uerterent: domum, quam è patrocinio habuit, fratri concessit.* COR. Vt *secum pugnet* Plutarchus, *qui supra dixit, ex*

patrocinio Ciceronem nihil mercedis accepisse. Quis præterea οἰκίαν πατρῴαν, *domum paternam non uertat.* PI. *Qui legerit in Appiani libris à Catilina Ciceronem* ἐνοικοῦντα, *uel* ἔνοικον, *opinor, appellatum, quòd quasi nouus homo, & inquilinus, in alienis, & conductis ædibus habitaret.* CO. *Quid mirum, si fratri paternas concesserat?* PIE. *Per inquilinum, uel* ἔνοικον, *ut arbitror, Catilina uoluit eum significare, qui prorsus hospes esset in urbe, neque suas haberet, neque paternas ædes habuisset, uel per se, non per maiores notus esset, ut Appianus etiam uidetur interpretari.* COR. *Fortasse male, ut sæpe, quum ciuis inquilinus apud Sallustium tantum uocetur, quod inter inquilinum ciuem, & ueterem uel hodie multum interesse uideatur. Cicero certe Romæ domum paternam uidetur habuisse, quum pater etiam Romæ uixerit, & filios, ut diximus, erudiendos Romæ curarit, & Plutarchus hoc ita scribat, ut nemo possit dubitare. nisi forte dubitet, an Cicero, patre uiuo, fratri paternam domum potuerit concedere. Nam Plutarhus hoc ante Ciceronis Præturam factum uidetur significare, quum pater, ut dicetur, in petitione Consulatus decesserit. Quòd si de patris uoluntate domum fratri dedit, & ipse prius, quàm domum emeret, prope palatium in ædibus conductis habitauit, à Catilina uere potuit inquilinus appellari. sin mortuo patre, quum post Consulatum de Crasso domum, ut dicemus, emisset, paterna domo cessit, & ita prope palatium in suis ædibus habitauit, & Plutarchus rem præpostere narrauit, & Appianus male fuit interpretatus: sed nos, quæ restant ante Præturam, reddamus. Obseruabant uero Ciceronem, quotidie ad eius ianuam accedentes, non pauciores, quàm Crassum propter diuitias, & Pompeium propter potentiam ex re militari comparatam: qui duo tum Romanorum maxime admirabiles, & maximi habeban-*

tur. Pompeius *etiam* Ciceronem *obseruabat*. *& sanè multum ipsi quum ad potentiam, tum ad gloriam* Reip. *administratio* Ciceronis *profuit*. Præturam *uero quum multi, & magni uiri simul peterent, omnium primus est ipse designatus*. Et *quanti quidem* Pompeius Ciceronem *fecerit, quantumq́; rursus ipsi* Cicero *profuerit, alio fortasse loco dicetur, sed quod ipse primus omnium* Prætor *fuerit designatus in* Bruto *sic ipse testatur*: Et Prætor *primus, & incredibili populari uoluntate sum factus: & in oratione in* Pisonem: Me Prætorem *primum cunctis suffragijs populus* Romanus *fecit: & in oratione pro lege* Manilia: *propter dilationem comitiorum ter* Prætor *primus centurijs cunctis renanciatus sum. & primus, quòd octo* Prætores *eo tempore fierent, ut nos in* Bruto *pluribus ostendimus, &* Ciceronis *collegas hosce collegimus*: C. Aquilium Gallum, Q. Nasonem, M. Pletorium, C. Flaminium, C. Orchinium, Q. Voconium, P. Caßium. *sunt etiam, qui* C. Antonium *connumerent, quòd apud* Asconium Cicero *sic cum ipso loquatur: an oblitus es, te ex me, quum* Præturam *peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? &* Quintus Cicero *in libro de petitione* Consulatus *illum dicat, in* Prætura *competitorem fuisse: quod si credimus, necesse est dicere, uel tum plures fuisse* Prætores, *uel aliquem ex ijs, quos diximus, collegam non fuisse*. EGN. Plaudite. COR. *Cur ita?* EGN. *Quia non fabula modo tua, sed* Aedilitas *etiam* Ciceronis *acta nobis uidetur*. PIE. Et *quidem trinis ludis, ut audiuimus, uel potius spectauimus*. COR. *Spectaretis igitur, non etiam, plaudite, diceretis: quando spectatores aulæa manent, & usque sedent, donec cantor, uos plaudite, dicat*. EGN. *Cur ipsi tantum spectemus, & nihil ex aliorum partibus usurpemus, quum in ista fabula sic omnia misceantur, ut iam contrà, atque præcipiat* Horatius, *serpentes aui-*

bus geminentur, tigribus agni? COR. *Quid hoc sit?* EGN. *Prætores Aedilibus miscentur.* COR. *Prætores potius designati cum uiris Aedilitijs iunguntur. Vt enim Quæstorij Quæstura functi, sic Aedilitij, qui prius Aediles fuissent, dicebantur, qui postea Prætores fieri solebant, ut Cicero quum fuisset Aedilis, & Aedilitius, tum demum Prætor est designatus.* PIE. *Quot annos Aedilitius fuit?* COR. *Duos, opinor, quot inter Aedilitatem, & Præturam docet ipse interfuisse, dum ita scribit ad Furnium: Non est annus hic tibi destinatus, ut si Aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset.* PIE. *Si Cicero triginta septem natus annos, ut dixisti, Aedilitatem gessit, & duos annos Aedilitius fuit, annum quadragesimum, Prætor quum fuit, agebat.* COR. *Agebat, ut puto, uel quadragesimum, uel quadragesimum primum, ut mos erat: quum Prætor quæstioni de pecunijs repetundis, ut ostendit in oratione pro Cluentio, præfuit, & C. Licinium Macrum condemnauit, & quod in epistolis ad Atticum refert, ex ea re magnum fructum cepit. Is enim Macer, qui, quod Plutarchus ait, & per se multum posset in ciuitate, & Crasso fautore uteretur, quum furti reus apud Ciceronem factus esset, potentia, & studio fretus, & iudicibus adhuc sententiam differentibus, domum profectus, dicitur statim caput totondisse, & togam puram tanquam uictor induisse, ac rursus in forum redijsse, sed, quum Crassus ei prope uestibulum occurrisset, ac dixisset, eũ sententijs omnibus damnatum fuisse, reuersus, discubuisse, nec ita multo post obijsse: quæ res Ciceroni gloriã, tanquam iudicia diligẽter exerceret, dicitur attulisse. Hãc rem Valerius Maximus ita refert: C. Licinius Macer uir Prætorius Calui pater repetundarum reus, dum sententiæ dicerẽtur, in Mænianũ conscendit: siquidem quum M. Ciceronẽ, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem uidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum perijsse, nec*

sua bona hastæ posse subijci: ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis, incluso spiritu pœnam morte præcurrit: qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciauit. PIE. *Qui fuit igitur damnatus, si Cicero de eo nihil pronunciauit?* COR. *Dicam, quod sentio: condemnatus est ille quidem iudicum tabellis, sed Cicero, quum intellexisset illum interea perijsse, sententiam non pronunciauit; quanquàm sic ipse in epistolis ad Atticum scribit:* Nos hic *incredibili, ac singulari populi uoluntate de C. Macro transegimus: cui quum æqui fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus, quàm ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* PIE. *Meminerat Cicero Thebis imagines reliquorum quidem iudicum sine manibus fuisse, summi uero iudicis eam, quæ clausos oculos haberet, ut significarent, iustitiam neque muneribus capi, neque hominum uultu moueri.* COR. *Mirum, quin dixeris, quod Diodorus de tuis Aegyptijs scribit: apud eos iudicem fuisse, de cuius collo signum penderet, quod illi ueritatem uocabant, ut ostenderet, eam in omnibus iudicijs esse spectandam.* PIE. *Hoc dixi, quod credam Ciceronem, ut res aliorum populorum sciret, in Græcorum tamen rebus multo magis uersatum fuisse.* COR. *Quòd in Græcia fuisset, & quum alia, tum uel in primis nosset, Athenis decretum fuisse, ne iudices Areopagitæ commouerentur. Quæ quidem omnia, & alia multo plura, quæ nobis suspicari potius, quàm diuinare licet, quum Cicero sciret, & se talem præstare uellet, qualem decet optimum iudicem esse, neque Crassi potentia, neque Macri gratia, neque Vatinij uerbis ipse tum potuit commoueri. Vatinius enim quum asperitate quadam, & contemptione aduersus magistratus in patrocinijs uteretur, & collum strumarum plenum haberet, à Cicerone nescioquid præsens*

petebat: & quum Cicero non daret, sed diu deliberaret, dixit, ea de re se, si Prætor esset, non dubitaturum: Cicero conuersus, at ego, inquit, tale guttur non habeo. Quum duo, uel tres adhuc dies in magistratu Ciceroni superessent, Manilium quidam de furto postulauit: ipse uero Manilius beneuolentiam, & studium populi habebat, quod agitari propter Pompeium, cuius erat amicus, putabatur. quum uero Manilius diem peteret, unam, quæ superesset, Cicero dedit, & populus indigne tulit, quòd mos esset, ut Prætores decem minimum dies reis darent. Quare Tribuni plebis illum productum in concionem de superiore loco grauiter accusabant: quos ille quum rogasset, ut audirent, dixit, se, quum reis semper, quantum leges permitterent, mitis, & mansuetus fuisset, absurdum putasse, non eadem Manilio tribuere, itaque cuius diei dominus esset adhuc Prætor, eam dedita opera constituisse, ad alium enim magistratum iudicium reijcere, non esse hominis, qui uelit auxiliari. Hæc dicens, mirabiliter animos populi mutauit ita, ut omnes eum, multum commendantes, rogarent, ut Manilij patrocinium susciperet: quod ille libenter, præsertim propter Pompeium, recepit: & ingressus in causam, quasi popularis iterum concionatus est, eos, qui paucorum statu gauderent, & Pompeio inuiderent, uehementer accusans. PIE. Is ne tibi uidetur esse Manilius, cuius legem Cicero suasit? COR. Mihi uero uidetur. Nam Tribunus plebis quum esset, duas leges tulit, unam perniciosam, alteram egregiam, ut ipse Cicero in oratione pro Cornelio scripsit: ubi sic Asconius interpretatur: supra de his legibus: quarum una de libertorum suffragijs, quæ quum S. C. damnata esset, ab ipso quoque Manilio abiecta est: altera de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando. Et de lege quidem Manilia, quam Cicero suasit, ex oratione constat, de altera uero

ita scribit Asconius: Quum C. Manilius Tribunus plebis subnixus libertinorum, & seruorum manu perditißimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, & cliuum capitolinum obsideret, discusserat, perruperatq; cœtum Domitius ita, ut multi Manilianorum interficerentur. Quæ uerba nos in Bruto & explicauimus, & ostendimus C. Manilium ubique legi oportere. PIE. *At nihil, opinor, de diebus decem, quos Prætores reis darent, dixisti?* COR. *Nunc dicam, quod ita scribit Asconius: P. Caßius Prætor decimo die, ut mos est, adesse iußit: quem morem Cicero in epistolis ad Q. fratrem ita significat: Cognosce nunc Idus. Decimus erat Cælio dies. Domitius ad numerum iudices non habuit.* PIE. *Tu nunc interpres uere potes appellari, qui Plutarchi uerba non solum uertas, sed etiam diligenter interpreteris.* COR. *Ego, qui paream Consuli, laudabor: tu, qui nunc imperes, culpam, si qua fuerit, ipse sustinebis.* PIE. *Recte facis, quum addis, si qua fuerit. nam quæ culpa potest esse in eo sermone, qui de literis, & rebus ad literas pertinentibus, siue paruæ, siue magnæ sint illæ, totus habeatur? neque enim res omnes magnæ esse possunt, & nobis natura semper est imitanda, quæ ut elephantes, sic etiam culices procreauit.* COR. *Iam, si tibi uoles constare, patieris, me tibi paruos etiam numos dare, præsertim quum minutis etiam sit opus, ut numerus, ac summa commodius æquari poßint.* PIE. *Quin recte dicis, ut numero pondus interdum compensemus, & consequamur.* COR. *Hunc igitur accipe: Cicero Prætor prouinciam recusauit.* EGN. *Vide Pieri, quid sit hominibus hisce fores aperire. iste, quod semel concessum est, mordicus tenebit, ut minutos numos soluat, & eos quidem, quibus ne tonsores quidem, si poßint, uti uelint.* COR. *Fateor equidem hunc*

minutum esse, & lippis, tonsoribusq́;, quod aiunt, etiam notum uideri posse: sed nesciunt illi tamen neque quanti sit pretij, neque quo in loco sit factus. Nec enim *quiuis intelligit, quanti sit honores interdum contemnere, nec animaduertit, in hisce uerbis, quæ sunt in oratione pro* Muræna, *hoc ipsum, quod dicimus, significari:* Tu *in prouinciam ire noluisti: non possum id in te reprehendere, quod in meipso &* Prætor, *&* Con*sul probaui.* Prætor *enim Cicero, ut diximus, in prouinciam ire noluit, quod in* Ser. *Sulpicio reprehendere non poterat, ne se ipse accusare uideretur.* PIE. *Hic numus & si paruus uidetur, is est tamen, de quo uere dici possit illud: Maior in exiguo regnabat corpore uirtus.* COR. *Hic non multo maior fortasse uidebitur: Cicero* M. Aemilio Lepido, L. Vol*catio* Tullo *Consulibus an. ab* V. C. *sexcentesimo octuagesimo octauo* Prætor *fuit, ut nos in* Bruto *facile probauimus.* EGN. *Quod nunc, accipimus.* COR. *Et hoc accipite: Cicero* Prætor *orationes pro lege* Manilia, *& pro* Cluen*tio dixit. nam de orationibus pro* Fonteio, *& pro* Cæcina *idem non possumus affirmare.* Dixit *& pro* Cornelio, *si credimus* Asconio *ita scribenti: sequente deinde anno* L. Cotta, L. Torquato *Consulibus, quo hæc oratio à Cicerone* Præto*re dicta est, & quæ sequuntur.* EGN. *Videris hoc, oblitus, quid ante dederis, protulisse.* COR. *Non sum ego uidelicet* Egnatius, *qui nihil unquàm penè fecit, aut dixit, aut etiam legit, quod non recordetur: mihi satis est, si non plus, quàm* Curio *pater, hac in parte peccem.* EGN. *Nihil tamen turpius Cicero tuus putabat, quàm si quis in sermone, uel in scriptis, ut ille, quid ante posuerit, obliuiscatur.* CO. *Turpe sit igitur etiam mihi, si quid, quod contrarium sit, dixi.* EGN. *An contrarium non sit, hic dicere, Ciceronem* Præ*torem* L. Cotta, L. Torquato *Consulibus, quem tu paulo*

ante M. Lepido, L. Tullo *Consulibus Prætorem fuisse dicebas?* COR. *Esto, quid deinde, etiamsi in altero sit uitium?* EGN. *An nescis iure ciuili cautum esse, si quid uendas, cuius uitia non dicas, id ut redhibeatur?* COR. *Scio equidem, sed nihil ego uendo, nec præstare debeo, si uos, qui summa diligentia probatis, adulterinum numum pro bono accipiatis. an nescitis uos quoque, inter negotiatores hunc morem, & quasi legem esse, in multorum præsertim nominum solutione, ut, qui numos accipiunt, in eam rem incumbant, eos ut diligenter examinent, ac perpendant: ne, si forte decipiantur, eos tamen, qualescunque sint, retinere cogantur?* EGN. *Inter bonos bene agier oportet.* COR. *At isti boni sæpe adulterinos supponunt, quos sibi bonos præstari uelint.* EG. *Talésne nos esse putas?* COR. *Tantum abest, ut id putem, ut uos omnium optimos esse credam: sed uelim, quod semel probatum, & acceptum est, retineatis, ne solutio toties interpelletur.* EGN. *Posthac igitur erimus cautiores: nunc uolumus hunc alio numo uel commutari, uel ita exæquari, ut respondeat.* COR. *Faciam, opinor, ut neque commutandum, neque exæquandum dicatis.* EGN *Quonam modo?* COR. *Nos, quod antea diximus, in* Bruto *præstitisse, & si quis dubitet, præstaturos: sed in eo, quod postea diximus,* Asconium *secutos fuisse.* EGN. *Nescio, an uerius unquàm sit dictũ: cæcus cæcũ adhibuit ducem.* COR. *Et* Strabo *secutus est* Homerum, *neque tamen in foueam cecidit?* EGN. *Quia dux talis erat, ut quæ ipse non uidebat, ut alij uiderent, efficeret: sed dux iste tuus ita cæcus fuit, ut & ipse ceciderit, &, ut tu caderes, effecerit.* COR. *At ego sic in eum cecidi, ut nihil ipse prorsus offenderim, & onus ille totum sustineat.* EG. *Onus* Aetna *grauius.* COR. *Fessum motet latus, ut ait poeta, uel potius casum sic, ut* Paulus Manutius *etiam monuit,*

emendet: sequente deinde anno L. Cotta, L. Torquato Consulibus, quo hæc oratio à Cicerone dicta est, & quæ sequuntur. PIE. Illud uerbum, Prætore, tantum sustulisti. COR. Quippe quòd uideam nos, qui tacuimus, quod Suetonius, & Macrobius affirmant, tunc etiam Ciceronem M. Antonij Gniphonis scholam frequentasse, iam satis multa de Prætore locutos fuisse, & iam tempus esse, ut Cicero Consulatum petat: de quo dicturus, illud uere possum præfari: Maior rerum mihi nascitur ordo, maius opus moueo. Is enim Consulatus fuit, quem uere Curio pater ἀποθέωσιν uocabat: quem Dij prius etiam Terentiæ uxori significarunt. nam quum illa post peractum sacrificium, libare uellet, in cinere uisa est flamma: quod significauit, eius maritum eo anno futurum Consulem, ut ipse Cicero in suo poemate testatus est: quò respiciens summus poeta, dixit: Aspice, corripuit tremulis altaria flammis sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Ad eum iam petere, uel certe prensare parantem Quintus frater ea scripsit, quæ ueniebant in mentem dies ac noctes de petitione illius cogitanti, non ut aliquid ex ijs noui adijceret, sed ut ea, quæ in illo dispersa, atque infinita uiderentur esse, ratione, & distributione sub uno aspectu ponerentur: qui libellus extat, ut infra dicetur. Cicero non multis diebus ante Cal. Sext. L. Cotta, L. Torquato Consulibus initium prensandi uidetur fecisse: quod ita nos ex epistola, quæ nunc prima scribitur ad Atticum collegimus. L. Iulius Cæsar L. Cotta, L. Torquato Consulibus certe Consulatum petijt, designatus est, & anno sequenti Consul fuit: de quo sic ibi scribitur: De ijs, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. L. igitur Cæsar petebat, quo tempore Cicero iam Prætorius prensabat, ut anno sequenti, quo postea L. ipse Cæsar, et C. Figulus Consules fuerunt, peteret, ut petijt, quo tempore filio est auctus, Tullian. C. Pisoni L.

Frugi despondit, & L. Ciceronem fratrem patruelem, ut in epistolis ad Atticum scribit, amisit, amisit & patrem, si Asconio credimus ita referenti: in petitione patrem amisit: quanquàm uidetur eum Consul iam designatus amisisse. Ipse certe sic ad Atticum scribit: Pater nobis decessit ad VIII. Cal. Decemb. at multo ante Consules solebant designari, quia tamen interdum comitia solebant etiam differri, nihil hac ipsa de re possumus affirmare: illud uero, quod ipse partim dicit, partim significat, & Asconius scribit, affirmamus: Ciceronem sex competitores in petitione Consulatus habuisse, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quatuor plebeios, ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M. Antonij oratoris filium, L. Caßium Longinum, duos, qui tantum non primi ex familijs suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. In ea petitione Plutarchus scribit ei non minus opimates, quàm plebeios homines suffragatos fuisse: de quo tamen uideo posse dubitari, quòd in epistolis ad Atticum ipse scribat hoc modo: Quum perspexero uoluntates nobilium, scribam ad te: cætera spero prolixa esse. item, prorsus summa hominum est opinio, tuos familiares nobiles homines aduersarios honori nostro fore. Per nobiles enim uidetur optimates significare, quos in suasione Maniliæ legis offenderat, quod nec ipse Plutarchus negat, & ita Quintus frater ostendit: Etiam hoc multum uidetur adiuuare posse nouum hominem, hominum nobilium uoluntas, & maxime consularum. Prodest, quorum in locum, ac numerum peruenire uelis, ab his ipsis illo loco, ac numero dignum putari. hi rogandi omnes sunt diligenter, & ad eos allegandum, persuadendumq; est ijs, nos semper cum optimatibus de Rep. sensisse, minime populares fuisse: si quid locuti populariter, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus,

ut eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus, aut certe non aduersarium. PIER. *In oratione pro lege Manilia contrarium scripsit ipse: Testor omnes Deos, & eos maxime, qui huic loco, temploq; præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad Remp. adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompeij gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cuiusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adiumenta honoribus quæram.* COR. *Ne quasi lis litem, quod aiunt, serat, id aliàs, & an Catilinam, quemadmodum Fenestella scripsit, & Asconius dubitauit, defenderit, uidebimus: nunc, quod posuimus, ita nos interpretamur: Optimates à principio Ciceroni ut homini nouo sunt aduersati, sed postea, quum periculum, quod à L. Catilina Reip. tunc impendebat, prouidissent, suffragari cœperunt.* EG. *Hoc etiam Plutarchus dixit.* COR. *Dixit ille quidem, sed non, ut decebat, explicauit, præsertim quum Sallustius ita prius scripsisset: Fuluia ex insolentia Curij causa cognita, tale periculum Reip. haud occultum habuit; sed, sublato autore, de Catilinæ coniuratione, quæ, & quo modo audierat, compluribus narrauit. Ea res in primis studia hominum accendit, ad Consulatum mandandum M. T. Ciceroni: nanque antea pleraque nobilitas inuidia æstuabat, & quasi pollui Consulatum credebat, si eum, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret. sed ubi periculum aduenit, inuidia, atque superbia postfuere. Igitur comitijs habitis, Consules declarantur M. Tullius, & C. Antonius: quod factum primo populares coniurationis concusserat. Et sanè Ciceronem cuncta Italia, omnes ordines, uniuersa ciuitas non prius tabella, quàm uoce priorem Consulem declarauit.* EGN. *Dicere non posses Plutarchum res aliquas minus explicasse, si de Ciceronis, aut alio-*

rum scriptis ipse quoque res, & uerba, quod nunc ipse facis, & sæpe, transtulisset. COR. *Transferret: quanquàm res ille quidem, sed interdum præpostere transtulit: ut quum Catilinæ coniurationem, quæ prope finem Consulatus Ciceronis describenda fuit, ante Consulatum descripsit.* EG. *Imo causas coniurationis ante Consulatum, sed rem suo loco posuit.* COR. *Iacet igitur ingens littore truncus, auulsumq; humeris caput, & sine nomine corpus.* EGN. *Tu nunc iunge.* COR. *Ne Aesculapius quidem iungat, tantum abest, ut ego qui medicus non sum, id poßim facere, ac ne uelim quidem, si poßim: quando quidem quiuis intelligit, quum Ciceronis uitam scribas, nihil opus esse, tam multa de Catilinæ coniuratione, quæ nota sint lippis, & tonsoribus, referre.* EG. *Tu meminisse debes, Plutarchum hominem Græcum Græcis, qui nullum Sallustium haberent, scripsisse.* COR. *Scripserit: nos quoque nostris hominibus, qui non Sallustium modo, sed alios etiam coniurationis illius scriptores habent, scribamus; & in scribendis rebus, quas in Consulatu Cicero geßit, ordinem, quem ipse nobis in epistola prima libri secundi ad Atticum Consularibus, ut uocat, orationibus quasi præscripsit, sequamur. Calendis igitur Ian. quum Cicero Consulatum inijsset, senatum, & bonos omnes legis agrariæ, maximarumq; largitionum metu liberauit ita, ut iacta sint fundamenta ex Cal. Ian. confirmandi senatus; quibus de rebus orationes contra Rullum scripsit, quarum una est in senatu Cal. Ian. altera ad populum de lege agraria.* EGN. *Nosti Pieri, unde sint ista translata?* PIE. *Ex ipsius Ciceronis orationibus, epistolis familiaribus, & illis item, quæ sunt ad Atticum scriptæ.* CO. *Vtinam sic omnes nouissent, unde fuissent interpretatiões illæ translatæ, quibus olim familiares, ut uocant, epistolas explicauimus. Minus enim postea negotij faciendis his, quas*

in epistolas ad Atticum edidimus, habuissemus, si, quod in illis fecimus, in his quoque scriptorum nomina tacere potuissemus. PIE. *Interpretationes istae, quas dicis, à te iandiu postulabantur, uel potius, ut audio, flagitabantur.* CO. *Ita quidem, ut Arnoldus Arlenius homo eruditißimus ex Germania ad me Regium usque uenerit, & me suo, Ioannis Opporini, Ioannis Strathij, Magni Gruberi, aliorumq; doctißimorum hominum nomine sit hortatus, eas ut primo quoque tempore foras darem.* PIE. *Dedisti iampridem.* COR. *Dedi, nec adhuc me dedisse pœnitet.* EGN. *Da nobis etiam, quod debes.* COR. *Hoc ago, & dico, Ciceronem tunc orationem, quæ tertia consularis in epistolis ad Atticum dicatur, de Othone scripsisse: quam quum dixisset, L. ipsi Roscio Othoni theatralis seditionis autori leges ignouerunt, notasq; sedes ignominiæ discrimine æquo animo, ut ait Plinius, tulerunt. hinc in oratione pro Muræna ita legitur: L. Otho uir fortis, meus necessarius, equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam uoluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, est omnium gratißima: quòd honestißimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus. L. enim Roscius Otho Tribunus plebis eam legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi, ut scripsit Liuius, aßignarentur, & eam L. Metello, Q. Marcio Consulibus, certe biennio ante Ciceronem Prætorem tulit, ut Asconius ostendit: apud quem tamen L. Roscius Otho male Consul appellatur, quum Tribunus plebis eam legem, ut diximus, tulerit, nec Consul unquàm, quod ego sciam, fuerit: sed neque tum Prætor erat, quamuis à Plutarcho στρατηγῶν in Ciceronis uita dicatur: ubi rem pluribus ille quidem scribit, sed M. Othonem male uocat, quem L. Roscium Othonem dici ob omnibus uideamus: à quo lex Roscia sit dicta: qua, præ*

ter alia, decoctoribus certus locus erat constitutus, & cautum, ut proximis ab orchestra quatuordecim gradibus spectarent, quibus census esset quadringentorum sestertiorum. EGN. *Dicere poteras, qui essent equites, quorum fuit hic census.* COR. *Dicere quidem poteram, sed uerebar, ne uiderer bis idem referre.* EGN. *Non tamen effugisti, quod uerebaris. nam bis idem refert, qui, quemadmodum tu, primum dicit equites, deinde illos, quibus esset census quadrigentorum sestertiorum, in quatuordecim gradibus spectasse.* COR. *Nihil id refert, dum res ipsa melius intelligatur, quæ res Ciceroni magnam laudem dicitur attulisse. nam seditionem, quæ fuerat inter equites, & plebem propter Roscium in theatro facta, sic ipse sedauit, ut mihi poeta summus illa carmina de Cicerone potißimum scripsisse uideatur: Ac ueluti magno in populo quum sæpe coorta est seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus: iamque faces, & saxa uolant, furor arma ministrat: tum pietate grauem, ac meritis si forte uirum quem conspexere, silent, arrectisq; auribus astant. ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* EGN. *Idem propemodum de Menenio Agrippa, M. Valerio, M. Popilio, & alijs etiam Romanis scriptum uidebis, ut ego nesciam, cur tu, quum poeta nomen taceat, ipse putes Ciceronem potius, quàm unum ex illis significari.* COR. *Iccirco puto, quòd poeta summus ita fuit æqualis illorum temporum, ut hoc factum Ciceronis etiam uidere potuerit: ita porrò illius studiosus, ut, quum tam multa sit ab illo mutuatus, ingratus haberi merito potuerit, nisi, ueritus Augusti fortasse reprehensionem, si nominaret, illum saltem aliqua ratione significasset.* EGN. *Tu mihi nunc illorum more facere uideris, qui, si forte quid ignorent, coniecturas persequuntur.* COR. *Melius est coniecturas, quàm, quod otiosi faciunt, nihil omnino persequi.*

EGN. *Istud quidem uere dicis, sed præstet fortasse tamen, si quid ignores, in eo poetam, qui multa post se memoranda reliquit, imitari, quàm libros, ut sæpe facitis, corrumpere, et multa, quæ fortasse nihil ad rem pertineant, comminisci.* COR. *Nos neque libros corrumpimus, nihil prorsus mutantes, sed, quid nobis uideatur, indicantes: neque multa, quæ nihil, sed pauca, quæ multum studiosis ad rem diligentius perquirendam, & tandem intelligendam prodesse poßint, comminiscimur.* EGN. *Non uideo, quatenus illis coniectura prodesse poßit.* COR. *Hactenus, ut, si uera sit, doceat: sin falsa, ad quærendum diligentius, excitet.* EGN. *At fit sæpe, ut nemo scire poßit, uerâne sit, an falsa: qualis ista, quam nunc ipse facis, fortasse dici poßit, quum diuinare nemo poßit, an poeta Ciceronem uerbis illis significare uoluerit.* COR. *Saltem tunc ad id, quo de dubitatur, illud ipsum, quod secum coniectura ferat, accedit.* EGN. *Idest ad dubitationem dubitatio.* COR. *Quædam potius interpretatio, ex qua, qui studet, si minus illud, de quo dubitet, id saltem, quod est positum in coniectura quasi lucrum consequatur.* EGN. *Iste iam Pieri non ueteres modo numos, in quibus nulla signa uideantur, sed Lacedæmonios etiã, & Carthaginenses nobis, nisi caueamus, obtrudet.* COR. *Hic certe Romanus est: Idem Cicero Consul in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante se Consulem interpositam senatus autoritatem sustinuit contra inuidiam, atque defendit oratione, quæ quarta Consularis appellatur. qua quidem de re Suetonius, & Dion multa scribunt. quamuis Dion à Cicerone de annorum numero dissentiat, quum dicat, eos triginta sex fuisse, ut re uera fuerunt inter C. Marium, L. Valerium Consules, quibus autoritas illa senatus perscripta fuit, & M. Ciceronem, C. Antonium Consules, quibus est à Cicerone defensa: sed, ut ait Asconius, à Cicerone summatim tempus est comprehensum per*

inde, ac si, propè XL. *annis, dixisset.* Hinc Labienus *criminabatur, iudicium perduellionis à Cicerone sublatum fuisse.* EGN. Hic *numus, quem tu* Romanum *uocas, in æruginem sic incidit, ut hominis externi, uel hostis potius imaginem præ se tulisse uideatur.* COR. *Ipsum talem* Labienus, *&* Cæsar, *ut alios mittam, uolebant iudicari, sed cum* Cicero *purgauit ita, ut sperem uos, etiam si lauatione,* Lydio *lapide, & libra probetis, non* Romanum *modo, sed bellißimum etiam, optimum, & grauißimum esse iudicaturos.* PIER. *Audimus* Corrade *te superioribus annis, quum* Brutum Ciceronis *interpretareris, hoc genere ioci uti solitum fuisse, quum diceres, te librum, qui* Brutus *esset, quam bellißimum esse facturum.* COR. *Quod diximus, conati sumus etiam præstare, sed, an quod uolebamus, id simus assecuti, uos uiri docti breui poteritis iudicare: nunc eò reuertamur, unde discessimus:* Cicero *rem tantam gessit, & tamen, quantum uidere potui,* Plutarchus *ea de re uerbum nullum fecit: de filijs uero proscriptorum loquens, ea dicit ab omnibus* Tribunis plebis *facta, quæ* Dion *singulis attribuit: nec ordinem, quem* Cicero *uidetur in orationibus esse secutus, ipse seruat.* Nam *quum duæ fuerint actiones, una contra* Rullum, *quæ duabus orationibus, ut diximus: altera de filiis proscriptorum, quæ fuerit quinta oratione consulari comprehensa, eas ipse sic coniungit, ut confundat. Quod igitur ad filios proscriptorum pertineat, ita res habet.* Cicero *Consul adolescentes bonos, & fortes, sed usos ea conditione fortunæ, ut, si essent magistratus adepti,* Reip. *statum conuulsuri uiderentur, suis inimicitijs, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuauit.* PIER. *Id ipse* Cicero *scripsit in oratione, quam contra* L. Pisonem *dixit.* COR. Hoc Quintilianus*: Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut* Cicero *de proscriptorum liberis fecit. quid enim crudelius, quàm homines honestis parentibus, ac*

maioribus natos à Rep. summoueri? Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur, sed ita legibus Syllæ cohærere statum ciuitatis affirmat, ut ijs solutis stare ipsa non posit. Orante igitur Cicerone, proscriptorum liberos honores, ut ait Plinius, petere puduit. quæ quidem oratio de proscriptorum filijs inscripta, quinta consularis, ut diximus, est appellata. PIE. Places Corrade, quum, quæ, semel sunt dicta, ea tu nunquàm repetis. COR. Nec ego repetam, nisi forte imprudens, nec uos feratis, si bis eundem numum, ut præceptor meus antea dubitabat, soluam. PIE. Neque nos feramus, neque tu, etiamsi uelis, id possis efficere, nisi forte annulum Gygis habeas, ut, quæ semel dederis, ea, nobis non uidentibus, furto sublata denuo soluas. COR. De istac quidem re, ut ait Plautus, in oculum utrumuis conquiescite. Licet enim mecum uel in tenebris micare, quando, ne si reddatis quidem aliquid, id ego nolim denuo soluere, memor, quàm turpe sit, quasi βαττολογεῖν, ut Græci dicunt: quin uos etiam, atque etiam rogo, ne me quippiam repetere cogatis, quamuis occurrat locus, ubi aliquid repeti posse uideatur. EGN. Nos, ut aliquid, quod nobis dederis, ipsi te repetere cogamus? curabimus ipsi potius, & efficiemus planè, ut, si nos in ea re tentaris, ipse, quod turpe solet esse, diu maneas, & inanis etiam postea reuertaris. PIE. Cantabit uacuus coram latrone uiator. COR. Ego uero cantabo, quamuis enim uos ipsi me, qui tantum pecuniæ nunc erogem, quodam modo rideatis, ego tamen æs alienum, cuius comitem miseriam Chilon esse dixit, dissoluero: quod si C. Antonius fecisset, non illi accidisset fortasse, quod ita scribit Asconius: Antonium Gellius, & Lentulus Censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu mouerunt, causasq; subscripserunt, quòd socios diripuerit, quòd iudicium recusarit, quòd propter æris

alieni magnitudinem prædia mancíparit, bonaq́; sua in potestate non haberet. quæ causa fuit, ut postea, quod refert Salustius, Catilina *sperarit, si designatus foret, facile se ex uoluntate* Antonio *usurum: sed cum* Cicero*, ut ait in oratione in Pisonem, cupidum prouinciæ, multa in* Rep*. molientem, patientia, atque obsequio suo mitigauit: & prouinciam* Galliam *senatus autoritate exercitu, & pecunia instructam, & ornatam, quam cum* Antonio *communicauit, quòd ita existimabat tempora* Reip*. ferre, in concione deposuit, populo* Romano *reclamante.* Hinc Sallustius *ita refert:* Cicero *collegam suum* Antonium *pactione prouinciæ perpulit, ne contra* Remp. *sentiret. Sortitus enim* Cicero Macedoniam, *permutauit, &* Galliam *accepit, &* Macedoniam *collegæ tradidit, ut* Dion *affirmat.* Id *uero fecit, ut illum mitigaret, quem uidebat cupiditatem suam nomine triumphi tegere, ac uelare. quam quidem indulgentiam coniunctam cum summa custodia* Reip. Romani*, ut ait in oratione pro Sestio, laudarunt.* EGN. *Tunc illi fortasse laudarunt, sed postea certe multi suspicati sunt, in ea prouinciæ pactione cautum fuisse, ut pecunia* Ciceroni *solueretur.* COR. Q*uid opus erat suspicari, quod ipse* Cicero *uel in epistolis ad* Atticum *fateatur, quum* C. Antonium*, qui rem differat, & σκήψεσι, atque ἀναβολαίῳ utatur,* Teucridem *lentum negotium uocet, & tamen postea promissa patrasse dicat?* EGN. D*aui suspicati sunt ante, quàm tu nouus* Oedipus *hæc ænigmata solueres: qui nunc tamen, opinor, offendis, quum* Ciceronem *tuum, cui* M. Catonem *integritatis testimonium dedisse dicebas, nunc cepisse pecuniam, quam* C. Antonius *ex pactione prouinciæ dederit, affirmes.* COR. A*ffirmat ipse.* EGN. I*lle uero nihil affirmat, & hac quidem de re si quid modo loquitur, sic obscure loquitur, ut, quamuis ad amicissimum scribat, eam tamen ut tur-*

pem occultari uoluisse uideatur. COR. *In epistolis, orationibus, & huiusmodi scriptis, ubi non agit Philosophum, quod opus est, affirmat: & hanc ipsam rem, si turpem putasset, ad* Atticum *nunquam, quem suæ integritatis laudatorem uocabat, neq; obscure, neq; aperte scripsisset: eã tamẽ scripsit, ut nos in scholijs ostendimus, sed notis occultauit, ne* C. Antoniũ, *uel aliũ quẽpiã, cuius interesset, offenderet.* EG. *Bella defensio, res ea turpis nõ erat, quia, qui faciebat, eã turpẽ non putabat. posses item dicere, non est turpe furari, quia qui furantur non putant, esse turpe furari.* CO. *De furtis, & huiuscemodi rebus,* Prætores, *& sacerdotes etiã, qui res istas subtilius scrutantur, & ad uiuum plane resecant, iudicabunt, sed de re, qua de loquimur, nos ita dicimus: ea res quia turpis non erat, iccirco* Cicero *non putabat eam esse turpem.* EGN. *Oportebat igitur probare, eam rem turpem non fuisse.* COR. *Arbitrabar, satis esse, dicere,* Ciceronem *turpem non putasse: sed quoniam uos ipsi Græca fide nunc agitis, nec amplius quicquam creditis, nisi præsens pecunia soluatur, ostendam, si potero, tunc eam rem turpem non fuisse.* EGN. *Tu scilicet in candida, quod ait ille, nigrum uertes, hoc est rerum naturam mutabis, & facies, ut turpe quod sit, honestum esse uideatur.* Ego *certe non uideo, qua tu re probare posis, eum, qui pecunias ob tradendam prouinciam acceperit, recte fecisse.* COR. *Pacto, quod seruari debuit, quando* Prætor *ait, pacta seruabo.* EGN. *Sed quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, neque quo fraus cuique eorum fiat, facta erunt.* COR *Hoc bono dolo factum fuit, quo* Cicero *collegam perpulit, ne contra* Remp. *sentiret: nec aduersus leges, aut omnino turpiter factum uideri potest, quod uulgo seruabatur, ut Consules, quemadmodum loquitur* Liuius, *prouincias sortirentur, aut inter se compararent.* Nam uete-

res, ut Cicero, Cæsar, Sallustius, & Liuius comparare, parare, & partiri prouincias etiam dixerunt: quæ res, opinor, ita fiebat, ut ex duabus prouincijs minor, uel certe minus fructuosa, cum maiore, uel magis fructuosa pecunijs æquaretur: quas quidem pecunias neque qui dabant, neque qui accipiebant turpiter, ut apparet, facere dicebantur. Sic Appius, ut in epistolis familiaribus scriptum uidemus, olim dixit, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega esse prouinciam: si curiata lex non esset, separaturum, uel, pacturum, uel partiturum, ut in alijs libris legitur, cum collega, Lentuloq; successurum. EGN. Si uera sunt ista, cur Cicero dolebat, ad Antonium in Macedoniam Hilarum libertum, qui iure pecunias illas exigere posset, esse profectum? COR. Quòd Antonius in cogendis pecunijs dictitabat, partem Ciceroni quæri, & ab eo custodem communis quæstus libertum esse missum: qua de re Cicero literis, quæ sunt in libro quinto familiarium, cum C. Antonio grauiter conquestus est. EGN. Vel hic homo Pieri nobis oculos præstringit, uel hic numus, quem paulo ante ut adulterinum reijciebamus, nunc optimus uidetur. PIE. Ita uidetur Egnati, ut uerear, ne, quod præstigijs fieri posse credunt, hic alium, nobis non animaduertentibus, supposuerit. CO. Imaginem uidete. EGN. Quasi uero non posis plures eadem imagine signatos habere. PIER. Hæc mittamus, ut numeret. COR. Cicero legem Tulliam de ambitu, ut in orationibus pro Muræna, & in Vatinium legimus, tulit: & prouinciam Galliam, quam ex permutatione, ut diximus, acceperat, in concione deposuit, & cur ita faceret, oratione, quæ sexta consularis est dicta, docuit. Id ego pluribus etiam uerbis probare possim, nisi sæpius in orationibus ipse testetur. Quum uero prouinciam deposuisset, statim cogitare cœpit, quemadmodum

eam Q. Metello Celeri traderet. Septima fuit oratio Consularis, qua Catilinam emisit, cædem senatus, interitum urbis, non obscure, sed palàm molientem: octaua, quam habuit ad populum postridie, quàm Catilina profugit: nona in concione, quo die Allobroges indicarunt: decima in senatu Non. Decemb. Nam tela extremo mense Consulatus intenta iugulis ciuitatis de coniuratorum nefarijs manibus extorsit, & tandem faces iam accensas ad urbis incendium comprehendit, protulit, extinxit: quumque de rebus hisce ad senatum retulisset, senatus censuit Non. Decemb. ut de coniuratis supplicium sumeretur: quas quidem Nonas Cicero postea sæpe celebrauit. PIE. Hic numus ex auro factus uidetur, quod sit ex eadem quidem uena, sed pluribus tamen è locis effossum. COR. Id monetales uiderint: nos interea uobis hunc numum damus: Cicero Consul Sergij Catilinæ, Lentuliq́; , & Cethegi, & aliorum utriusque ordinis uirorum coniurationem singulari uirtute, constantia, uigilia, curaq́; aperuit. Catilina metu consularis imperij urbe pulsus est. Lentulus Consularis, & Prætor iterum, Cethegusq́; , & alij clari nominis uiri, autore senatu, iussu Consulis, in carcere necati sunt. PIE. Videor mihi scire, neque tamen audeo prorsus affirmare, me omnino scire, ubi numus iste sit excusus. COR. Apud Paterculum, qui numis hisce cudendis excelluit. PIE. Excelluit ille quidem, sed ipsius tamen numi nunc ita sunt circuncisi, nemo, ut eos libenter accipiat. COR. Qui numos diligenter spectant, & bene probant, eos malunt, ita circuncisos, quàm quos Diodorus Siculus, Plutarchus, Dion, Appianus, & alij Græci quàm maximos formarunt. PIE. Quid ita? COR. Quòd illi dum numos ueteres probos illos quidem, & ex optimo auro factos, sed nimis, ut ipse dicis, circuncisos, renouare, ac reficere

conantur, tantum æris admiscuerunt, ut eos nemo amplius aureos esse dicat. EGN. *Nos dicimus, qui scimus à Plutarcho penè nihil expressum, quod auro non sit etiam purius.* COR. *Ita uobis uideri potest, sed mihi neque Plutarchus, neque alius quispiam Græcus, præter Polybium, & Dionysium, satis in ea re facit. quin nullus est artifex Latinis tam malus, cuius non malim numos, quam optimi cuiusque Græci, usque adeo mihi uidentur Græci numi, ut sunt, adulterini.* EGN. *Tu malis numos Flori, Orosij, Eutropij, Rufi, & aliorum, qui uix latine loquuntur, &, dum breues esse laborant, obscuri, & negligentes fiunt, quàm Græcorum, qui & elegantißime græce scripserunt, & minima quæque diligentißime sunt persecuti?* COR. *Vide, quàm diligenter: sæpe, quæ nusquàm gentium sunt facta, scribunt: sæpius tempora, magistratus, & magistratuum, atque priuatorum nomina confundunt: sæpißime in his, quæ facta sunt, more suo mentiuntur.* EGN. *A Latinis igitur solue.* COR. *Ab utrisque potius soluam, si fuerit opus, sed quid ipse sentiam, testabor.* EGN. *Nostra refert nihil, dum numi sint probi.* COR. *Hunc probum nos esse credimus: Tum Q. Catulus princeps senatus, & autor publici consilij frequentißimo senatu parentem patriæ Ciceronem nominauit.* EGN. *Imo M. Cato.* COR. *Verum dicis, si Plutarchi tui, & Appiani numos æreos, quàm Ciceronis aureos mauis.* EG. *Nos Glauci non sumus.* COR. *In orationibus igitur in Pisonem, & pro Sestio Cicero fatetur à Q. Catulo se parentem patriæ nominatum fuisse.* EGN. *Quum Plutarchus, & Appianus orationes illas legere potuerint, miror, cur à Cicerone tantopere dissenserint.* COR. *Mirarer ego quoque, nisi uiderem, quod sæpe dictum est, eos in hisce rebus parum diligenter esse uersatos: quamuis hac in parte fortasse*

defendi poßint, quòd alios scriptores sint imitati, qui fortasse scripserant, hoc etiam M. *Catonem dixisse, ut alij quoque dixerunt, quod ipse* Cicero *sic in oratione pro Sestio refert:* Me Q. *Catulus, me multi alij in senatu patrem patriæ nominarunt. sed cur, dicet aliquis,* C*atonem potius, quàm* C*atulum scriptores alij posuissent? ut in re plus ponderis inesset, si uir tantus ita uocasse diceretur.* Cicero *uero solet in hisce rebus potißimum consulares, qualis erat* Q. C*atulus, nominare, quum* M. C*ato tum nondum* P*rætor fuisset.* P*ossumus etiam sic interpretari:* C*atulus in senatu, sed* C*ato iam* T*ribunus plebis apud populum nominauit.* PIE. *Quicunque is fuerit, certe, ut ait* I*uuenalis,* R*oma parentem,* R*oma patrem patriæ* C*iceronem libera dixit.* EGN. *Et quidem primum, ut* P*linius ostendit.* COR. L. *etiam* G*ellius,* C*iceroni ciuicam coronam deberi à* R*ep. dixit: senatus uero eidem togato non, ut multis, bene gestæ, sed ut nemini, conseruatæ* R*eip. singulari genere supplicationis* D*eorum immortalium templa patefecit, ut in orationibus ipse sæpe testatur.* EG. *Ita sæpe, ut quas ille res in ore semper habebat, in his referendis tu mihi parcus esse, & summa sequi fastigia rerum, ut loquitur poeta, uidearis.* COR. C*ur ego complectar ea, quæ tam multi scripserunt?* EGN. V*t, quod* G*ræci scriptores non faciunt, satis esse tibi facias.* COR. A*t* S*allustius, cæteriq; scriptores* L*atini mihi satis hac in re faciunt, ne, quod est domi, foris quæram.* EGN. N*e sim, si te nunc, ut sentis, ita loqui puto: quando satis constat,* S*allustium de* C*iceronis* C*onsulatu multa, quæ scribere debuerat, tacuisse, & cæteros scriptores* L*atinos ita breues esse, ut, quod antea diximus, obscuri, & planè negligentes esse uideantur.* CO. L*iuium certe, si libri nunc, in quibus res illas scripsit, extarent, excepisses. sed fac cæteros tales, quales dicis, esse, in* S*allu-*

stio, qui primus in Romana historia dicatur esse, nescio quid ipse possis desiderare. EGN. *Quod omnes desiderant, quodque tamen ipse sibi fuisse scripsit, animum à spe, metu, partibus Reip. liberum. nam, si liber animus ab hisce rebus fuisset, historiæ legem seruasset, quæ sit: ne quid falsi dicere audeat: deinde ne quid ueri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. at Sallustius nihil ut fortasse falsi dicere sit ausus, ausus est certe multa, quæ uera erant, tacere, atque id ipsum propter simultatem, quam cum Cicerone dicitur habuisse.* COR. *Idest culex cum elephanto, uel rana cum boue contendisse: quanquàm Cicero queritur in Philippicis, neminem uiginti annis ante Reip. hostem fuisse, qui non bellum eodem tempore sibi quoque indixerit, ut nemini mirum uideri debeat, Sallustium, qui sic improbus fuit, ut Lenæus Grammaticus eum lastaurum, & lurconem, & nebulonem, popinonemq;, & uita, scriptisq; monstrosum uocarit, & Appius Censor, ut refert Dion, senatu mouerit, Ciceroni; qui nactus locum resecandæ libidinis, & coercendæ iuuentutis, uehemens sæpe fuit, & omnes animi uires, atque ingenij sui profudit, inimicum fuisse.* PIE. *Tu loqueris ita, quasi de re, quæ sit omnium notissima, dubites.* COR. *Nota mihi quidem, quatenus Asconius affirmat, Sallustium Tribunum plebis cum suis collegis inimicissimas conciones de Milone, inuidiosas etiam de Cicerone, quòd Milonem tanto studio defenderet, habuisse: sed ignota, quatenus idem scribit, eundem Sallustium in suspicione fuisse in gratiam cum Milone, ac Cicerone redijsse. Quòd si quis dicat, non esse uerisimile, Sallustium, qui, quod ex Varronis scriptis Gellius, Seruius, & Horatij interpretes referunt, in adulterio deprehensus à Milone, loris bene cæsus, &, quùm pecunias dedisset, dimissus fuisset, cum eo ita facile potuisse reconciliari: credat saltem,*

Ciceroni, qui uir talis, & tantus erat, & nihil ei, quod sciatur, nocuerat, facile uel per Cn. Sallustium propinquum, quem Cicero semper magni fecit, reconciliatum fuisse. EGN. *Credat reconciliatum, quem uideat in eum tam grauiter inuectum?* COR. *Vbi?* EGN. *In oratione, quam Sallustius in senatu contra Ciceronem dixit, cuique Cicero ipse respondit.* COR. *Egóne ut Sallustij, & Ciceronis orationes esse putem, quas mihi declamator nescioquis, nec admodum doctus, scripsisse uideatur?* EGN. *Tu sagax ita fuisti, ut quod antea nemo potuit indagare, id tu nunc post tam multos annos sis odoratus?* COR. *Quin ita uestigia sum persecutus, ut mihi uidear iam nunc ad ipsum cubile peruenisse. sed mihi tamen ipse tantum non tribuo, ut arbitrer, me primum fuisse, qui sim conatus hoc, quicquid est, inuestigare: quum de natu maioribus audiam, multos annis superioribus in hac sylua uenatos, & te certò sciam, qui facile potes, hoc, ut omnia, quàm sagacissime fieri potest, odoratum fuisse.* EG. *Et si tu iocaris, ut soles, ego tamen, ut uerum fatear, de orationibus illis idem semper, quod tu nunc, existimaui, sed, quum uiderem Quintilianum, Diuum Hieronymum, Laurentium Vallensem, Rodulphum Agricolam, Grammaticos, & ueteres, & recentes, ac alios homines eruditos nunquàm dubitasse, affirmare nihil audebam.* COR. *Tu nimis Academicorum studiosus fuisti, sed ego, nullius, ut nunc est, addictus iurare in uerba magistri, quod tu non fecisti, nunc affirmo, illas orationes à Sallustio, & Cicerone nunquàm scriptas fuisse: nec me nunc autoritas Quintiliani, quem cæteri, quos tu nominasti, & quos ego possem nominare, postea sunt secuti, mouet: quòd apud me parum, ne dicam nihil, sine ratione ualeat autoritas: & Quintilianus mihi uel deceptus, uel alicui declamatori amico, qui scripsisset orationes illas, assen-*

tatus

tatus esse uideatur. Neque enim nos, Ciceronem secuti, probamus illud, αὐτὸς ἔφα: & scimus hominem Quintilianum, qui decipi potuit, ut ostendemus, fuisse: ac legimus uel apud Senecam, multos illis temporibus declamatores fuisse, qui pro Cicerone, & contra Ciceronem taleis orationes scripserunt. Multi uero tunc aliter, ac hodie faciant homines, sua pro alienis uenditabant, uel ut maius lucrum facerent, uel, ut in sinu, quod aiunt, gauderent, si sua scripta probari uiderent ita, ut uel à Cicerone, uel ab alio magno uiro scripta crederentur. Quòd si uir aliquis eruditus quasi testimonium dixisset, tum uero nemo dubitabat. Tale testimonium de duabus hisce orationibus ego puto Quintilianum, ut alicui gratificaretur, dixisse, nisi malumus eum credere, uel inscriptione, uel aliorum opinione deceptum fuisse, ut ego superioribus annis eodem modo sum penè deceptus. Erasmus enim Burgus ciuis meus uir in primis honestus libellũ mihi manu scriptũ donarat, in quo sunt orationes inter alias duæ sic inscriptæ, & scriptæ, ut nemo, nisi diligenter eas admodum legat, non putet, alteram Ciceronem contra Catilinam dixisse, in altera Catilinam Ciceroni respondisse. Ego certe sic à principio putabam, sed quum postea rem paulo diligentius examinassem, & Aristarchus hac in parte fuissem, intellexi, quod omnes intelligere possunt, eas ab aliquo declamatore, ut Porcio Latrone scriptas fuisse, & eò magis, quòd inter illas ipsius Porcij Latronis illa declamatio nobilis erat collocata. Accedebat dicendi genus ita simile, ut nemo non posset eas ab eodem ex eadem quasi farina, uel cera factas iudicare. Idem propemodum de orationibus hisce, de quibus quærimus, dici posse uideo. Vt enim mihi uidentur alicuius declamatoris & unius, & eiusdem fortasse Latronis dictionem, ita nihil minus, quàm Sallustij, uel Ciceronis genus dicendi referre, uel etiam redolere. Id & si

quiuis per ſe facile uidere poteſt, nos tamen, ut errorem, in quo tam multos annos homines etiam docti ſunt uerſati, penitus tollamus, hac ipſa de re quædam pauca dicemus. Tales igitur cauſæ non ſolebant in ſenatu dici, niſi propter Remp. ſuſceptæ fuiſſent, ut parum prudenter feciſſe uideatur is, quiſquis ille fuit, qui ſcripſit orationes illas, qui quum de Rep. nihil penè loqueretur, frequenter tamen patres conſcriptos appellarit: quum Calenus apud Dionem dicat, hæc in iudicijs eſſe facienda. Nec uidit ſcriptor ille, quàm leue, quamque turpe ſit, ex eodem ore calidum, & frigidum, quod dicitur, efflare, & eum, quem ſemper in hiſtoria laudaris, in ſenatu grauiter accuſare. Nunquàm Salluſtius ita fuiſſet impudens, ut, quod M. Antonius in oratore non ferebat, hiſtoricus ipſe uel in orbis terræ ſanctiſſimo, grauiſſimoq; conſilio ſecum pugnare non dubitaret: nec ſenatus ipſe fortaſſe, quæ fuit ordinis grauitas, eum tuliſſet ſic aperte mentientem. Scriptor ille Terentiam ſacrilegam uocat, quam tamen ipſe Salluſtius uxorem duxiſſe dicatur: quod, opinor, ille nunquàm feciſſet, ſi talem fuiſſe cognouiſſet: nec Cicero ſcripſiſſet, eam Deos pie, & caſte coluiſſe. Verumenimuero, ne coniecturas omnes hoc potiſſimum loco perſequamur, orationis ipſius, quæ Salluſtij dicitur eſſe, uerba non omnia quidem, quia nimis eſſet longum, ſed aliqua tamen ipſi perpendamus. Maledicta tua, inquit, paterer: hoc ipſum, maledicta pati, nos in poetis, atque etiam in Salluſtio, qui nouator uerborum dicitur à Gellio, fortaſſe pateremur, ſed illud uix pati poſſemus: reſpondebo tibi: nam quo pacto reſpondebit, ſi nunc ipſe prouocat, ut res ipſa ſic poſita loquitur, & oratio ſequens oſtendit: in qua ſunt illa uerba: uos, ſi forte offendemini, iuſtius huic, quàm mihi ſuccenſere debetis, qui initium introduxit? at res hæc ipſa leuis, quòd aliquid antea Cicero fortaſſe de Salluſtio detraxerat, cui

Salluſtius hoc modo reſpondit: ſit leuis, dum ſit illa grauis: ubi quærar? quos implorem P. C? ſic exordium, quod connexum debet eſſe, diſrumpit: ſic loquitur, & ſic patres conſcriptos, apud quos loquitur, offendit, ut nihil eorum, quæ ſunt in arte dicendi tradita, legiſſe uideatur. Hæc ipſa diceret in peroratione, ubi miſericordia melius ſolet commoueri. at ille poetam ſummum uoluit imitari, qui Sinonem ſic loquentem induxit: Heu, quæ nunc tellus, quæ me æquora poſſunt accipere? aut quid iam miſero mihi denique reſtat? ſed meminiſſe debebat, oratores potius, quàm poetas in ſcribendis orationibus imitandos eſſe, nec in diuerſis perſonis, rebus, & locis cantilenam ſemper eandem, quod aiunt, canendam. Vbi quærar? inquit: quos implorem? ego tibi dicam: in ſenatu queraris, ubi licet. quis enim prohibet? implores ſenatum, qui non modo rei tuæ, ſed totius etiam Reip. cuſtos, præſes, & propugnator appellatur. age, propius ut tecum congrediar, diripi Remp. atque audaciſſimo cuique eſſe perfidiæ? quis unquàm, quòd ſcias, ita locutus eſt? nemo, quod ego ſciam: nec te defendi poſſe uideo, quòd hæc ipſa uerba tanto cum ſtomacho dicantur, ut nemo mirari debeat, ſi minus latine dicta uideantur: quando genus hoc orationis ut incitatum, ſic ab omni uitio remotum debet uideri. Apud populum Romanum? uel eſt ὑπέρβατον, ut Grammatici uocant, quamuis abſurde factum: uel male uerba iunguntur: ubi querar? quos implorem? apud populum Romanum? eſt enim neceſſe, dicas: apud populum Romanum querar? quum tamen interpoſueris, quos implorem? ſed hoc mittamus, & illud dicamus: quum tu ſis in ſenatu, quæris, an apud populum queraris, quem tamen largitionibus corruptum dicis ita, ut, ſi uelis apud eum queri, iam beneuolum non poſſis habere: quanquàm tu hæc ipſa dicendi præcepta contemnis, qui non populum modo, qui abeſt, ſed

patres etiam conſcriptos, qui certe præſentes ſunt, offendis, quorum dicas autoritatem turpiſsimo cuique, & ſceleratiſsimo ludibrio eſſe: quaſi uero ſint ita ſocordes, & ignaui, ut autoritatem ſuam ſceleratiſsimis hominibus eſſe ludibrio patiantur, qui rerum domini non tam uocari, quàm eſſe uoluerunt. apud eos tamen, ut ais, M. Tullius leges, iudiciaq́; populi Romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quaſi unus reliquus ex familia uiri clariſsimi Scipionis Africani: quæ tu nunquàm, ſi modo ſcires ea, quæ tradantur in arte, dixiſſes. Obijcis enim, quæ libenter aduerſarius audiat. quippe qui gloriari uere poſsit, & ſoleat; à ſe non leges modo, & iudicia, ſed totam etiam Remp. eſſe defenſam: nec dubitet aliquando dicere, ſe in puppi ſediſſe, clauumq́; tenuiſſe. Tu uero quum uel audiſſes, uel etiam legiſſes illud in arte: aduerſarios in inuidiam trahi poſſe, ſi potentiam illorum proferamus, putaſti te magnum quid eſſe facturum, ſi diceres, in ſenatu Ciceronem moderari: & in ea re bis ipſe peccas. nam ualde ſenatum, quem minime uolebas, offendis, quem ſignifices ita ſegnem eſſe, ut aliquem dominari patiatur: & nihil Ciceronem, quem maxime cupiebas, offendis, quem dicas moderari, hoc eſt, ut omnes interpretabuntur, modum, qui rebus in omnibus laudari ſolet, adhibere. Iam uero quis non rideat, illa tua uerba legens? repetitius, accitus, & paulo ante inſitus huic uerbi ciuis: uel, ut in alijs etiã libris legitur: reptitius, ac inquilinus, & paulo ãte inſitus huic urbi ciuis: quæ nec uſitata ſunt, nec numeroſe cadũt: quãquàm dicere poteſt aliquis, Salluſtium oratorium numerum nõ magni feciſſe, & uerborum nouatorẽ ſemper quidem, ſed in primis tamen eſſe uoluiſſe, quum de Ciceronis nouitate loqueretur. Sanè uero ſimile uero uidetur, Ciceroni Salluſtium nouitatem generis exprobraſſe, aut obieciſſe, qui poſt Ciceronem decem & octo minimum annis Amiterni natus eſſe dicatur. Nam ſi locum cum loco conferas, non uideo, cur Amiternum

debeat Arpino *hac in re præsertim præferri : si tempus cum tempore, multo prius* Cicero, *quàm* Sallustius, *Romæ fuit, ut ille nouus, si cum* Cicerone *conferatur, debeat appellari: si ordinem cum ordine, eques uterque fuit, ut nos de* Cicerone *supra diximus, & de* Sallustio Acron, & Porphyrio *testantur : uel potius* Cicero *fuit eques, &* Sallustius *iste, quem nonnulli patricium fuisse dicunt, etiam plebeius : quem* Tribunum *plebis* Pompeio *tertium* Consule *fuisse uel* Asconius *affirmet.* Sallustius *igitur, cuius maiores erant ignobiles, ut in altera oratione cognoscetur,* Ciceroni *nouitatem generis obijcere iure non poterat, ut* C. Antonius, & L. Catilina, *qui, quod scribit* Asconius, *orationi, quæ dicta fuit in toga candida, contumeliose responderunt, quod solum poterant, in nouitatem eius inuecti.* Quod *si* C. Antonius, & L. Catilina, *qui* Ciceronis *æquales fuerunt, & eius mores, & uitam multo melius, quàm natu minores, & posteri, nosse poterant, præter nouitatem tamen nihil, in quod inueherentur, inuenerunt, quid tu declamator inepte post tam multos annos ausus es comminisci,* Ciceronem *eloquentiam apud* M. Pisonem *pudicitiæ iactura perdidicisse?* Atque *hoc quidem loco si quis mihi dicat, in declamationibus, quæ fingi solent, comminisci licere, libenter audiam, quòd mihi iam, quod cupio maxime, concedat, has esse declamationes: sin mordicus teneat, & ueras orationes esse defendat, ego contendam, non esse uerisimile,* Sallustium, *qui prudens scriptor habetur, sic imprudenter, quod nemo unquàm* Ciceroni *obiecisset, ac ne suspicatus quidem fuisset, id uel in senatu dixisse, ut* Calphurnios *homines nobilissimos, & potentissimos grauiter offenderet, quum tam libere non* Ciceronem *magis, quàm* M. Pisonem, *qui uir fuit innocentissimus, accusaret.* Verum *declamator iste, ut appellamus, quum fortasse aliquid eloquentiæ tali mercede fuisset*

assecutus, & alios ex ingenio suo iudicaret, id ipsum commentus est, propterea quòd in Bruto *legerat illa uerba: commentabar declamitans sæpe cum* M. Pisone: *& apud* Asconium: *fuit* M. Piso *iisdem temporibus, quibus* Cicero, *sed tanto ætate maior, ut adolescentulum* Ciceronem *pater ad eum deduceret, quòd in eo & antiquæ uitæ similitudo, & multæ erant literæ. ex quibus quidem uerbis discere poterat iste, huiuscemodi suspicionem in eum cadere non potuisse. Sed quid non audeat iste, qui de* Terentia, *&* Tullia *fœminis sanctissimis, atque optimis, & quæ uel ipso* Cicerone *teste* Deos *castissime coluisse dicantur, ita turpiter obloquatur? uerum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos tollit: uxor sacrilega, ac periurijs delibuta: filia matris pellex, tibi iucundior, atque obsequentior, quàm parenti par est.* Hæc Sallustius, *ut arbitror, nunquàm dixisset: quòd ueritus esset, ne* Terentiam *gentem, unde* Terentia *nata uidetur, uel* Fabiam, *unde fortasse potius nata est, quando* Fabia *soror eius ab* Asconio, *&* Fabia Terentia *à* Plutarcho *dicitur, offenderet: &, quod omnes existimant, ipse quoque turpe putasset, fœminas maledictis insectari: nec aliquid dicere uoluisset, quod nihil ad inimicum, uel certe parum pertineret.* Cur enim, *si peccet canis, sus, ut aiunt, puniatur, si uxor sacrilega sit, & periura, cur uir accusetur?* Ego *certe non uideo, cur magnopere debeat accusari, nisi, quod est in prouerbio, omnibus dormisse, uel uxori etiam leno fuisse dicatur: quod* Dion *etiam de* Cicerone *scribens, suo more mentitur: & si uidetur ille hoc, & illud item de* Tullia *pellice nescioquo modo hinc in suum librum transtulisse.* Nullus *enim præterea scriptor antiquus hac de re, quòd ego sciam, uerbum fecit, præter* Donatum Grammaticum, *qui, quod* Seruius *esse nefas putat credere, credit à poeta carmen illud de* Cicerone *scriptum fuisse:* Hic *thalamum inuasit natæ, ueti-*

tosq; Hymenæos. sed huius rei culpam declamator iste sustinet: qui, quod Ciceroni ne inimicißimi quidem homines unquàm, quod legamus, obiecerunt, primus uidetur esse commentus, & quidem uerbis, quæ quàm latine dicta sint, & collocata, uiri docti iudicabunt. Ego certe non memini me legere scriptorem, qui dixerit, hominem periurijs delibutum: aut ita uerba collocarit, ut ubi oratio maxime crescere debet, ibi maxime quasi decrescat, nec ad numerum satis apte cadat. Nam filia patri iucundior, & obsequentior, quàm parenti par est, rem, de qua loquitur iste, minus multo, quàm filia matris pellex, uidetur augere: & numerum talem, qualis hic est, par est, in quo uerbum ultimum sit unius syllabæ, & syllaba longa longam sequatur, Probus, & Fortunatianus, reijciendum esse iudicarunt. Hæc ipsa maiores nostri quum legerent, si considerassent, illi profectò, quæ fuit illorum prudentia, uidissent, in hac oratione nihil esse, quod à Sallustio scriptum uideri posit: Quamuis enim Seneca dicat, eius orationes in honorem historiarum legi, quasi significet, eas non admodum probari, qui tamen eas accurate legunt, nec ignorant, quid distent æra lupinis, præterquam quòd illud dicendi genus ab hoc diuersum esse cognoscunt, facile quoque intelligunt, Sallustium, qui cætera prudenter, & perite scripsit, hæc ipsa nunquàm, si cum Cicerone, qui princeps erat eloquentiæ, contendere uoluißet, tam temere, & imperite scripturum fuisse. Ille nunquàm, facta, ac dicta, sed, dicta, ac facta, ut oratio cresceret, in oratione collocasset: nec ea, quæ paulo post sequuntur, ita dixisset: Domum ipsam tuam ui, & rapinis funestam tibi, ac tuis comparasti, uidelicet ut nos commonefacias, quàm conuersa sit Resp. quum in ea domo habitares homo flagitioßime, quæ P. Craßi uiri consularis fuit. Hic enim quot uerba, totidem penè sunt errores: quorum primus ille numeretur: domum

tuam tibi cōparasti: quis enim sua sibi comparat? aut quis ita loquitur? domum meam mihi comparaui: nisi forte libeat interpretari: domum, quæ nunc est mea, mihi comparaui: uel comparaui meam, comparando meam effeci: de quo dicendi modo nos in Bruto quædam diximus. quo quidem modo poteris illud etiam interpretari: ui, & rapinis funestam tibi comparasti. Sed à te declamator ego quæram, cui funestam domum, uelis interpretari: si alijs, diceres, ut nos quoque, qui fuerint isti, sciremus: sin iungas, funestam, tibi, & tuis, indicares, quando domus illa Ciceroni, & domesticis eius funesta fuerit, nisi forte tempus exilij significare uoluisti: quod ego ut credam, uix adduci possum, quum domus ipsa nihil in ea re Ciceroni nocuisse uideatur. Nec ego uideo, quo pacto domus ui, & rapinis funesta Ciceroni dici posit, si, quod ipse significas, in eam multa, quibus ditior esset, ipse congerebat. Nec ille tam stultus fuisset, ut domum funestam sibi compararet. Ille certe nec ui, nec rapinis, ut ais ipse, sed millibus numûm triginta quinque, ut scripsit ipse, si modo scripsit, uel H S. uicies, ut loquitur Gellius, ipsam domum de Crasso comparauit: &, quod in epistolis ad Atticum refert, emisse bene iudicatus est: quamuis multi calumniati sint, eum de pecunijs, quas à P. Sylla mutuas sumpsit, esse mentitum: sed, ut ait Gallius, quum postea emisset, & hoc mendacium in senatu ei ab inimicis obijceretur, risit satis, atque inter ridendum, ἀκοινώνητοι, inquit, homines estis, quum ignoratis, prudentis, & cauti patrisfamilias esse, quod emere uelit, empturum esse negare propter competitores emptionis: De qua Paterculus ita refert: Quum Drusus ædificaret templum in palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est: inquit: quamuis alias etiam domos Cicero uideatur habuisse. Si M. igitur Cicero tanti domum emit, eam nec ui, nec rapinis,

nec, ut homines commonefaceret, quàm conuersa esset Resp. *comparauit, sed, quod etiam supra diximus, ut, qui uolebant, cum possent commodius conuenire.* Verum, *ut hoc tibi, quod possem negare, concedam,* εἰρωνείᾳ *defendi, & hoc item latine dici, commonefacias, quum habitares, quod ego dixissem, commonefacias, quum habites, illud quo pacto defendes, te rationem satis idoneam, cur* Cicero *commonefaciat, quàm conuersa sit* Resp. *reddidisse? an idonea satis illa tibi uidetur, quòd in ædibus* P. *Crassi uiri consularis habitet homo, ut ipse uocas, etiam flagitiosissimus?* Illud *ego quidem tum dici posse scio: ò domus antiqua, heu quàm dispari domino dominaris, sed non uideo tamen, cur magnum conuersæ* Reip. *sit indicium, quòd homo flagitiosus in ædibus uiri cōsularis habitet, quū sæpius ædes ipsæ propter rerum commercia commutentur: & sæpe consulares improbissimi fuerunt, ne forte tibi consularis uerbum magnum pondus habere uideatur: quod si tamen uideatur,* P. *Crasso uiro consulari* M. *Cicero uir consularis opponetur: nec quenquam fore credo, qui pluris illum, quàm* Ciceronem *faciendum putet, si res gestæ cum rebus gestis, si dignitas cum dignitate, si uir cum uiro conferatur.* Vt *enim* P. *Crassus* M. *Crassi pater uir clarissimus, ut hic in alijs libris etiam legitur, fuerit, ut qui de* Hispanis *triumphasse, &* Censor *fuisse dicatur, scimus tamen ea, quæ* Cicero *pro salute patriæ gessit, orbis terræ iudicio, ac testimonio, quod ad* Pompeium *scripsit ipse, fuisse comprobata.* Nec *alium* P. *Crassum significari posse, credimus, quum* Cicero *se domum de* M. *Crasso, qui* P. *Crassi filius fuit, emisse fateatur.* Quin *ego sæpe miratus sum, cur patrem potius, quàm filium, qui patre nec minus clarus, & certe ditior, & potentior fuit, nominaris, & eo magis, quòd* Plutarchus *scribit, à* P. *Crasso filios* ἐν οἰκίᾳ μικρᾷ *nutritos fuisse, ut domus hæc ipsa, quæ*

certe magna fuit, non P. Crassi fuisse, sed à Marco filio, quum diues esset factus, empta fuisse uideatur. Sed attendamus, quæ sequuntur. atque quum hæc ita sint, tamen se Cicero dicit in concilio Deorum immortalium fuisse: inde missum huic urbi, ciuibusq; custodem, absque carnificis nomine, qui ciuitatis incommodum in gloriam suam ponit. Hæc ipsa, quæ falsa sunt, ut ostendimus, etiam si uera fuissent, non erant tamen talia, ut deterrere Ciceronem debuerint, quo minus hoc ipsum, quod obijcis, diceret, si modo unquàm dixit, ut uere dicere potuit illud saltem, se urbi, ciuibusq; custodem fuisse, qui, quod fortasse nos etiam dicemus, ipse dicere, atque adeo iurare non dubitauit: Remp. atque urbem sua unius opera saluam fuisse. nam de concilio Deorum quod dicis, ita uidetur absurdum, ut uix dignum putem, de quo loquar, quia tamen obijcis, uidetur faciendum, ut tibi respondeam, Ciceronem non fuisse tam insolentem, qui, quum sciret se hominem esse, diceret, se in concilio Deorum fuisse. hoc ille si à Sallustio fuisset obiectum, confutasset, ut illud de Ioue, quod olim Clodius obiecit, facile confutauit. Sed, præter te, quod ego sciam, nullus obiecit, quod ille nunquàm dixit, nisi tu sic interpretaris, hoc illum dixisse, quum, quod poetæ sæpe faciunt, ipse quoque tunc poeta finxit in secundo Consulatu Vraniam musam secum locutam fuisse: ut mittam, quòd et Calliope quoque in tertio libro multa præscripsit: quæ si tu digna putas, in quibus illum tam grauiter accuses, ostendis profectò, te, quid sit esse poetam, prorsus ignorare. Quintilianus certe, quæ Cicero hac ipsa de re, & de Minerua dixit, si modo dixit, in carminibus eum, secutum quædam Græcorum exempla, sibi permisisse testatus est. Sed illud quid est? absque carnificis nomine. affirmas tu Ciceronem dixisse, se urbi custodem, absque carnificis nomine, fuisse, qui per iudices rerum capitalium, qui

certe carnifice utebantur, uiros minimum quinque confodiendos curauit? Illud igitur tu bene scriptum, & hoc latine dictum defendes: ciuitatis incommodum in gloriam suam ponit: quod sequitur certe nunquàm uerum esse defendes: quasi uero non illius coniurationis causa fuerit Consulatus tuus, & icirco Resp. disiecta eo tempore, quo te custodem habebat. Imo, quum Fuluia de Catilinæ coniuratione, quæ, & quo modo audierat, compluribus narrauisset, ea res in primis studia hominum accendit, ad Consulatum mandandum M. T. Ciceroni, ut ait Sallustius: qui postea nunquàm dixisset, quod ipsius uerbis, & re ipsa nullo negotio posset confutari. Quis enim nescit alias coniurationis causas ab historicis referri, & ipsam coniurationem multo ante, quàm Cicero Consul designaretur, factam fuisse? nec Resp. disiecta fuit eo tempore, quo Ciceronem custodem habuit, sed disiecta fuisset, nisi Ciceronem custodem habuisset. atque hic quidem tibi non magis constas, quàm ubi somnias, Ciceronem post Consulatum cum Terentia uxore nescioquæ de Rep. consuluisse, legis Plauciæ iudicia domi fecisse, ex coniuratis alios pecunia condemnasse. Quis enim non uideat hoc loco te somnium, quod aiunt, narrasse, quum, quæ fieri nullo modo poterant, dixisti? An poterat Cicero priuatus, hoc est, ut tu dicis, post Consulatum domi iudicia legis Plauciæ, uel alterius exercere, atque ciues etiam condemnare? Hoc ne Reges quidem fecissent, nedum Cicero priuatus, quem tu tamen, ut Torquatus, Regem non uocas, quamuis eò respicere uidearis. Nam quod nec fortasse satis latine dixisti, Ciceronem cum Terentia uxore quædam de Rep. consuluisse, scilicet is erat Cicero, qui consilio mulieris indigeret: sed fac consuluisse, quid tum? an tu reprehendis hominem, qui ne mulieris quidem consilium spernat, quod Reip. prodesse posit? & sanè quidem Terentia mulier ea fuit, cuius

omnino consilium sperni non debuit: quum Cicero ipse maritus eius uirtutem, fidem, probitatem, humanitatemq́; tantopere commendet, & eam fortiorem, quàm quemuis uirum esse testetur. quin ipse dixit, ut Plutarchus refert, se cum Terentia curas Reip. sæpius, quàm Terentiam priuatas secum communicasse. Nemo tamen unquàm, quod ego legerim, neque Terentiæ consilium, neque iudicia, quæ tu dicis, obiecit: ac ne illa quidem recordor quenquam dixisse, quæ tu de uillis ædificatis, & empta domo finxisti: nisi forte Dion, qui uoluit imitari, Calenum de Ciceronis diuitijs induxit aliquid mentientem. Nunc etiam tibi dabo, ut recte dixeris: is erat calumniæ proximus, & illud ubi legeris quæram: is domum tuam oppugnatum uenerat. Nullus enim tunc Ciceronis domum uenit oppugnatum: nec id unquàm Cicero dixit, quod nunquàm factum fuit. C. quidem Cornelius, & L. Vargunteius constituerant, ut ait Sallustius, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suæ imparatum confodere, sed ille quum domum suam maioribus præsidijs muniisset, eos exclusit, ut ipse scripsit in orationibus, ubi si legisses ista, & illud indicium toti Italiæ diuisum fuisse, non ita fuisses aperte mentitus. Sed iam ueniamus illuc: redde rationem quantum patrimonij acceperis, quid tibi litibus accreuerit, qua ex pecunia domum paraueris, Tusculanum, & Pompeianum infinito sumptu ædificaueris. Ita quæris, quasi uero Ciceroni difficile fuerit, eam reddere, quam nos etiam tot post annis supra reddidimus: ex qua facile potest apparere, Ciceronem patrimonij multum, ne de litibus, quas sapientissimus quisque semper fugit, loquar, accepisse: & ex pecunia, quam diximus à P. Sylla mutuatum, domum parasse: ac uillas ex fructibus, quos uel è Terentiæ dote, uel ex hæreditatibus capiebat, ædificasse: ne te putes argumento, quod refelli non possit, usum fuisse, ut ita conclu-

deres: Cicero neque patrimonium accepit, neque litibus acquisiuit, neque pecuniam habuit: ergo diuitias ex sanguine, & miserijs ciuium parauit: quasi uero non poßit aliquis etiam ditißimus fieri dote, mercatura, hæreditatibus, muneribus, uel amicorum, uel fortunæ, & si quæ sunt aliæ uiæ, quibus homines diuites euadant, quas tu quidem omnes in argumentatione complecti debueras, ne Rhetores eam uitiosam, ut est, esse clamarent. sed mirum ne sit, in eius scriptis argumentum esse uitiosum, qui sæpe non bene latine locutus est, & sæpius etiam uitiose uerba cõiunxit. nã quis unquàm ita uerba copulauit? red de rationem, aut cui potest esse dubium? item, diuitias ex miserijs ciuium parasti: uerum homo nouus hominum simultatem contemnit. Particulas aut, & uerum Cicero, uel alius, qui latine loqui sciret, aliter multo collocasset. & sanè particulæ huiusmodi loco positæ, uix dici potest, quàm belle distinguant, & illustrent orationem. Verum post Ciceronis ætatem fuerunt homines, & hodie sunt, ut quum maxime, qui res istas, ut aiunt ipsi, leues aspernentur: nec uident, orationes, quæ non huiusmodi quasi uinculis sint colligatæ, scopas dissolutas à doctis appellari. Talem nos hanc orationem semper esse putauimus, & esse talem facile probaremus, si persequi cuncta uellemus: sed quædam nunc est satis indicare, qui uolet, plura deprehendet, uel omnia potius negligenter esse tractata, usque adeo declamator iste, quid esset seruandum scribendis orationibus ignorauit. Ferri tamen fortasse posset, si uel historias, quæ notißimæ sunt, ipse nouisset: sed audite nunc, quàm male quæ de M. Crasso scripta sunt, nouisse uideatur. Homo nouus, inquit, Arpinàs ex M. Craßi familia, eius uirtutem imitatur, contemnit simultatem hominum nobilium, Remp. charam habet; neque terrore, neque gratia commouetur. Hic si quæratur, cur M. Crassum potius, quàm Q. Catulum, Q.

Hortensium, uel alios etiam consulares, quibuscum Cicero rectius multo poterat conferri, posueris, responderi fortasse posit, quòd M. Crassus ipse quoque diuitias ex miserijs ciuium pararit: uerum tu primum, quàm bene coniunxeris hoc ipsum, uideris: deinde, quàm recte, uirtutem eius, qui talia fecit, dixeris: mihi certe nemo persuaserit cætera, quæ de M. Crasso deinceps uel dicis, uel significas, eum nobilium hominũ simultatẽ contẽpsisse, Remp. charã habuisse, neq; terrore, neq; gratia solitum commoueri: qui nulli non hominum generi gratificabatur, ut Pompeio par esse posset: qui cum Pompeio, & Cæsare Remp. perturbauit, uel potius euertit: qui nullum uerbum contra gratiam faciebat: qui commotus etiam terrore uideri potest aliquando, quum Cæsar ei fœnum detraxisse dicatur: quæ contra nos omnia, quamuis ea tu dissimularis, de Cicerone uere dici posse, quum tempus erit, ostendemus: nec fuisse causam, cur tu sic inferres: Illud uero amicitiæ tantum, ac uirtutis est animi? uel, ut in libris manuscriptis etiam legimus: Quid uero amicitiæ tantum, ac uirtus est animi tanta? deinde sic explicares: Imo uero homo leuissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, nemini fidus, leuissimus senator: quum tu, nihil probans, facile possis refutari. nam si uir aliquis magnus ita dicat: Cicero uir fuit constantissimus, non supplex inimicis, non amicis contumeliosus, non modo harum, modo illarum partium, sed omnibus fidus, & fortissimus senator, omnes illi, quàm tibi libentius assentiantur. Nunc, quum probare quiuis posit, ut nos etiam suo loco probabimus, eum talem fuisse, qualem modo descripsimus, quis declamatori credat, quicquid in buccam uenit, effutienti? Tu, si nos tibi credere uolebas, ea, quæ dicebas, argumentis, quæ in arte traduntur, probares, quum scire posses, quàm turpe sit, ea dicere, quæ uel uno uerbo,

quod est, nego, possint confutari: sed tu declamatorio genere delectatus, ea, quæ nunquàm facta sunt, ita temere dixisti, uel potius effudisti, ut Ciceronem, *quem nos ostendimus ex patrocinio nihil unquàm mercedis accepisse, patronum mercenarium non dubitaris appellare.* His *similia sunt illa, quæ uel à te nescioquis, qui de* Rep. *ordinanda scripsit ad* C*æsarem, uel ab illo tu mutuatus es, uel potius ipse hic, & ibi scripsisti: nulla pars corporis à turpitudine uacat: lingua uana, manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honeste nominari non possunt, inhonestissima: & similis defensio: omnis pars corporis turpitudine uacat: lingua non uana, manus non rapacissimæ, gula non immensa, pedes non fugaces, quæ honeste nominari non possunt, honestissima: uel tu diceres, quid turpitudinis in eius corpore fuerit, quid uani lingua sit locuta, quid manus rapuerint, quid gula deuorarit, quod pedes fugerint, cur minus honesta fuerint ea, quæ honeste nominari non possunt.* Nos *enim credimus, uel iam, quum dicat* Quintilia*nus, etiam scimus, atque alio fortasse loco probabimus, eum uirum bonum fuisse.* Qui *porrò uir est bonus, is turpitudinem uitat, non uana loquitur, non rapit, non helluatur, non fugit, non habet partes, quæ honestæ nominari non possunt, minus honestas. & sanè* Cicero *turpitudines omneis semper, ut qui maxime, uitauit: nec uana, sed uera locutus est ita, ut olim sic exclamare non dubitarit. ò mea frustra semper uerissima auguria rerum futurarum: id quod* Cornelius *etiam* Ne*pos affirmat: tantum uero abest, ut manus ille rapaces habuerit, ut* M. *Cato, qui sit instar omnium, integritatis ei testimonium dederit: at ei gula fuit immensa: uoluisti fortasse dicere, quod nos ex* Bruto *supra retulimus, ei procerum, & tenue collum fuisse: nam gulæ, & genio, quod aiunt, indulsisse quis eum credat? qui præcepit, tantum cibi, & potionis ad-*

bibendum, ut reficiantur uires, non opprimantur: qui uoluptates huiuscemodi semper est insectatus: qui Verri prandia, & cœnas obiecit: qui scripsit luxuriem omni ætati esse turpem: qui corpore non admodum firmo fuit: qui semper est in artium studijs, doctrinisq; uersatus: quod qui faciunt, an luxuriose poßint uiuere, quiuis potest iudicare. at ipse scribens ad Papirium Pætum, se uocat edacem: uocat ille quidem, sed iocatur, item se in Epicuri aduersarij sui castra coniecisse. Iam Ciceronis pedes cur fugaces appellasti? an quòd ille maluit urbe cedere, quàm cum P. Clodio pugnare? an ipse nesciebas illud, uir fugiens, iterum pugnabit? nisi tam sæpe peccasses, non arbitrarer, te sic amentem fuisse, ut id illi uitio dares, quo solet ille frequenter etiam gloriari: sed quum tu nihil penè dixeris in hac præclara oratione, in quo non ualde uidearis offendisse, uereor, ne, quum de pedibus fugacibus loquereris, pedes ita fugaces ipse non habueris, ut effugere offensionem potueris: nisi forte non illum ab urbe discessum, sed aliud quid significare uoluisti, quod tamen ipse dicere debueras, ut profectò dixisses, si quid haberes huiuscemodi, in quo poßes illum grauiter accusare: sed quum tu nihil haberes, quod probare poßes, hæc suspiciose, & criminose declamatorio more dicebas: pro quibus te nunc etiam grauißimas pœnas apud inferos dare credimus, qui uiro sanctißimo non solum turpißime maledixeris ipse, sed etiam causa fueris, ut alij maledicerent, ut Diõ, qui sic ista maledicta collegit, & te sic imitatus est, ut simia quædam fuisse uideatur. Itaque, nunc ut cætera mittam, Græculus ille pedes hic fugaces quum legißet, ausus est scribere, Ciceronem fugitiuum, uel transfugam, id est αὐτόμολον appellatum fuiße. De partibus autem, quæ honeste nominari non poßunt, nihil tibi, qui nihil dicas, sed his aliquid, qui dicunt aliquid, aliàs fortaße respondebo, & tibi nunc illud dicam,

cam,

eam, te, qui nihil horum probasses, ita dicere non debuisse: atque is, quum eiusmodi sit, tamen audet dicere: ô fortunatam natam me Consule Romam. nam sic ego conuertam: quum uir sit bonus, ut diximus, hoc audet dicere: quanquàm siue sit bonus, ut nos credimus, siue sit improbus, ut ipse putas, cur, quod uerum sit, uel esse poßit, non audeat dicere? non enim sequitur, ut Roma fortunata esse non poßit, quia Cicero sit improbus, ut hac in parte tibi concedam, quod semper negabo. Sed non faciam, ut, quod patet, pluribus urgeam, nec conabor, quod omnes historici scribunt, probare, Romam tunc uere fortunatam fuisse, tantum abest, ut uerum sit, quod iste mentitus est, crudelißimam proscriptionem fuisse, & Ciceronem turbata Rep. metu perculsos omneis bonos parere crudelitati suæ coegisse. Nullus enim, quod ego legerim, proscriptus est: & Ciceronem crudelem nec patria, nec natura esse uoluit, ut ei postea iure Cato clementiæ testimonium dederit. Nec boni Ciceronis crudelitati, quæ nulla fuit, sed Cicero bonorum prudentiæ, quæ summa fuit, paruit, quum Consul ipse nihil constituit, nihil geßit, nisi ex senatus consilio, autoritate, sententia. Quare Ciceronis Consulatum, præter Clodium, & Antonium, nemo unquàm uituperauit, ut in Philippicis affirmat: quod ille nunquàm profectò dixisset, si prius etiam Sallustius illum uituperasset. nam post illud tempus an uituperare potuerit, ipse posterius uidero. Nunc ita quæro: an Consulatum Ciceronis omnes homines, præter duos, comprobassent, si, quod ipse dixisti, tunc omnia iudicia, omnes leges in eius libidine fuissent, si ille, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium uitæ, necisq; potestatem ad se unum reuocasset? omnes illum potius ut tyrannidem quandam uituperassent. Sed illi quum certo scirent, quod postea Sallustius, & alij scriptores affirmarunt, eum totam Remp. conseruasse, non

existimauerunt, illum partem aliquam ut leges aliquas, & iudicia, atque etiam libertatem, sine qua nulla potest esse Resp. sustulisse. Tu uero sic imprudens, uel potius impudens fuisti, ut, quum Sallustius ipse scripsisset, à Cicerone Remp. ex seruitute ereptam fuisse, tu quasi Sallustius auderes dicere, ab eo libertatem è ciuitate sublatam fuisse? scilicet Sallustius ita temerarius fuisset, & os ita perfricuisset, ut quod anteà fuisse lucem scripserat, id postea tenebras appellaret. Ne non tamen aliquid tibi concedam, uideris, quod ad legem Porciam pertinet, recte dixisse, à Cicerone tunc eam propemodum sublatam fuisse, quum indicta causa in ciues Romanos animaduertit, quum Porcia lex, ut ait Liuius, graui pœna, si quis uerberasset, necassetue ciuem Romanum, sanciret. sed audi, quid Sallustius ipse dicat: senatus decretum fit, sicut Cato censuerat: censuerat autem de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum: quod Cicero sic executus est, ut eum qui uelit accusare, necesse sit, ut senatum prius accuset. Verum, ut aliquid etiam de uerbis interdum dicamus, quis ex ueteribus ita locutus est? parum est, quòd impune fecisti, uerumetiam commemorando exprobras. qui eleganter scripserunt, sic, opinor, dixissent: parum est, quòd impune fecisti, nisi commemorando exprobres: nec Laurentius Vallensis, quod sequitur, ita dixisset: neque licet obliuisci seruitutis suæ. Donatus uero nec ita, nec ut in alijs libris legitur, neque licet obliuisci seruitutis tuæ, nisi seruitutem pro dominatu positã, ut apud Terentiũ facit, interpretaretur: quòd seruitus ad seruum, non ad dominum referatur. nec ego probem, si quis, ut etiam scriptum uidimus, legat: neque licet obliuisci uirtutis suæ. sic enim peccares in eodem, quod Laurentius Vallensis reprehendit: & in eo, quem nunc accusas, uirtutem nominares. sunt, qui legant: neque licet obli-

uisci seueritatis suæ. nos horum nihil, ut nunc est, probamus, ac ne illud quidem: perfeceris, quod libet. ut aliquis perfecerit, quod libet? qui fieri potest? perficit aliquis, quod libet, perfecit, uel perfecerit, quod libuit. Itaque mihi non placet, nisi legatur, ut etiam scriptum est: perfeceris quidlibet. Possem etiam dicere, ut detur, latine dictum esse, odio aures onerare, dubitari posse, an recte dicatur, aures uerbis insectari, sed, ne uerba pro farina, quod dici solet, dare uidear, ad rem reuertor: quasi uero togatus, & non armatus ea, quæ gloriaris, confeceris. Nisi de uersibus istis ipse Cicero L. Pisoni tam multis uerbis, & tam bene respondisset, ut omnia, quæ de uersibus huiuscemodi uel dicta fuerant, uel etiam dici possent, confutarit, ego tibi pluribus etiam uerbis hoc loco responderem: sed quoniam satis ille fecit, huc illa pauca uerba transferam: Non dixi hanc togam, qua sum amictus, nec arma, scutum, & gladium unius imperatoris, sed quod pacis est insigne, & otij toga, contrà autem arma tumultus, atque belli, more poetarum locutus, hoc intelligi uolui, bellum, ac tumultum paci, atque otio concessurum. Hæc ante, quàm sic explicarentur, quum L. Piso minus intellexisse uideretur, eum Cicero non dubitauit asinum uocare, ego uero te declamator, qui ne sic explicata quidem uideris intellexisse, quo nomine, nisi Ciceronem prorsus imitari placet, appellem? es quidem tu fortasse dignus eo nomine, qui, quamuis aures erexeris, nihil horum tamen intellexisti, & asinus ad lyram, ut dicitur, uere fuisti, sed ego non soleo quenquam maledictis, ut uos declamatores, insectari, nec cum laruis, ut aiunt, luctari. Satis habeo, quod sentiam, dicere, &, quicquid id sit, doctioribus iudicandum relinquere, ut hoc ipsum, de quo loquimur, existimo, te non recte intellexisse, quum significasti, si non dixisti, Ciceronem potius armatum, quàm togatum, ea, quæ glo-

riatus est, confecisse. quum satis constet, Ciceroni primum post urbem conditā togato supplicationem decretam fuisse. unde ne, quod ex oratione pro Sylla postea dicemus, hic etiam ponamus, Philippica decima quarta sic ipse scripsit: Mihi Consuli supplicatio, *nullis armis sumptis; non ob cædem hostium, sed ob conseruationem ciuium, nouo, & inaudito genere decreta est. Quòd si nulla sumpta sunt arma, togatus, non armatus fuit: nisi tu forte, quòd urbem præsidijs muniuit, quòd amicorum præsidio tectus esse uoluit, quòd thoracem, ut ait* Plutarchus, *induit, icirco non togatum, sed armatum fuisse iudicasti. sed recordari debebas, & homines priuatos, &* Reges *huiuscemodi sæpe præsidijs uti, neque tamen armatos appellari.* Vere *armati dicuntur, & illi priuati homines, qui contra interdictum ui, hominibus armatis ueniunt: & illi* Reges, *siue magistratus, qui maximos exercitus conscribunt. Quid multa?* Romani, *si nescis, in magnis* Reip. *periculis ad saga ibant, sed eo tempore neque* Cicero *Consul, neque reliqui ciues saga sumpserunt. ergo togatus* Cicero, *togati reliqui ciues fuerunt, quum* Romani *togis, ut constat, uterentur.* Ad *hoc ipsum, quod decipere doctos etiam poterat, ut tibi respondi, sic illud, quod sequitur de Sylla rideo, & rident omnes, qui te uident, aquam planè, quod aiunt, cum igne miscere, hoc est, ut ego nunc interpretor, hominem clementißimum cum homine crudelißimo comparare.* Idem *fecit apud* Sallustium Macer *quidam* Tribunus *pl. qui* Catulum Sylla *longe sæuiorem uocauit: sed ille, ut* Tribunitiam *potestatem, quam paulo crudelius ipse* Catulus *oppugnare uidebatur, tueretur,* Tribunus *ipse plebis uehementius agebat: tu quid habebas, in quo* Ciceronem *crudelem uocare posses? nihil, opinor. nam, si quid habuisses, diceres: ut eius artes item, si potuisses, reprehenderes: sed, quum tales essent, ut reprehendi non pos-*

sent, illa præclara εἰρωνείᾳ *usus es: quem Minerua omneis artes edocuit: tanquàm hæc ipse dixisset: quem tu certe, si mentitus esset, redarguere, & refellere tentasses: quanquàm tibi hac de re, &* Deorum *concilio paulo ante respondimus, ut iam possimus eò uenire:* Italia *exulem humeris suis reportauit: non reportauit exulem bone uir, qui nunquàm fuit exul, ut in oratione pro domo satis ipse probat: & si fuit exul, certe non erat, quum reportauit: &* Italia *suis humeris* Ciceronem *redeuntem, quamuis aliter ipse fortasse senseris, reportauit, quum redeuntem, & iter facientem sustinuit: quæ si tibi iocosa nimis interpretatio uidetur, placeat illa, quæ seria sit:* Italia *redeuntem comitata est, quod ipse scripsit, & tu ne scio quo modo mutasti: qui putasti te magnum quid dicere, quum* Ciceronem Romulum Arpinatem εἰρωνικῶς *appellasti, quem uere poteras appellare: quum minor non sit uirtus, quàm quærere, parta tueri, ut ait ille poeta: & si* Camillus, *qui restituit, secundus* Romulus *est appellatus, cur* Cicero, *qui seruauit imperium, non poterat uere* Romulus *appellari? Mihi tanto dignior eo nomine, quàm* Camillus, *uidetur, quanto maius eò tempore fuit imperium.* Quin *ego sæpe mecum cogito,* Ciceronem Romanis *omnibus, qui* Remp. *bene uel domi, uel foris unquàm gesserunt, merito posse præferri. nam cæteri partes aliquas* Reip. *iuuarunt, sed eam* Cicero *solus uniuersam conseruauit.* Accedit, *quod* Plinius Cæsarem *scripsisse refert:* Ciceronem *omnium triumphorum lauream adeptum maiorem, quanto plus est ingenij* Romani *terminos in tantum promouisse, quàm imperij. quin idem* Cæsar *in libris de ratione latine loquendi de* Cicerone *illa uerba, quæ sunt in* Bruto, *scripsit: ac si cogitata præclara eloqui possent, nonnulli studio, & usu elaborauerunt: cuius te pene principem copiæ, atque inuentorem, bene de nomine, ac dignitate populi* Romani *meritum*

esse existimare debemus: quam gloriam, testimoniumq; Caesaris M. Brutus multorum triumphis anteponit. etenim quo uno uincebamur à uicta Graecia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. & tu postea declamator ausus es illa uerba dicere? qui egregia tua uirtute omnes Paulos, Scipiones, Fabios superasti. Sic enim loqueris, ut significes; nec in Cicerone uirtutem fuisse, nec illum cum Paulis, Scipionibus, & Fabijs esse conferẽdum, qui uirtutibus, ut audisti, Romanos omnes etiã superauit. Sed iam tempus est, ut interrogationi tuae respondeam. Quem tandem, inquis, locum in hac ciuitate obtines? principem: quae tibi partes Reip. placent? optimatium: quẽ amicũ? Reip. studiosum: quẽ inimicũ habes? qui sit hostis Reip. cui insidias in ciuitate non fecisti ancillares? nemini: quo iure, quum de exilio tu rediisti, Dyrrachio existi? iure optimo, quod senatus dederat: cur sequeris, quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faues: qui tibi ante optimates uidebantur, eosdem nunc dementes, ac furiosos uocas? multae sunt causae, quae nũc magnam partem in epistolis ad Lentulum leguntur. Vatinij causam agis? causas in epistolis ad Lentulum uidere potuisti. De Sestio male existimas? quòd sit morosus, ut in epistolis ad Quintum fratrem scribitur: quanquàm uirum optimum, & sui amantissimum uel in epistolis, quas post Caesaris caedem scripsit ad Atticum uocat, ut appareat, te, ut soles, mentiri. Bibulum petulantissimis uerbis laedis? ubi? laudas Caesarem? quem maxime odisti, ei maxime obsequeris? mirum est, haec te dicere, qui causas in oratione de prouincijs consularibus, et in epistolis ad Lentulum, & ad Atticum scriptis uidere potuisti. Aliud stans, aliud sedens de Rep. sentis? mentiris tu quidem, ut soles, sed tamen nunquàm praestantibus in Rep. gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio. non enim semper idem dicere, sed idem semper spectare de-

bemus: ut in epistolis ad Lentulum pluribus etiam disputatur. his maledicis, illos odisti, leuißime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habens? Cato tamem ei fidei testimonium dedit. Hæc ex coniectura, & libris manu scriptis ita legimus, & paucis confutauimus, quòd uix digna putemus, quibus respondeatur: sed, si quid erit addendum, suis locis addetur. Nunc declamator, qui quamuis Sallustij personam, quasi uestem auream induisses, simia tamen, simia quũ esses, uel potius asinus Cumanus, ut apparet, extitisti, uelim mihi, quemadmodum ego tibi respondi, sic tu, si modo potes, ipse respondeas: quando uelis, antene, an post Cæsaris mortem orationes istas scriptas fuisse: si ante, quo pacto in istis nominantur historiæ, quas ipse Sallustius iam senex post Cæsaris mortem scripsit? qua ratione sic ipse Cæsar accusatur, ut in eius castra sentina Reip. confluxisse dicatur? ut mittam, quæ paulo post adduntur. sin post, cur Tulliam, & Bibulum, qui certe prius obierant, ut uiuos nominasti? imo de Cæsare mihi tanquàm uiuo loqui uideris. Quòd si forte uelis excusare, oratores ita loqui solere, acrius instabo, & dicam, tantum abesse, ut istas Sallustius, & Cicero scripsisse dici poßint, ut istæ mihi, ne uiuo quidem Cicerone, scriptæ fuisse uideantur. Id nos ita collegimus. Sallustius, dum uixit Cæsar, in Rep. quod Hircius, Appianus, & Dion ostendunt, est uersatus, & fortaße deinceps, & postea, quod ipse scribit, sibi reliquam ætatem à Rep. procul habendam decreuit: quo tempore scripsit historias iam senex, ut apparet: senex uero, Cicerone uiuo, non poterat eße, quando uix annum quadragesimum quintum Hircio, & Pansa Consulibus, quibus dicitur interfectus Cicero, agebat. Historias igitur ille post Ciceronis mortem scripsit, & tamen ipse tibi sic parum constas, ut inducas Ciceronem illas nominantem: nec uides illud pugnare, Sallustium in

Rep. uersari, in senatu Ciceroni maledicere, & ei contra Ciceronem respondere in senatu, & eius historias nominare, qui iam tum, quum cœpit historias scribere, sibi reliquam ætatem à Rep. procul, ut ipse loquitur, habendam decreuisset.
EGN. *De Sallustio si plura dixisses, libenter audiremus.*
COR. *In illud differo tempus, quum Zephyro, quicquid de scriptoribus, & literatis hominibus uel scriptum inueni, uel cognoui, uel ipse præsens uidi, dabitur.* EGN. *Quod differtur, non soluitur.* COR. *Non aufertur tamen: quanquàm potest etiam auferri, dum uobis alia ratione satisfaciam.*
EGN. *Modo satisfacias: sed multum timemus, ne tu Zephirum, cui te nescioquid daturum polliceris, uel potius minaris, expectes, & eum nactus, hinc, re nondum perfecta, profugias.* COR. *Huic Zephiro te quoque, si Deus uolet, dabo.* EGN. *Tu uero ne feceris: men' ut tradas proteruis in mare Creticum portare uentis?* COR. *Te Zephyro, inquam, qui tuam, & multorum uitas uere feret, dabo.*
EGN. *Fortaße potius auferet.* COR. *Laturum se certe uel ipso nomine pollicetur: & nos in eum uitas penè omnium, qui præsertim literarum studia coluerunt, congeßimus.*
EG. *Caue, ne montes parturiant.* COR. *Cauebit Deus, qui potest: nos, quod in nostra fuerit manu præstabimus. Quòd si, quod cupimus, efficere poterimus, extabit profectò liber, unde, qui literas profiteantur, scriptorum uitas petant.*
PIER. *Rem non minus utilem, quàm laudabilem feceris.*
COR. *Tunc illi, qui Sallustium putant in historijs parce nimis, & inique de Cicerone scripsiße, intelligent, eum, qui, ut ait ipse, statuißet res gestas populi Romani carptim, ut quæque memoria digna uidebantur, perscribere, uix plura de Cicerone scribere potuiße: quamuis iste nugator inde nactus occasionem, præclaras orationes istas, de quibus iandudum lo-*

quimur, finxisse uideatur. PIE. At iam mouebit cornicula risum, furtiuis nudata coloribus: uel potius, qui leo uidebatur, asinus posthac esse cognoscetur: ita mihi uideris egregie leonis ei pellem detraxisse. EGN. Mihi quoque uideberis, si pilos omnes abstuleris ita, nullus ut possit ex aliquo pilo, tanquàm ex ungue, leonem putare. nam, quum semper antea leo sit habitus, ut nunc detracta pellis et dicatur, multi tamen, ut fit, existimabunt, eam nescioquo modo uel ætate, uel morbo potius mutatam, quàm prorsus esse detractam: nec, ut aures longas uideant, asinum, quem leonem putarunt, esse fatebuntur. COR. Et si tu me iubes, qui sit adhuc leo, tondere, spero tamen me nihil in eo relicturum, unde quis eum possit amplius leonem iudicare. En igitur, qui leo, hoc est Cicero uoluit uideri, illum sic, ut audietis, expressit. Ea demum, inquit, magna tibi uoluptas est Crispe Sallusti, æqualem, ac parem uerbis uitam agere: nec quicquam tam obscœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat: ut omnis oratio moribus consonet. Aut ego fallor, aut Cicero nunquàm nec ita respondisset, nec ita locutus esset: sed illud potius, qualis uita, talis oratio, quod res ipsa postulabat, attulisset, idque uerbis si non pluribus, at ornatioribus, & magis etiam proprijs expreßisset. An unquàm Cicero dixisset: æqualem, ac parem uerbis uitam agere? aut illud, neque quicquam obscœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat? aut illud item, ut omnis oratio moribus consonet? non dixisset profectò, ut quiuis, qui sit in eius scriptis uersatus, facile poterit iudicare. Nec illa ratio, quæ sequitur, mihi digna Ciceronis prudentia uidetur: Neque enim, qui ita uiuit, ut tu, aliter, ac tu, loqui potest: neque eius, qui tam illoto sermone utitur, uita honestior est. Imo, qui ita uiuit, ut tu, aliter, ac tu, loqui potest:

& eius, qui illoto sermone utitur, interdum uita est honestior. Nam quo pacto clament poetae: lasciua est nobis pagina, uita proba: nisi quis, ut bene loqui, & male uiuere, sic bene uiuere, et male loqui possit? multi certe semper fuerunt, & hodie sunt, ut quum maxime, qui quamuis honeste minus loquantur, honestissime tamen uiuunt: & contrà multi, qui simulant Curios, & bacchanalia uiuunt. an uero sermo uel lotus horum, uel illotus illorum rectè dicatur, iudicent eruditi, nos certe non credimus Ciceronem, qui docuit translationem uerecundam esse debere, ea, quae uerecunda non uideatur, usurum fuisse; nec principium tale facturum: Quò me uertam patres conscripti? unde initium sumam? paucis ego tibi dicam: si Deos salutas, te uertas dextrouersum, ut ait Plautus; censeo: & si rem sacram facis, ab ipso Lare, quod aiunt, incipias. Verum sine ioco: si Sallustius, ut diximus, ita nunquàm fuisset exorsus, id multo minus Cicero, qui nunquàm fecit; & contrarium faciendum praecepit, fecisset, nisi uoluisset aduersario par pro pari, quod aiunt referre, id est, quod credi non debet, simul cum eo peccare: sed declamator iste cupressum, quod unum sciebat, uoluit simulare. Haec ipsa, quae sunt artis, ut in eo, qui qua in arte se tunc exercebat, eius praecepta uel in primis tenere debebat, ualde sunt reprehendenda: ita, quae ad elocutionem pertinent, sunt ei fortasse condonanda. Natus enim uidetur, quo tempore male latine loquebantur. Quae res ut homini uitio uerti non debeat, plurimum tamen ualet ad probandum, quod uolumus, huius orationis, in qua tam multa non inculte solum, sed etiam inquinate dicuntur, autorem non fuisse Ciceronem, qui omnium elegantissime semper est locutus. Id & si quiuis, qui tritas aures habeat notandis Ciceronis locutionibus, intelligere potest, quia tamen adhuc nemo uidetur intellexisse, nemo certe, quod sciamus, indicauit, nos ipsi, qui Ci-

ceronis, ut qui maxime, sumus studiosi, iam nunc iudicabimus: neque tamen omnia, quæ dici possent, ne longum faciamus, sed, quæ dicenda uidebuntur, ut iuuemus, hoc sermone complectemur: nec uolemus præstare, ea, quæ nos indicabimus, ita semper, ut nos dicemus, sed frequentius à Cicerone dicta fuisse, & à nobis, qui Ciceronem imitari uolumus, esse dicenda: ut si dicam, Ciceronem solere, factum, non actum, quum de uita, istum non hunc, quum de aduersario loquitur, dicere, non negabo tamen ipsum prorsus aliter unquàm locutum fuisse, sed quod ille frequentius fecit, affirmabo. Solet igitur Cicero, meum factum, non meum actum, istum Clodium, non hunc Clodium, dicere: iste uero declamator dixit: de mea uita, atque actibus huic conuitiatori respondero: nec sciuit, quod etiam Grammatici sciunt, hunc ad eum, qui loquitur, et istum ad eum, de quo quis cum altero loquitur, si modo sit illi uicinior, interdum etiam per contemptionem referri. sed excusari fortasse posset, quòd uel excidisset, uel ita fuisset à librarijs descriptum, nisi in tota oratione penè semper ita fuisset locutus. Nihil dico de uerborum tali compositione, mea uita, atque actibus, in qua sunt uocalium concursiones, quæ, ut Rhetores docent, & apparet, uastam, atque hiantem reddunt orationem. habet tamen, ut Cicero scribit, ille tanquàm hiatus concursu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam. Quare, ut hanc isti negligentiam condonem, nunquàm certe condonabo, recte hoc loco dictum esse: inuidiam gloria consequatur. Cur enim Cicero, quod optare debet, uereatur, ne, si de rebus suis dicat, inuidiam gloria consequatur? Ego uero, si sperem fore, ut, si de me dicam, inuidiam gloria consequatur, non cessem quotidie de me prædicare: sed contrà uerear, ne, quod fieri solet, inuidia gloriam consequatur: quòd gloriæ, ut ait Cicero, ma-

xime soleat inuideri. Itaque nunc, ut istum hac in parte defendamus, libros ueteres libenter sequimur, in quibus ita scriptum uidimus: inuidia gloriam consequatur. Scimus quidem, non deesse, qui, consequatur, adipiscatur, & acquirat, interpretentur: sed non uident illi, ut dicimus, res bonas consequi, ita malas res consequi, hoc modo raro, uel nunquàm potius apud bonos scriptores inueniri. Nos item credimus, homines illius ætatis, uel poetas pòtius, quàm ueteres oratores ita locutos fuisse: huius facta, mores, omnem ætatem nudauero: nec uidemus ueteres ipsos sæpe dixisse: in uitium procacitatis incidere, uel, initium procacitatis incidere, uel initium intro ducere, nisi forte cuius rei id esset initium, demonstrassent. Hæc ipsa Cicero, quæ fuit hominis in dicendo diligentia, nec, ut opinor, dixisset: nec, quæ fuit eiusdem prudentia, illud in principio posuisset: pro me minimo fastidio respondeam: nam dici posset: ergo cum aliquo fastidio respondebis: quod quam fugiendum sit ijs, qui uolunt dicere, Rhetores, dum tradunt præcepta conciliandi auditoris, ostendunt. nemo certe libenter audit eum, qui cum fastidio loquatur: nec eum, qui mentiatur, quod à principio se facturum sit pollicitus, ut iste propemodum facit, dum uerba dicit illa: in hunc minime mentitus esse uidear: perinde, ac si dicat: mentiar quidem, sed ita, ut in hunc minime mentitus esse uidear: uel, in alios quidem mentiar, sed in hunc minime mentitus uidebor: quanquàm, mentiri in aliquem, non sæpe dictum uidemus. Nunc uideamus, quàm turpiter in limine, quod aiunt, iste declamator offendat: Scio, inquit, me patres conscripti in respondendo non habere magnam expectationem: primum quid est, habere expectationem? opinor, idem, quod expectare: uel, ut dem, quod fortasse possim negare, expectari: at iste bonus orator neutrum uoluit significare. Nihil enim erat, quod ille expectaret: nec

erat, cur ipse, qui præsens erat, expectaretur: sed uolebat ostendere, tertium quiddam expectari solere, quod sciret à se non magnopere tunc expectari: quod quàm latine, quamque prudenter etiam sit dictum, doctiores iudicabunt, qui sciunt, nec ueteres ita loqui solitos fuisse, & artis esse præceptum, ut in principijs expectatio non minuatur, sed concitetur. Videbunt item, an, quum γινώσκω *, in respondendo, dixerit, rationem, quæ statim sequitur, ad Sallustium recte retulisse uideatur. Dicerem etiam non ualde mihi probari, crimen in Sallustium audituros, nisi, crimen Sallustij audituros, in libris manu scriptis legissem. sed semper, ut uerum fatear, ego dubitaui, an illud criminibus aures calent, recte dicatur: contrà uero nunquàm dubitaui, quin, ponere rudimentum, sit ex figuris, quas affirmat Quintilianus suo tempore mutatas fuisse. Vt enim scriptores, qui post Augustum fuerunt, ita sæpe uidemus dixisse, sic ex ueteribus, qui sit ita locutus, non ita facile proferre possemus. Idem de uerbo, præterire, pro superare, posito dicam, nisi uideam Varronem, qui fuit omnium doctißimus, ita posuisse: quanquàm Cicero locutionem Varronis, qui genus Hegesiæ laudabat, non uidetur probasse. Sed hoc bene dixerit, rationem certè, quæ paulo post sequitur, nemo, nisi fallor ego, bene collectam esse defendet: Non enim procacitate linguæ, uitæ sordes eluuntur. Tu declamator ita ratiocinaris, quasi dixeris ante Sallustium quæsiuisse sordes eluere: qui, quod ais, nihil aliud studeat, nisi, ut lutulentus sus, cum quouis uolutari. at qui student hoc modo uolutari, nec laborant, ut sordes eluantur, nec, si minus id fiat, opinione falluntur: nisi forte qui student ita uolutari, id agunt, ut alios oblinant, & ipsi quasi purgentur: quod si placet, ratio quidem sequetur, sed, quod ante positum est, male concludet: Itaque nihil aliud studet: quod ita propemodum*

concludit: Sallustius ipse uult esse sceleratus ita, ut neque ab alio uinci possit, neque ipse se omnino præterire. Itaq; nihil aliud studet, nisi, ut lutulentus sus, cum quouis uolutari. Hæc tamen ipsa, quoquo modo dicta sint intelliguntur: sed uerborum, quæ sequuntur, inanis mihi sonitus, nulla subiecta sententia, uidetur, qualis in libris oratorijs appellatur: Sed est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum testante animo suo fert de eo, qui falsum crimen bonis obiectat: Vt enim mittam, quæri posse, an hoc modo, ferre calumniam, latine dicatur, neque sententiam, quam probes, habent, neque cum superioribus, aut sequentibus, bene coniunguntur. Sic enim collocantur, ut neque cum his, neque cum illis copulari posse uideantur: ut si hæc oratio fluctuans, & dissoluta non sit, ego plane non uideam, quæ oratio fluctuans, & dissoluta debeat appellari. Quàm male superiora cohærescant, intelliget, qui scit, quibus uerbis oratio connectatur: nos sequentia consideremus: Quód si uita istius memoriam uicerit, illam patres conscripti non ex oratione, sed suis ex moribus spectare debebitis: hæc ipsa, quum à superioribus, ut diximus, nullo modo pendere possint, ego multo ante collocassem: & si, ubicunque ponantur, haud sane multum splendoris afferre possunt: quum parum, uel nihil potius habeant ornatus, quem tamen habere potuissent, si declamator ea uel sciuisset, uel studuisset ornare. nam si, memoriam meam, &, ex oratione mea, dixisset, multum lucis attulisset. Sed hæc contempsit, & ita nulla fuit memoria, ut mirum non sit, si timuit, ne Sallustij uita illam uinceret: si modo uita cuiuspiam alterius memoriam uincere dicatur. Ipse quidem quum dixit, istius, non est recordatus, se prius huic, huius, & hunc dixisse: nisi forte putauit nihil interesse, utro modo diceretur: ut nihil item putauit interesse, siue, suis ex moribus, siue, eius ex moribus, hoc

loco diceretur. Quam quidem locutionem nec Laurentius Vallensis emendare, nec Gulielmus Budaeus defendere, conati fuissent, si, quod nunc ipsi facimus, illi quoque, quum possent, uoluissent etiam odorari, & tandem iudicare, Ciceronem nugas huiuscemodi nunquàm scripsisse: quòd ille, qui in scribendo tantum industriae ponebat, non putasset esse suum, committere, ut in scribendo negligens fuisse uideretur. An Cicero tam negligens fuisset, & immemor, ut ad ea, quae ne aduersarius quidem dixisset, ipse responderet, ut iste declamator respondet, &, quod aduersarius non fecit, affirmat, eum omnium maiores ad unum exemplum, & regulam quaesiuisse: ac Metellos, quos ne nominauit quidem, protulisse? Sed quid isti facias homini, qui non solum dicendi praecepta neglexit, sed latine loquendi sic etiam fuit imperitus, ut mihi uideatur etiam, quae traduntur à Grammaticis, ignorasse: quum dicere sit ausus: Metelli fuerunt aut opinionis, aut gloriae: quod & si Laurentius Vallensis posse dici contendit, mihi tamen ille nunquàm, nisi probet exemplis, persuadebit, ex ueteribus aliquem ita locutum fuisse, non magis, quàm si uelit affirmare illud recte dictum uideri: Cur non aeque de nobis existemetur, cuius & res gestae illustres, & uita integerrime acta? quamuis apud poetas, nobis praesente, nos eques, eodem penè modo dictum legamus. Sed iste quum uellet orator haberi, debebat oratorum more quum loqui, tum his, quae dixerat aduersarius, confutatis, ea, quae dicebat, ipse grauißimis argumentis confirmare: quorum neutrum facit iste: qui neque ut orator, ut saepe diximus, loquitur: neque, quae dicit ipse, probat, ut hoc ipso loco: uita integerrime acta? at hoc aduersarius negarat: neque tamen iste quicquam dixit, quo uel crimen dilueret, uel actam integerrime uitam probaret. Quid multa? nihil refellit, nihil probat, nihil facit eorum, quae sunt facien-

da:ut me iam pigeat hæc ipsa, quæ possint omnibus esse nota, scrutari. postquàm tamen cœpimus, pergamus adhuc quædam, quæ restant, examinare, ut illud: nonnullos iam tuæ turpitudinis pigeret: illos, uel omnes Cicero *dixisset. cur enim nonnullos, non omnes turpitudinis pigeret, si omnes illi uiri boni fuerunt? Illa tamen multis argute dicta uideri solent:* Ego *meis maioribus uirtute mea præluxi, ut, si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis uitæ, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras, ut, etiam si fuerint egregij ciues, certe uenerint in obliuionem.* Nos *ea, quæ dicuntur ita, ut, quod ait* Cicero, *contraria contrarijs opponantur, pulchre quidem dici confitemur, sed in hisce uidemus nescio quid, quod aures offendat: ut maioribus uirtute prælucere: quod qua ratione fieri possit, nos, ut ingenue fateamur, ignoramus: quum prælucere, sit ante lucem, non post ferre: & maiores posteris, non posteri maioribus præluceant, si modo, quod nunquàm uidimus, alteri alteris prælucere dicantur. offendit etiam, uenire in obliuionem, quod obliuisci potius, quàm conteri obliuione soleat significare: quanquàm res ipsa magis hoc loco, quàm locutio mouet: quod maiores eorum, qui turpiter uiuunt, in obliuionem non soleant; ut ita loquar ipse quoque, uenire: quum dicere soleamus, parentes ab improbis filijs laudari.* Quare *mihi uidetur* Iphicrates *multo prudentius dixisse: meum quidem genus à me incipit, sed tuum in te desinit. quod ille dictum quum mutuaretur, ita mutauit, ut uix agnoscas: ab aliquo poeta uidetur etiam mutuatus: antiquos obiectare uiros, &, maiorum opinione niti: quæ mihi neque latinitatem, neque elegantiam redolere uideantur.* Iam, *ne dicam, non debuisse dicere, ne arroganter dicere uideretur, se cum ijs, qui uiuerent, esse conferendum, ad eam comprehensionem uenio, quæ sic incipit: sed si fuerit; cuius*

cuius ea uidetur esse sententia: si talis fuissem, qualem tu me descripsisti, multos tui similes necandos curassem: ut à contrario quasi argumentetur, se talem non fuisse, quum multos non curarit necandos. sed omnia sic in ea sunt perturbata, ut neque uerborum tempora bene coniungat, & modo cum patribus conscriptis, modo cum aduersario loquatur, atque id ipsum non admodum latine, ut postea dicemus: sed prius ipsam comprehensionem sic ex libris etiam manu scriptis describendam iudicamus: Sed si fuissem aut in honoribus petendis nimis ambitiosus (non hanc dico popularem ambitionem, cuius me participem esse confiteor, sed illam perniciosam contrá leges, cuius primos ordines Sallustius duxit) aut in gerendis magistratibus, aut in uindicandis maleficijs tam seuerus, aut in tuenda Rep. tam uigilans, quam tu proscriptionem uocas, credo, non omnes tui similes incolumes in hac urbe uixissent. In qua quidem comprehensione si legas à principio, si fuerim, ut in omnibus pené libris legitur, uerborum tempora non respondeant: nec prudens esset autor, si se principem ambitionis etiam popularis appellaret: qui uero bene latine sciret, ducere primos ambitionis ordines, nunquàm, nisi fallor ipse, dixisset. Ad illud autem, quod ultimo loco dicitur, non omnes tui similes incolumes in hac urbe uixissent, responderi posset, ne omnes quidem uixerunt, quandoquidem quinque minimum sunt interfecti: & ad illud, quod sequitur, hoc modo: una cum illis adnumeratus esses? si cum scelestis ciuibus Sallustius non est adnumeratus, scelestus non fuit: sin cum illis, qui sunt interfecti, uolumus interpretari; dicet aliquis, illos non ita poni, ut hoc modo posint referri, nisi per scelestos ciues eos, qui sunt interfecti, iste uoluit significare: quos tu sceleratos, ut hic etiam legitur, frequentius appellari uidebis. Atque hic, ne longior sim, prætereo multa, & illuc uenio: hæc ut noua, atque

inusitata miratur: quæ uerba mihi nimis arroganter dicta uideri solent, quasi, præter Ciceronem, *nemo tunc esset eruditus ita, ut Sallustius in* Cicerone *hæc ut noua, atque inusitata posset mirari.* Hoc Cicero cauisset, *nec iam senex in oratione sperare pro timere, ut iste, posuisset, quamuis in oratione pro* Sex. Roscio *posuisse uideatur. Iste uerò posuit in bisce uerbis, quæ sic in ueteribus etiam libris leguntur:* Non *enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut uicißim tuas appellarem.* Vnus *enim satis es mehercule: nec quicquam domi tuæ turpius est, quàm tu. & sanè puto fore, ut omnes probent, tuas potius, quàm tuos, legendum, ut pro mulieribus mulieres reponat: nec reijciant, unus enim satis es mehercule: quamuis in omnibus penè libris legatur, unus enim satis es materiæ habens.* Dixit *iste paulo post, experiri fortunam, pro eo, quod est erumnam, & periculum subire, & dolorem perpeti, ut ipse* Cicero *hac de re loquens, dicere solet: sed an rectè dixerit, esto iudicium doctorum, qui sciunt, quid sit fortunam experiri: quanquàm tota comprehensio suspecta mihi uidetur: quòd in ea, unus pro unum, poni, &, ut, particula, quæ sequatur quàm, desiderari uideatur: & quod in alijs libris aliter etiam legatur, ut:* Vtilius *duxi fortunam unius experiri, quàm uniuerso populo* Romano *ciuilis essem dissensionis causa.* Legitur *etiam paulo post, debacchatus, non perbacchatus: retrahēte, nō, trahēte: &, quod pluris est faciendū, animo meo semper equidem, non animo meo quidem superet: quorum neutrum mihi placet, nec tamen habeo, quid reponam. certe, dies mihi animo meo superet, ego non dixissem, nec illud: semper iustas omnium amicitias existimaui: nam dici poßit: etiámne improborum? nec defendi potest, quòd, hominum, ut libri ueteres habent, scripserit, quoniam ratio, quæ sequitur, postulat, ut, omnium, legatur.* Ancillatus *autem uerbum nunquàm*

Ciceronianum, sed uetus etiam nimis, & è culina petitum semper iudicaui. Nec illud unquàm probaui: multi priuatorum audacias nutriuerunt. Quamuis enim Clodius, & alij priuatorum audacias nutriuerint, semper tamen existimaui, hic legendum esse: priuatorum audacias timuerunt: quòd in alijs libris scribatur, priuatorum audacia interierunt: &, quod paulo post opponitur, ita propemodum requirat: ego nihil timui, nisi leges: ut sit, multi timuerunt audacias priuatorum, ego nihil timui, nisi leges: nisi forte placet alios libros sequi, & ita legere: ego nihil curaui, nisi leges, ut dicat: multi nutriuerunt, & quasi curauerunt audacias priuatorum, ego nihil curaui, nisi leges: & si debebat iste pluribus etiam uerbis hæc omnia confirmare. Timuit fortasse, ne, si plura dixisset, offenderet: sed, si ob eam causam tacuit, incidit in Scyllam, cupiens uitare Charybdin. Offendit enim, quum probauit nihil, & illud dixit: Multi ex uobis potentia freti, in uos suis uiribus abusi sunt. nam, si præsentes sunt, eos offendit, sin absunt, quo modo ex uobis sunt? Scio quidem posse nos, ex uobis, idest ex uestro ordine, interpretari, sed tamen Cicero, minus ut offenderet, ex uobis, & in nos, dixisset. Illud autem non dixisset: Vatinio reo patrocinium pollicitus sum: quoniam Vatinio reo patrocinium non est pollicitus, sed Vatinium reum rogatus à Cæsare defendit, & laudauit, ut ad P. Lentulum scripsit: nec Cicero Sestij insolentiam repreßit, sed eum, quamuis esset morosus, defendit, & semper postea, uel Cæsare Dictatore, magni fecit, ut in epistolis ad Q. fratrem, & familiaribus ostendit: nec, ut ante diximus, Bibuli patientiam, uel, ut hic etiam legitur, potentiam culpauit: & Cæsaris uirtutibus fauit, ut est sæpe testatus: neque tamen unquàm laudes huiuscemodi unicas appellauit. quin ego nescio, an aliquis ueterum laudes unicas dixerit, & ita sit locutus: non mea uitia

culpabuntur: cur enim non culpentur uitia, siue tua sint, siue aliena? nec rerum testimonia illo modo fortasse dicuntur, quo modo sunt ab isto dicta: qui solœcismum non uidit, uel neglexit in ea complexione, quæ sic incipit: Nunc ut ad te reuertar: *qui tamen facile tolli posit, si ex ueteribus libris ita legatur:* Nunc ad te reuertor Sallusti, *patremq; tuum prætereo: sed hoc tolli non potest, quin illa locutio poetica uideatur: impudicus, & procax adoleueris. Quæ deinceps sequuntur, ea mihi uidentur indigna, quæ uir bonus audiat: tantum abest, ut ea mihi* Cicero *uir talis & tantus etiam, si* Dijs *placet, in senatu dixisse uideatur. Ille uero nunquàm dixit, sed declamator iste sic ea finxit, ut sæpe se utriusq; orationis autorem fuisse suo sono, quasi sorex, indicarit. Quippe quum & in hac, & illa non easdem modo locutiones, sed eadem etiam uerba eodem modo frequenter usurpet: quod animaduertet, qui uolet diligenter considerare, ut nos hæc animaduertimus: in hac immensam gulam uocat, &, quæ alteri facere collibuisset, eodem modo dicit, quo prius in illa dixerat: ut hæ orationes eodem quasi ouo natæ uideantur, sed ouo, quod mali corui fuerit: qui quamuis antea luscinijs etiam præferretur, posthac tamen, per nos, in suo nido pullos excludet, nec nobis erit molestus, qui uoces huiuscemodi non libenter audimus: pro hærede gesserit omnia: quæ uerba, quamuis olim corui dicantur imperatores latine salutasse, iste tamen non uidetur latine protulisse. nam quid est, gerere pro hærede omnia? opinor, omnia causa hæredis gerere, ut, apud* Ciceronem, *omnia pro altero suscipere.* Cicero *igitur hoc loco dixisset: in omnibus se pro hærede gesserit: ut, se pro ciue gerere, dixit. Quid quod ait aduersarium de* P. *Crasi domo quæsisse, quod non quæsiuit, sed affirmauit, in ea* Ciceronem *habitare? quum ipse, inquit, respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna do-*

mo: an usque adeo factus erat immemor, ut ne emptoris quidem nomen recordari, uel dicere saltem posset, in ea emptorem habitare? Sed iste, dum uoluit ridere, & iocari, uere ridiculus fuit, quòd ad iocandum ineptus fuisse uideatur: qui in permissione, uel εἰρωνείᾳ, quo genere contrarium prorsus ostendimus, affirmet, & quidem uerbo, hercule, quo ueteres in iurando frequenter uti solebant: sed non ita frequenter, & fortasse nunquàm, ætatis tyrocinium, quo modo dixit iste, dicebant: quamuis, qui post Augustum fuerunt, eo dicendi modo sæpius utantur. Nec ueteres, ut arbitror, ita dixissent: abijt in sodalitium sacrilegij Nigidiani: quanquàm semper ego suspicatus sum, ea uerba prorsus esse mendosa, non tam, quòd latina minus esse uideantur, quàm quòd in uetere libro sic etiam legantur. abijt in sacrilegij uigidiã: quæ non ita facile possint explicari, nisi legantur ita: abijt in sacrilegij inuidiam: uel historia, quæ nunc latet, inueniatur. Tunc enim res intelligatur, & sciri possit etiam, cur Sallustius bis ad iudicis subsellia attractus, extrema fortuna stetisse dicatur: quæ uerba mihi uidentur esse durius dicta, quàm quæ Ciceronis esse possint uideri, qui non solet dicere, extrema fortuna stare: & hic, ad iudicum subsellia, diceret, quum plures essent, & paulo post etiam iudices appellentur. fateor quidem in ueteri libro legi, ad iuris subsellia, sed, an legatur recte, nihil ego decerno: nec statuo, utro modo melius paulo post legatur, iudices errasse, an iudices peierasse, quum utrunque defendi posse uideatur. Nec ego nunc id ago, ut has orationes emendem, sed ut, quod à principio sum pollicitus, ostendam, eas ab aliquo declamatore fictas fuisse: quis tamen prohibet, me quasi aliud agentem, si quid occurrat, quod mendosum uideatur, emendare, atque etiam, si forte sit opus, interpretari? prohibeat autem? imo studiosissimus quisque cupit, ut, qui literas profi-

tentur, in eam rem potißimum incumbant, ut libros, quàm accuratißime fieri poßit, emendent: quod nos & aliàs sæpe, nec fortasse sine Deo, *fecimus, & posthac semper, ut quum maxime, si quid occurret, ubi sit opus, faciemus, ut hic: primum honorem in* Q*uæstura adeptus, hunc locum, & ordinem despectus, cuius aditus sibi quoque sordidißimo homini patuisset. quorum quidem uerborum quæ sit sententia, non uidemus, nisi treis libros ueteres non illos quidem bene, sed ita tamen scriptos, ut si minus in singulis, in omnibus certe ueteris scripturæ uestigia uideantur, secuti, legamus: primum honorem in* Q*uæstura adeptus, secutus est hunc locum, & hunc ordinē despectum, cuius aditus sibi quoque sordidißimò homini patuisset: & ea fuerit sententia:* S*allustius* Q*uæstor factus, in senatum cœpit uenire, qui uel ob id despectus dici potest, quòd homini tam scelerato patuerit: & ita respondebit ad id, quod aduersarius dixerat: patrum conscriptorum autoritas turpißimo cuique, & sceleratißimo ludibrio est. nec dißimulabo, in alio libro legi:* P*rimum honorem in* Q*uæstura adeptus hunc locum, & huic ordini despectus, cuius aditus sibi quoque sordidißimo homini patuisset. sed* L*aurentius* V*allensis nec in hisce uerbis, sibi, nec paulo post, eius, ita posuisset: nec ego, clam uos essent, in oratione dixissem: quanquàm, clam nobis eßent, & clā nobis fierent, in ueteribus libris etiam scriptum legamus.* I*tē quod hoc modo sequitur: quum omnibus matribus familiarū opprobrio esset: in ijsdē libris ita legimus: quū omnibus matrum familiarum uiris opprobrio esset: uel ita: quum omnibus matrum, filiarum uiris opprobrio esset: uel ita: quum omnibus matribus familiàs uestris opprobrio esset.* V*erum quoquò modo nos ipsi legamus, iste declamator offendit, qui matres familiàs omnes ut infames appellet: nec excusari potest, quòd ita uellet* S*allustij crimen augere, quum semper opera sit danda,*

nihil ut dicamus, quod eos, qui audiunt, offendat: ut hoc offendit, quum senatorum, qui nunc audiunt, uxores, quæ certe matres familiàs erant & ipsæ, ut impudicæ uocantur: quanquàm declamator iste mentitur: siquidem Sallustius in libertinas, non in matronas, ut ait Horatius, *insanibat: nisi forte libet fateri, quod etiam supra retulimus, eum in adulterio deprehensum fuisse: quod siue postea sit in senatu, ut hic dicitur, confessus: siue Censores, ut alij scribunt, obiecerint, non erat tamen, cur ea res hasce tragœdias excitaret.* Erat *tamen res illa digna, cuius Sallustium puderet, sed ille ne patrum quidem conscriptorum ora erubuit: ut iste suo quodam more loquitur: qui quum in altera oratione dixisset:* Egeris, *oro te* Cicero, *perfeceris quidlibet: satis est perpessos esse, ut se prorsus eundem esse ostenderet, in hac ita dixit:* Vixeris, *ut libet,* Sallusti, *egeris, quæ uolueris: satis sit unum te tuorum scelerum conscium esse. Quæ quidem uerba sunt ita similia, ut nemo, qui sit eruditus, ea non ab eodem scripta cognoscat. Quũ uero Sallustius adulterium palàm confiteatur, ijs, qui suas uxores non ita custodissent, ut ipse non posset adulterare, langorem quodam modo, & soporem uidebatur exprobrare: quod iste tamen, ut intelligeretur, debuit etiam pluribus uerbis explicare. Leuia sint hæc, quæ dicemus: ecquod, & quod, uel, & quo modo: uobis audientibus adulterium, uobis adulterum: per me, pro me: elogium, eloquium: in libris, quos sæpe dicò, legi. & cætera quidem uidemus utroque modo posse defendi; sed eloquium reijciendum, & elogium prorsus esse retinendum: quo quidem nos* App. Claudium, & L. Pisonem *Censores usos fuisse credimus, quum Sallustium, ut scribit* Dion, *senatu mouerunt: sed illud, quisque eorum, dicere dubitaremus, ne* Grammatici, *ut solent, nos male locutos esse clamarent.* Nunc *unum dicam, quod tribus modis legitur, & legi*

poteſt: eluere non poßit: eluere non poſſet: eluere non poſſes: quæ uero deinceps ita ſequuntur: Neque *poſt illum delectum ſenatus unquàm te uidimus: niſi forte in ea te caſtra conieciſti, quò omnis ſentina* Reiþ. *confluxerat: nos ex ueteribus libris ita legenda iudicamus:* Neque *poſt illud delictum ſanatum te unquàm uidimus, niſi forte, quum in ea te caſtra conieciſti, quò omnis ſentina* Reip. *confluxerat: ut ſit* εἰρωνεία, *quum ſanatus dici non poßit, qui ſe in Cæſaris caſtra coniecit, ut* Sal*luſtius, & omnes pené, qui tunc ſenatu moti ſunt, ut* Dion re*fert, ſe coniecerunt: quos poſtea Cæſar in urbem ſecum uictores, ut conſtat, adduxit: unde ſequitur: & idem uictores, qui exules, reduxit: hoc eſt, Cæſar uictores reduxit, qui exules etiam reduxit: ut uerbum repetatur illud, reduxit: niſi forte placeat ex duobus libris, in quorum altero, adduxit, in altero, reduxit, ſcribitur, ita legere: & idem uictores, qui exules reduxit, adduxit: ut declamator annominatione ſit uſus, ſed librarij poſtea male deſcripſerint, arbitrati, alterum uerbum ſuperuacaneum. ſic etiam legitur: & eoſdem uictores, quos exules, adduxit. & ſic item: & idem uictor, qui exules reduxit. ſed hæc uerba tamen utcunque intelliguntur, illa paulo ſunt obſcuriora: in ſenatum poſt* Quæſturam *eſt reductus: nam ſi* Quæſturam *ſignificat, quam ſupra nominauit, quis eſt honor, quem* Salluſtius *ita geßit, ut nihil in eo non uenale habuerit? ſin alteram* Quæſturam *uoluit ſignificare, quo pacto, poſt* Quæſturam, *dixit? ego certe non uideo, niſi dicas, poſt* Quæſturam, *ſecundum* Quæſturam, *hoc eſt,* Quæſtor *iterũ factus, in ſenatum reductus eſt: ut recte paulo poſt bis* Quæ*ſtor factus fuiſſe dicatur: quòd qui ſenatu moti fuiſſent, in ſenatum redire non poterant, niſi ad primos honorum gradus rediiſſent, ut de* P. Lentulo Sura Plutarchus, & Dion *ſcribunt, quanquàm de* Prætura *loquuntur illi, &* Dion *etiam de*

Sallustio loquens, scribit, eum στρατηγὸν à Cæsare designatum fuisse, ut in senatum posset uenire. & sanè Cæsare tertium, & Lepido Consulibus Sallustius, ut scribit Hircius, in Africa Prætor fuit, ut Q. Caleno, & P. Vatinio Consulibus in urbe Prætor fuisse uideatur: quod si uerum est, Cæsare & Seruilio Consulibus designatus fuerit, necesse est, quo anno Cæsar eum potuit reducere: quùm superiore anno senatu motus fuisset: sed ita Quæstura, & Prætura miscentur, & sic Aedilitas, quæ solebat Quæsturam sequi, tacetur, ut hæc ipsa mihi tunc non minus, quàm tota Resp. perturbata fuisse uideantur. ob id iste declamator, qui fuit ætatis paulo inferioris ita, ut hæc ipsa scire potuerit, debuit, quod hoc loco dicebat, apertius explicare: sed ita loquebatur interdum, ut non modò res ipsas non explicaret, sed sæpe ne uerbis quidem, quod requiritur, daret, ut quum dixit: neque aliter uexauit; quid uexauit? hoc enim magis iste dicere debuit, quàm debuit aliquis aliquid uexare, quod iste fortasse sine exemplo dixit: qui ne illud quidem mihi facile probaret: prædæ loco magistratum accepisset, uel, ut in alijs libris legitur, cepisset: & illud multò minus: unus iam ex illo grege uidebatur: imo, si se cum illis similitudine uitæ coniunxerat, non unus ex illo grege uidebatur, sed erat, & erat ita, ut eius partis, quod tua ratio docet, exemplar esset, eius, inquam, partis: quò tanquam in unam uoraginem cœtus, ut ais, omnium uitiorum excesserat: quod qui dure dictum putant, legunt illi, cœtus hominum uitiosorum: sed uix ita quoque, quod durum est in ea comprehensione, mollitur. Nihil tamen est illo durius: quicquid impudicorum fuit in urbe, sicut in fretis, subsederant, nulla in parte castris apti. quamuis enim Grammatici fortasse doceant, ita posse dici, ego tamen ipse contendo, poetam nullum, nedum oratorem, ita dicturum fuisse. Quis enim dicat, quicquid impu-

dicorum apti fuit, & subsederant? ne dicam, cylonum, uerbum indignum, quod Ciceronianum censeatur: & orationem nimis ab impudicis ad debitores descendere, quamuis in alijs libris uerbum illud omittatur, & ab alijs, perditorum, non debitorum, legatur: & neminem scire, quid ea uerba significent: sicut in fretis subsederant: nisi declamator ad id, quod in oratione pro Sestio scribitur, respexit: Alter olim, ne Scyl*læo illo æris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in* Tri*bunatus portum perfugerat: ut significet hosce quoque tunc ære alieno oppressos in huiuscemodi fretis subsedisse. multo minus intelligitur, quod in alijs libris legitur: sicut in pharetris subsederant. nos quidem scimus, quod dicitur, bonus ē pharetra dies, sed an eo respexerit, prorsus ignoramus: scimus itē, qui sint homines nominis perditi, ac notissimi, sed nescimus, an alij scriptores ita sint locuti; quū homines notissimi nominis etiam boni dicantur: hoc certe quidem possumus affirmare,* Cicero*nem, nominis perditissimi, ac notissimi potius, quàm nominis perditi, ac notissimi, dicturum fuisse. Sed res etiam ponderemus.* Prætor, *inquit, est factus:* Prætor *ille quidem est factus, &* Prætor *etiam profectus in* Africam, *sed ibi postea* Proconsul *à* Cæsare *fuit relictus, ut* Hircius *scribit: nisi uelimus, quod alibi quoque diximus, interdum* Prætorem Procon*sulem uocari: sed neque hostes socij, neque bellum pax, neq; regio inferior interior uocatur.* Sallustius *enim ad* Numidas *tunc hostes, non socios, ad bellum, non ad pacem profectus est: nec* Africam *interiorem, sed* Numidiam, *quæ pars inferior ab ipso* Sallustio *uocatur, obtinuit, ut* Hircius, & Dion, & Ap*pianus affirmant. &* Dion *idem, quod pertinet ad* Sallustium, *refert, cum prouinciam* Cæsaris *etiam permissu spoliasse: quæ res facit, ut arbitrer, istum uere scripsisse:* Vnde tantum hic exhausit, *quantum potuit aut fide nominum traijci, aut in na-*

ues contrudi: in quibus uerbis illud, fide nominum traijci, uidimus scriptum in ueteribus libris, fide hominum traijci: quod iste dixit, ut ostenderet, se scire, quid sit pecunia traiectitia, de qua Iurisconsulti *multa scripserunt. sed quum addidit: tantum, inquam,* P. C. *exhausit, quantum uoluit: ostendit, se nescire, quid accusatores facere soleant: qui non facta modo, sed cupiditates etiam, quæ nunquàm satientur, accusant. At Sallustius, inquit iste, tantum exhausit, quantum uoluit: Sallustius igitur uir temperans fuit: qui quamuis multa rapuisset, postquàm tamen tantum exhausit, quantum uoluit, aliquando tandem cupiditatem restinxit: sed uerba, quæ paulo ante dicta sunt, repugnant: tantum exhausit, quantum potuit: ergo, si potuisset, etiam plus exhausisset: quod ostendit, eum non tantum, quantum uoluit, exhausisse. At in ueteribus libris, dixerit quispiam, legitur, quantum ualuit: legitur sanè, & paulo post: falsum est, palàm refelle: &, domum redimere potueris: quæ nobis omnia maxime placent. placet item mihi ex iisdē libris legere potius: somnio beatus, quā somno beatus: ut ad prouerbiū, somnio beatus, respiciatur: uillā* Tiburi, *quā, uillā* Tiburti: *neq; puduit quærere, quā, neq; piguit quærere. sed illa ratio minus placet: nam quis te faceret hæredem? quòd sit illi similis, quā nos in altera oratione confutauimus: quòd aliæ sint uiæ, quibus homines diuites fieri poßint.* Iam *uero, par tui, quod nos ipsi non diceremus, & hercule, quod in* εἰρωνείᾳ *dici negauimus, ut hoc loco mittamus, illa uerba paulo accuratius examinādā proponamus:* Egregia *facta maiorū tuorū te extollūt: quòrum siue tu similis es, siue illi tui, nihil ad omnium scelus, ac nequitiam addi potest. scilicet Cicero, qui fuit antiquitatis peritißimus, de* Sallustij *maioribus dubitasset, ut in hac oratione duobus locis, hic, & supra dubitatur, ubi sunt illa uerba: etiam si fuerint egregij ciues: hic dubitatur, an illi* Sallustij, *an*

Salluſtius illorum ſimilis fuerit: quod oſtendit, iſtum declamatorem, quales Salluſtij maiores fuiſſent, ignoraſſe, quod Cicero minus ignorabat, ſed ſciebat ille, bonine uiri, an improbi, clarine, an obſcuri fuiſſent: & ſi uiri boni, & clari fuiſſent, de illis nihil, ubi conuinci poſſet, eſſet mentitus: ſin improbi, aut obſcuri, aut etiã noui, nec Salluſtius Ciceroni hæc eadẽ obieciſſet, & Cicero uehementius reſpondiſſet. ſed iſte prudens declamator, quum de maioribus Salluſtij nihil accepiſſet, ueritus, ne, ſi quid de illis affirmaſſet, forte refelleretur, hac dubitatione ſibi cauere uoluit, neque tamen cauit, quin peccarit, quum Salluſtium Ciceroni obijcientem nouitatem fecit, quum de maioribus Salluſtij nihil haberet ipſe, quod prædicaret. Itaque complexio ſequens, ita facile poteſt conuerti: maiorum meorum ſiue ſimilis ſum, ſiue illi mei, multum ad omnium ſcelus, ac nequitiam addi poteſt. Quid enim dicat aduerſarius, niſi probet maiores illos ita ſceleratos fuiſſe, ut ſi quis illorum ſimilis fuerit, nihil ad omnium ſcelus, ac nequitiam addi poſſit? ſed ne ſubtilius hanc rem perſequar, mitto cætera, quæ dici poſſent. ſpero enim fore, ut omnes intelligant, quàm parum iſte ſibi conſtet, & quàm male complexionem concludat. Quod paulo poſt ſequitur, nos ex ueteribus libris ita legendum putamus: Tu Criſpe Salluſti idem putas eſſe, bis ſenatorem, & bis Quæſtorem fieri, quod bis Conſularem, & bis triumphalem: quanquàm non reijcimus, C. Salluſti: quando C. Salluſtius Criſpus dicebatur ita, ut in eius librorum inſcriptionibus hoc ordine ſit utendum, quamuis à ſcriptoribus uſu quodam Criſpus Salluſtius, ut Balbus Cornelius, appelletur. ſed quod hic uidemus poſitum, bis Conſularem, non ſatis bene poſitum credimus: quando qui ſemel Conſul fuiſſet, ſemper erat Conſularis ita, ut bis Conſularis fieri non poſſet. Quare, niſi, Conſulem ſcripſit, male ſcripſiſſe propè iudicamus. Placet illa ſen

tentia, quæ sic incipit: carere debet, uel, ut in alijs libris etiam scribitur, carere decet: placet igitur sententia, sed nescioquo modo uidetur ætatem Senecæ mihi redolere: quæ res facit, ut etiam minus mirer, istum, quod sequitur, ita scripsisse: maledicit, qui non potest uerum ab altero audire: hoc est, ut ego interpretor, is uere, & iure potest alijs maledicere, qui uir ita bonus est, ut nullum crimen de se uerum possit audire: quod iste significat potius, quàm dicit, si modo dicit, quod uix intelligitur, & ita confutari potest: imo sæpe maledicunt, tam qui non possunt falsum, quàm qui non possunt uerum audire, atque adeo sæpius illi, quàm ij maledicunt: quin, si recte uelumus interpretari, qui falsum non possunt audire, idest mali uere maledicunt: quoniam, qualis est hominum uita, talis est, ut aiunt, oratio. sed ætas, in qua natus iste uidetur, hæc, ut diximus, & illa, quæ sequuntur, etiam ferebat: tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, & idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, & ciuilis belli memoria: quæ nec Cicero, nec alius ex ueteribus, opinor, unquàm dixisset. Nam ueteres assectas hominum, qui uadunt, non mensarum, quæ non eunt, dicebant: quòd homines alios homines assectentur, &, quod Grammatici ueteres etiam dicunt, assint, & omnibus iussis dominorum præsto sint: quæ descriptio non potest assectis mensarum conuenire: multo uero minus puero pellicis descriptio conuenit, quam Sex. Pompeius ita ponit: antiqui eam proprie pellicem nominabant, quæ uxorem habenti nubebat: sed nunc, inquit idem, pellices appellantur alienis succumbentes non solum fœminæ, sed etiam mares. Non igitur Ciceronis ætate, sed multis post annis ita uocari cœperunt, quum iam dicerent, ut Iuuenalis, nubit amicus. Atque ut cætera demus, nunquàm certe, cubiculorum pellicem, dici posse concedemus, quum pellex ne ad uiros qui-

dem, sed ad uxores referatur. Iam nunc, ut iste dicendi, sic ego quærendi finem faciam, quum dixero in uerbis, quæ reliqua sunt, in ueteribus libris ita legi: in hoc ordine uidemus: amicum tibi efficere non potes: non quæ Sallustius merito debeat audire: quamuis in libris, qui sunt descripti, paulo aliter legatur. Hæc dixi: nec dixi tamen omnia, quæ dici poterant: quòd & plura sunt, quàm quæ poßint ita facile dici: & aliquid uolui restare, quod alij dicant: nec omnia, quæ dixi, sic accipi uolo, quasi sint ex oraculo Apollinis Pythij profecta: mihi satis est indicasse, quod cupiebam, quodque fueram pollicitus, orationes hasce Sallustij & Ciceronis non esse censendas: quod ea, quæ dixi, si minus singula, omnia certe simul, ut arbitror, ostendunt, ut intelliget, qui fuerit recordatus, non in eo loco, non ab ijs personis, non ijsce de rebus, non ijsce uerbis, non illis temporibus, non ijsce sententijs has orationes haberi potuisse. Quòd si forte longius, quàm par fuerat, à proposito uidemur esse digreßi, res ipsa nos excusat, quam persuadere uolebamus, non iccirco Sallustium de Ciceronis Cõsulatu parce scripsisse, quòd inimicitias cum eo geßisset. Id uero probare non poteramus, nisi prius opinionem, quæ de orationibus hisce uetus erat, ex animis hominum prorsus euellere mus: quod sine multis uerbis fieri nõ poterat: quin ne à proposito quidem digreßi sumus: siquidem nobis erat propositum, ut de Ciceronis uita diceremus; & hæc omnia penè, quæ diximus, uidemus ad eius uitam pertinere. Nam multa, quæ Ciceroni solent quidam, uel ex orationibus hisce sumentes, obijcere, conati sumus confutare, &, ut speramus, etiam confutauimus: & multa, quæ laudi dantur, etiam nos uoluimus, quantum fuit in nobis approbare. Vnum ueremur, ne multi moleste ferant, nos, quòd omnes ante hunc diem ratum semper habuerunt, ausos esse rescindere, & existiment Camerinam,

quod aiunt, mouisse, ac nos etiam uel ob id maledictis insectentur: quanquàm res ea nos in primis consolatur: quòd speramus eos, qui rem probabunt, in nostram sententiam sic, ut nos etiam laudent, esse uenturos: eos uero, qui quæ diximus, improbabunt, in alia quidem omnia prorsus ituros, sed tamen et nos errare potuisse, & uenia dignos esse, quòd prodesse uoluimus, esse dicturos. N*ám scire iam possunt omnes, qui literas profitentur, quod sæpe scriptis etiam testati sumus, nos id agere, nos omnia tentare, nos laborare, ne frustra nati, sed aliquid utilitatis hominibus, qui literas discunt, attulisse uideamur. Sed ad rem tandem reuertamur.* I*am constat, ut puto, Sallustium neque tales inimicitias, quales antea suspicati sunt homines, cum* C*icerone gessisse: neque de rebus illius dedita opera parce nimis, ut omnes penè credunt, scripsisse: sed, quum res gestas populi* R*omani carptim, ut statuerat, perscriberet, in* C*iceronis quoque rebus institutum suum seruasse: præsertim quum de Ciceronis Consulatu tam multa iam ab ipso Cicerone, ab Attico, à Luceio, & alijs etiam fortasse scripta legisset.* PIE. H*ic fiscus iam plenus est, ita multos uno tempore, uel potius uno quasi spiritu numos effudisti.* COR. Q*uando uobis ego numos ita multos, ut eos fiscus uix capere poßit, solui, melius est, ut me iam, quo citius hinc soluam, uos ipsi soluatis.* EGN. Q*uum tu, quantum debes, & pollicitus es, solueris, tum te, quo citius hinc soluas, etiam libenter soluemus.* COR. *Solui tantum, quantum ne uos quidem expectasse uidemini, qui fiscum minorem, quàm qui pecuniam, quam soluam, totam capere poßit, parastis.* EGN. N*os tantum, quantum debes, expectabamus, & fiscos multos, & magnos etiam parauimus: quos utinam tu omnes hodie uelles, aut etiam posses implere.* COR. P*oteras optare, ut ego Midas fierem: neque tamen postea fiscos*

omnes, si multi sunt, & magni, potuissem, quemadmodum dicis, implere. Verum tu fiscos istos alia uia curabis implendos, & ego numos tantum, quos mecum tuli, quosque sum pollicitus, dabo: quod ut commodius facere possimus, ad ordinem, quem Plutarchus est secutus, reuertemur, ut si quid ille, præter ea, quæ diximus, de Ciceronis Consulatu scripsit, id nos etiam referamus. EGN. Ille de Catilina multa, quæ uidebantur ad Ciceronis Consulatum pertinere, scripsit, quæ tu non retulisti. COR. Nec opus fuit, ut dicebamus, referre: nec uos, ut uidemus, adulterinos numos accipitis. EG. Iuuat tamen interdum spectare. COR. Hunc igitur spectate. L. Catilina, præter alia magna scelera, quorum iampridem culpam sustinebat, male etiam audiebat, quòd cum filia uirgine concubuisset, & fratrē suum necasset: propter quod quum iudicium timeret, Syllæ persuasit, ut inter proscriptos eum tanquàm adhuc uiuum referret. EGN. Apage te cum isto numo, qui non modo sit adulterinus, sed etiam ferreus ita, ut nullum talem Lacedæmonios unquàm spectasse credamus. COR. Audite saltem, quo pacto sit factus. Dicitur, inquit Asconius, Catilina adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit, & ex eo stupro duxisse uxorem, quum filia eius esset. Hæc Lucceius quoque Catilina obijcit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inueni. Nec ipsi nos illius fratris, quem Catilina necauit, nomen, aut historiam potuimus inuenire: nec multum laborauimus: quum quod ad institutum nostrum non ualde pertinet, libenter, percurramus, ut illud: Improbi ciues igitur illum ducem delegerunt, & quum modis alijs inter se fœdera sanxissent, hominis etiam mactati carnes degustarunt: quod Sallustius ante scripserat ita: fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam oratione habita, quum ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret,

ret, humani corporis sanguinem uino permixtum in pateris circuntulisse: inde, quum post execrationem degustassent, sicuti in solennibus sacris fieri consueuit, dicitur aperuisse consilium suum. Is *Consulatum quum peteret,* ἰξίτιον, *ut* Plu*tarchus ait, qui scribit, eum bis in petitione Consulatus repulsam tulisse: quod* Liuius *etiam, cæteriq; scriptores affirmant.* Nam *primum* L. *Cæsare,* C. *Figulo Consulibus cum* M. *Cicerone, & C. Antonio; deinde* M. *Cicerone,* C. *Antonio Consulibus cum Muræna, & Silano petens, repulsam tulit, ut ex orationibus pro Muræna, & pro Cælio cognoscimus.* Quum *uero peteret,* Dij *futura terræmotibus, fulminibus, et monstris portendere uidebantur, ut* Plutarchus *ostendit: quod in oratione tertia in* Catilinam *Cicero describit ita :* Vt *illa omittam, uisas iam nocturno tempore faces, ardoremq; cœli; ut fulminum iactus, ut terræmotus, cæteraq;, quæ ita nobis Consulibus facta sunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere* Dij *immortales uiderentur, hoc certe non est prætermittendum.* Hæc *Cicero uersibus in secundo Consulatu pluribus uerbis est complexus, ut libro primo de* Diuinatione *uidere licet : ne, quæ* Iulius Obsequens *hac de re scripsit, hoc loco referamus.* Post *hæc sic, ut nos interpretamur, addit: hominum indicia erant quidem uera, sed ad hominem nobilem, & potentem conuincendum nondum satis idonea.* Quare *Cicero quum diem comitiorum distulisset, in senatum* Catilinam *uocatum, de rebus, quæ dicebantur, interrogauit.* Ille *uero, qui putaret in senatu multos rerum nouarum cupidos esse, & se simul coniuratis uellet uenditare, Ciceroni molli quadam simulatione respondit.* Quid, *inquit, ego graue facio: si, quum duo sint corpora, alterum quidem debile, & infirmum, sed caput habens: alterum uero caput quidem non habens, sed firmum, & magnum, huic ipse caput impono?* Hoc *totum* Sallustius, & Leo

nardus Arretinus omittunt, uel certe non ita bene complectuntur; quod mirari poßimus, quum Cicero sic in oratione pro Muræna comprehendat: His rebus auditis, meministis fieri S. C. referente me, ne postero die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus. Itaque postridie frequenti senatu Catilinam excitaui, atque eum de his rebus iußi, si quid uellet, quæ ad me allatæ essent, dicere. atque ille, ut semper fuit apertißimus, non se purgauit, sed indicauit, atque innuit. Tum enim dixit, duo corpora esse Reip. unum debile infirmo capite, alterum firmum sine capite; huic, quum ita de se meritum esset, caput, se uiuo, non defuturum. Quæ deinceps à Plutarcho de Ciceronis timore, præsidio, & armis: de bonorum, & iuuentutis studio: de secunda Catilinæ repulsa: de Muræna, & Silano Consulibus designatis, & de ueste Ciceronis ita scissa, ut apparerent arma, ut à Cicerone sumpta dicuntur: à Dione quoque referuntur, sed à Salustio, cæterisq; scriptoribus partim tacentur, partim significantur potius, quàm scribuntur. De literis ad M. Crassum de nocte missis Plutarchus, & Dion consentiunt, sed Plutarchus à se ipse uidetur dissentire, quum in uita Ciceronis epistolam, quæ sit ad Crassum missa, uocet ἀδέσποτον, in Crassi uero uita, Ciceronis orationem quandam nominans, à Catilina missam fuisse testetur: quum tamen in uita Ciceronis ostendat, Catilinam tum, quum Crasso literæ sunt redditæ, Romæ fuisse. Sed ut ut ea res habeat, sunt, qui putent, hinc inimicitias inter Crassum, & Ciceronem natas fuisse: uel ex eo, quod Sallustius de quodam Tarquinio refert: qui diceret, se missum à M. Crasso, ut Catilinæ nunciaret, ne eum Lentulus, & Cethegus, aliique de coniuratione deprehensi terrerent. Sallustius enim Crassum postea prædicantem audiuit, tantam illam contumeliam sibi à Cicerone paratam. Quodsi uerum fuit, iccirco Cicero-

nem fecisse credimus, ut hac ratione Crassum terreret, ne Catilinam tueretur. Quanquàm prius etiam uidentur inimici fuisse: quum sic Asconius dicat: Eius quoque coniurationis, quæ Cotta, & Torquato Consulibus ante annum, quàm hæc dicerentur, facta est à Catilina, & Pisone, arguit M. Crassum autorem fuisse. Eum certe Cicero Prætor in Pompeiana laude perstrinxerat, ut ipse libro primo ad Atticum testatur. Literis igitur, quæ Crasso, & alijs redditæ fuerant: & rebus, quæ de Manlio nunciabantur, motus senatus decreuit, ut darent operam Consules, nequid Resp. detrimenti caperet. Post hoc senatusconsultum Cicero res extra urbem positas Q. Metello Celeri commisit, & ipse res urbanas administrauit, ut Plutarchus ostendit, ipsum Ciceronem, nisi fallor, imitatus; qui sic in epistolis ad ipsum Metellum scripsit: Illud adiunxi: mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in Reip. salute retinenda, ut ego urbem à domesticis insidijs, & ab intestino scelere, tu Italiam & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes. Vbi tamen Cicero rem sic auget, ut historicus eum non debuerit in ea re prorsus imitari, præsertim quum dicat in orationibus ita: Q. Metellus, quem ego, prospiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumq; præmisi, aut opprimet hominem, aut omnes eius motus, conatusq; prohibebit: quod & Sallustius affirmat. Illud etiam Plutarchus post hoc S. C. scribit, quod nos ita uertimus: Catilina Marcio, Cethegoq; mandauit, ut, gladijs acceptis, ad ianuam Ciceronis, tanquàm salutaturi, mane uenirent, & irruentes eum necarent. Eam rem Sallustius ut ante S. C. tentatam describit ita: C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum introire ad Ciceronem, ac de improuiso domi suæ imparatum confodere. De

tempore Dion cum Plutarcho Græcus cum Græco, quàm cum Salluſtio, uel potius cum Cicerone, qui ſcribit idem, maluit conſentire: ſed de nominibus nihil dixit: quòd ea uidebat eſſe diuerſa. Nam quamuis interpretes apud Plutarchum, neſcio-quid ſecuti, C. Cornelium, Marcumq́; Cethegum uerterint, ipſe tamen Marcium, Cethegumq́; uocat eos, quos Cornelium, VarLunteiumq́; Salluſtius appellat: quanquàm Salluſtius ipſe quoque, uocans alterum ſenatorem, uidetur ab ipſo Cicerone diſſentire: qui ſic in oratione prima contra Catilinam dixit: Reperti ſunt duo equites Romani, qui te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur: niſi dicamus, Varguntcium, quamuis equeſtri loco natus eſſet, tum tamen ſenatorem fuiſſe: quum magiſtratus iam petiſſet, & ab Hortenſio de ambitu defenſus fuiſſet: ut in oratione pro Sylla leges. EGN. *Diceres Ciceroni potiùs, qui rebus hiſce non interfuit ſolum, ſed præfuit etiam, quàm Salluſtio, qui quamuis multa uidere potuerit, plura tamen audiuit: & Plutarcho, uel cæteris, qui tanto poſt ſcripſerunt, eſſe credendum.* COR. *At uos clamaretis, numos, qui priuatis in ædibus fiant, niſi Lydio lapide diligenter, & ponderibus examinentur, non minus, quàm domeſticos teſtes, eſſe ſuſpectos, præſertim quum Mercurius affuiſſe uideatur.* EGN. *Clamaremus, niſi certo ſciremus omnes numos, qui ſint in illis ædibus facti, ſemper ab omnibus probatos fuiſſe.* PIE. *Sunt tamen hodie, qui reijciant eos, qui literas GL. habent.* COR. *Quòd Ciceronem putent, in his, quos gloriæ cauſa faciebat, aliquid, quo grauiores eſſent, admiſcuiſſe: nec intelligunt, eos ab illis monetalibus ſpectatos et probatos fuiſſe, qui ſcire poterant non ſolū ex qua materia fuiſſent, ſed etiam qua ratione confecti.* EG. *Nos non reijcimus, ſi dederis.* COR. *Ego uero do iam nunc, &*

quos ille de coniuratione Catilinæ fecit, & quatuor pensionibus numerauit, omnes penè simul una pensione persoluo. EGN. *Vbi sunt?* COR. *In quatuor libris, quos Cicero contra Catilinam scripsit: unde Plutarchus, quicquid de coniuratione bene scripsit, est mutuatus. Quæ uero uel à Sallustio, uel ab alijs accepit, uelim, nisi molestum est, consideremus.* EGN. *Tu uero, ne longum facias, in pauca confer to.* COR. *Vt iubes, faciemus: &, si quid in Ciceronis uita male conuersum fuerit, interdum nos, ut antea fecimus, aliter uertemus, ut illud: Cornelius Lentulus tunc erat Prætor iterum, ut mos est senatoriam dignitatem recuperantibus. Verum nos hac de re, de hoc P. Lentulo, & eius cognomine Sura, putamus in Bruto, quæ fuerunt dicenda, dixisse. Quare non est necesse, quæ Plutarchus de Lentulo deinceps addit, referre, nisi forte dicamus: quod ille scribit, Lentulum de Pompeij filijs ut obsidibus constituisse, nobis, quòd uerisimile sit, probari, quamuis apud alios scriptores inuenire non potuerimus: quod autem refert, agendæ rei unam Saturnalium noctem constitutam fuisse, dubium uideri, quum Cicero sic in oratione tertia contra Catilinam dicat: Hanc Cethego cum cæteris controuersiam esse dixerunt, quòd Lentulo, atque alijs cædem Saturnalibus fieri, atque urbem incendi placeret: Cethego nimium id longum uideri. Tempus igitur, quum deprehensi sunt, nondum prorsus constituerant. In omnibus autem penè, quæ deinceps de legatis Allobrogum solicitatis, de literis ad Catilinam T. Vulturcio Crotoniensi datis, & paulo post interceptis, & de coniuratis deprehensis, & in senatum introductis, scripsit, cum Sallustio, & cum Cicerone consentit: nisi quòd admiscet quædam, quæ nos considerabimus. Iunius, inquit, Silanus affirmauit, nonnullos audiuisse, Cethegum dicentem, fore, ut tres Consules, quatuor Prætores oc-*

viderentur. Piso etiam uir Consularis alia huiuscemodi detulit. Hæc Plutarchus præstabit, & nos interpretabimur, ne male uertisse uideamur. Per treis igitur Consules, Ciceronem tunc Consulem, & L. Murænam, ac D. Silanum Consules designatos: per quatuor autem Prætores Q. Metellum Celerem, Q. Pompeium Rufum, C. Pontinum, & C. Sulpicium significari putamus: qui coniuratos, ut qui maxime, perseque bantur, ut historici docent. Præstabit illud etiam Plutarchus, quod infra de Cicerone scribit, eum quo die coniuratos deprehendit, uicini domum, non suam uenisse: quòd in eius ædibus mulieres sacra Bonæ Deæ facerent: quum mos esset, ut in ædibus Consulis hæc sacra per ipsius uel uxorem, uel matrem, Vestalibus præsentibus, fierent. Id sacrificium nemo poterat adire: quod in ea domo fiebat, quæ erat in imperio, ut in oratione de responsis aruspicum legimus. Domus autem Ciceronis, absente C. Antonio collega, uel sola tunc erat in imperio: quò si Cicero uenisset, id sacrificium, quod ibi fiebat, contrà, quàm fas erat, adire uideretur. EGN. Quid igitur Plutarchus præstet? COR. Id sacrificium tunc factum, et in ædibus Consulis tantum fieri solitum fuisse. EGN. Præstet, opinor, si uiuat: sed si quotannis, & in domo, quæ erat in imperio, fiebat, id est uerisimile, nec Dion à Plutarcho dissentit. COR. Non dissentit ille quidem, sed tamen ostendit, in ædibus non Consulum modo, sed etiam Prætorum id sacrificium fieri solitum: quod infra uidero: nunc uideamus, an uerum sit, quod idem Plutarchus, & Dion scribunt: Ciceronem, quum de rebus hisce secum cogitaret, & dubitaret, ignis ostento, quod mulieres sacrificantes uiderant, & uirgines Vestales interpretatæ, id illi salutem, gloriamq; significare, nunciari iusserant, prorsus esse confirmatum. EGN. An dubitas, ne uerum sit, quod duo scriptores affirment? COR. An

ego non dubitem, quum, quod ante diximus, ipse Cicero *uidea-tur aliter in suo poemate scripsisse?* EG. *Neq; tu poema, quod dicis, uidisti: & hoc aliud esse potuit.* CO. *Nos Seruij Gramma tici, & aliorum, qui uiderant, scripta legimus: & ipse, si fuisset aliud, in libris de* Diuinatione *retulisset, ubi somnia, nedum o-stenta collegit.* EG. *Verebatur fortasse, ne minus laudaretur, si uideretur uel mulierculis credidisse, uel res eas ostentis* Deorũ, *non sua uirtute gesisse.* CO. *Hoc igitur mittamus: nec de* Quin *to fratre, uel de* P. Nigidio, *qui* Ciceronem, *quemadmodũ* Plu-tarchus *ait, hortati sunt, loquamur, quum simus alibi plura di-cturi: ad sententias autem de cõiuratis dictas ueniamus.* Primus, *inquit* Plutarchus, Silanus *sententiam rogatus, dixit: eos opor-tere in carcerem ductos extremã pœnam dare. Id* Sallustius *ita refert:* Tunc D. Iunius Silanus *primus sententiã rogatus, quód eo tempore* Consul *designatus erat, de his, qui in custodijs te-nebantur, & præterea de* L. Cassio, P. Furio, P. Vmbreno, Q. Annio, *si deprehensi forent, supplicium sumendum decreue-rat:* Cicero *uero sic in oratione quarta in* Catilinam *dixit.* Vi-*deo duas adhuc esse sententias: unam* D. Silani, *qui censet eos, qui hæc delere conati sunt, morte esse multandos: alteram* C. Cæsaris, *qui mortis pœnam remouet, cæterorum suppliciorum omnes acerbitates amplectitur.* PIE. *Quid in re, quæ sit clarissima, tam multa congeris?* COR. *Vt uideatis* Plu-tarchum, *quum posset hoc ipsum referre, maluisse tamen ali-ter scribere, ut paulo post ita posset dicere:* Ciceronis *amici se-cundam sententiam magis probabant ita, ut* Silanus *etiam mu-tatus excusaret, & diceret: neque se de morte censuisse, sed extremam pœnam senatori* Romano *carcerem putasse.* EG. *In uita* Catonis *idem scribit.* COR. *Idest ad eundem lapidem bis offendit.* EGN. *Ita forte tibi uidetur, qui non recor-daris, ut arbitror, quod ita* Suetonius *scripsit:* Cæsar *tantum*

metum iniecit asperiora suadentibus, identidem ostentans, quanta eos in posterum à plebe Romana maneret inuidia, ut D. Silanum Consulem designatum non piguerit sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, uelut grauius, atque ipse sensisset, exceptam: COR. Ego uero recordor, & iam nunc scio, sententiam, quam Plutarchus ponit, ipsius interpretatione: quam Sallustius scribit, aliqua: quam Cicero refert, nulla posse leniri: EGN. Cur igitur in eius sententiam senatusconsultum non est factum? COR. Quia sententiam, quod Suetonius putat esse turpe, mutauit: certe deseruit: quum permotus, ut ait Sallustius, oratione C. Cæsaris, pedibus in sententiam Tiberij Neronis iturum se dixit: quòd de ea re, præsidijs additis, referendum censuerat. Nam Cæsar, ut Suetonius ait, Prætor creatus, detecta coniuratione Catilinæ, senatuq; uniuerso in socios facinoris ultimam statuente pœnam, solus municipatim diuidendos, custodiendosq; publicatis bonis, censuit. Quam sententiam Ciceronis amici, quod Plutarchus ostendit, probabant, quòd ea magis ipsi conduceret, & inuidiæ minus afferret: quum tamen ipse prius ea de re iudicasset, ut libro duodecimo ad Atticum testatur: ubi sunt quædam uerba: quæ, quoniam uidentur ad rem pertinere uobis ex memoria referam: Brutus Catonem primum sententiam putat de animaduersione dixisse, quam omnes ante dixerant, præter Cæsarem: et quum ipsius Cæsaris tam seuera fuerit, qui tum Prætorio loco dixerit, Consularium putat leniores fuisse, Catuli, Seruilij, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellij, Volcatij, Figuli, Cottæ, L. Cæsaris, C. Pisonis, etiam M. Atilij Glabrionis, Silani, Murænæ designatorum Consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? quia uerbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quòd retulerim, non quòd pate-

fecerim; quòd cohortatus sim, quòd denique ante, quàm con sulerem, ipse iudicauerim. quæ omnia quia Cato laudibus extulerat in cœlum, perscribendáq; censuerat, icetrco in eius sententiam est facta discesio: EGN. Si me consulas; sim tibi autor: ut, quemadmodum nonnulli Virgilij uersibus poemata conficiunt, sic tu coniurationis illius historiam Ciceronis uerbis ipse contexas. COR. Et si tu me ludis, id ego tamen fieri posse puto: quod si quis faceret; ille multo melius huic historiæ parti, quàm ueteres historici, consuleret. Nam præter quam quòd uerbis ornatissimis, & optimis uteretur, res ipsas, quæ uerbis illis comprehenduntur, ut gestæ sunt, referret. Nunc uideas alios aliter de rebus ijsdem sæpe scripsisse: quod & si derogat historiæ fidem, non est tamen, cur nos admodum miremur: quum qui rebus interfuerant, uel interesse potuerant, sepæ dissentirent: ut M. Brutus, qui uidere coniuratos potuit, & tamen, ut supra retulimus, Catonem, primum sen tentiam putabat de animaduersione dixisse, quam omnes ante dixissent: quod omnes pene historici scripserunt, præter Paterculum: qui scripsit, alios suasisse, ut per municipia Lentulus, coniuratiq; custodirentur: nisi per alios uoluit Cæsarem significare, qui solus id suasit, quum cæteri coniuratos necandos esse censerent. Sed, ut Paterculus hac in re forte parum diligens fuit, sic illud, quod ad Catonem pertinet, diligenter est persecutus: quum Tribunū plebis illum designatum fuisse scripsit: & quum alia, tum illud etiam dixit: Consulis uirtutem amplificauit. PIE. Hoc cum postremis uerbis, quæ tu paulo ante retulisti, conuenit. COR. Ita quidem, ut non minus ex hisce uerbis, quàm ex illis, cognoscamus: in oratione Catonis, qua sententiam de animaduersione dixit, Ciceronis laudes comprehensas fuisse. At in ea, quæ nunc apud Sallustium legitur, nullum de Cicerone uerbum factum uidemus.

PIE. *Iniquus fuit Sallustius: qui quod Cato de Cicerone dixerat, ipse tacuit.* COR. *Iniquus Sallustius fortasse fuit, nec illi sunt iusti, qui, quod Catonis nunquàm fuit, id Catoni tribuunt, dum putant, orationem, qua de loquimur, totidem uerbis, quot à Sallustio scribitur, à Catone dictam fuisse: quòd in uita Catonis apud Plutarchum legant: Ciceronem per notas orationem, quam tum M. Cato dixit, excipiendam curasse: nec uel inde cognoscunt, præter ea, quæ diximus, multa, quæ Sallustius omittit, in ea fuisse comprehensa. In Catonis igitur sententiam facto senatusconsulto, Cicero Consul, ut quæ Plutarchus, & alij multis uerbis referunt, paucis ipsi complectamur, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, & Ceparium coniuratos in carcere necandos curauit: & postea dixit, ut Plutarchus refert, uixerunt. Hinc in oratione pro Sylla dixit ita: Ego Consul, quum exercitus perditorum ciuium clandestino scelere conflatus crudelissimum, & luctuosissimum exitium patriæ comparasset: quum ad occasum, interitumq; Reip. Catilina in castris, in his autem templis, atque tectis dux Lentulus esset constitutus: meis consilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis, atque confossis, incensione urbem, internicione ciues, uastitate Italiam, interitu Remp. liberaui. Atque hic epilogus huiusce partis esse poterat: nisi me Dion quasi reuocaret: qui, quod Plutarchus omnino tacuit, ipse scripsit, noua sacrificia, nouasq; supplicationes propter hæc decretas fuisse: quicum tamen ego sentirem, nisi de tempore, quo decretæ sunt, ipse prorsus à Cicerone dissentiret: dum putat eas, quæ sint ante, quàm coniurati necarentur, decretæ, post decretas fuisse: nisi forte uoluit omnia, quæ dixerat ante, complecti. Cicero certe, dum uiuerent adhuc coniurati, sic in oratione*

tertia contra Catilinam dixit: supplicatio Dijs immortalibus pro singulari eorum merito, meo nomine decreta est. De qua quidem supplicatione nos in Bruto plura retulimus: & aliquid infra fortasse referemus. Hæc, & alia, quæ nos hoc loco mittimus, in orationibus, & in alijs etiam scriptis à Cicerone sæpe dicuntur. Nunc ad Plutarchum reuertamur, qui post necatos coniuratos ita scribit: *Eo die uesperi quum per forum domum reuerteretur, eum non amplius silentio ciues, neque ordine comitabantur: sed clamore, & plausu omnes, ad quos perueniebat, excipiebant, eum seruatorem, conditoremq; patriæ uocantes: Multa uero lumina uel angiportus illustrabant, quum lampades, & faces de foribus appendissent. Mulieres autem se de tectis ostendebant, ut & honorarent, & spectarent uirum in optimatium pompa magna sane cum grauitate redeuntem. Nam plurimi, qui magna bella gesserant, triumpharant, & terræ, marisq; multum subegerant, & inter se colloquentes, fatebantur: populum Romanum debere quidem diuitias, manubias, & potentiam multis ducibus, & imperatoribus, qui tunc uiuerent, sed securitatem, & salutem uni Ciceroni, qui tale, tantumq; periculum depulisset, acceptas referre. Non enim maleficia, sontesq; punire mirum uidebatur: sed quòd rerum nouarum studium, motumq; omnium, qui unquàm fuissent, maximum, minimis ipse malis sine seditione, & tumultu sustulisset.* Quod autem Plutarchus addit, ab Antonio Catilinam superatum fuisse, id Sallustius, & alij pluribus uerbis persequuntur. *Iisdem temporibus, inaurata statua Campani Ciceronē donarunt: eum patronum unum asciuerunt, ab eo se habere uitam, fortunas, liberos arbitrati.* EGN. Nullus erit finis, si uoles omneis omnium de Consulatu Ciceronis prædicationes, omnia priuatorum testimonia, omnia magistratuum iudicia, omnia populi Romani scita, omnia senatus de-

creta complecti. COR. Quæ sunt igitur inter cæsa, & porrecta complectamur. EGN. Nos ne ut exta complectamur? COR. Preces potius, & orationem: qua post eiectum Catilinam, sed ante, quàm deprehenderentur coniurati, Cicero Consul L. Murænam Consulem designatum defendit: & in Stoicos multa iocose dixit ita, ut eum Cato Consulem ridiculum ridens appellarit. EGN. Hoc uel tacere, uel suo loco dicere potuisses. COR. Potuissem quidem, sed neque tacere uolui, ut orationem illam quoque Cousularem dici posse demonstrarem: neque suo loco dicere, ne Plutarchi ordinem perturbarem, ut etiam fortasse perturbassem, si de Quæstore Ciceronis ante uerba fecissem. Is autem T. Fadius fuit, quum P. Sestius C. Antonij Quæstor esset. EGN. Hic homo, quia Quæstor est, Quæstores, ut Cæcias nubes, ad se uel obtorto collo trahit. COR. Neminem tamen audias querentem: sed iam tempus est, ut è Plutarcho nos illa uertamus: Fuerunt, qui Ciceronem propter hæc accusare, & uexare pararent, habentes duces eos, qui magistratus erant futuri, Cæsarem quidem Prætorem, sed Metellum, & Bestiam Tribunos plebis: qui magistratum quum paucis diebus ante, quàm Ciceronis Consulatus finiretur, inijssent, non sinebant, eum concionari, sed in rostris subsellia quum posuissent, prohibebant: neque permittebant, eum dicere, sed iubebant, si de magistratu iurare uellet, ascendere. Is igitur propter hæc ut iuraturus accesit, & non patrium, sed priuatum quoddam, & nouum iusiurandum iurauit: se patriam seruasse, & imperium conseruasse: quod & populus uniuersus etiam iurauit. Id ut in orationibus, & epistolis Cicero scribat, hic non grauaremur referre, nisi nos in Bruto, quo loco de Q. Metello Nepote loquitur, retulissemus. Quare iusiurandum nunc omittentes, quod hic Plutarchus de Cæsare Prætore, de Me-

tello, & Bestia Tribunis plebis affirmat, examinemus. Quum Prætores igitur C d. Ian. magistratum, quod constat, inirent, Cæsar anno sequenti Prætor futurus, extremis diebus Consulatus Ciceronis non debuit Prætor, sed Prætor designatus appellari. Nam, quod ad Tribunos plebis attinet, illi post Non. Decemb. suo munere fungebantur, & ita Q. Metellus Nepos iam tum Tribunus plebis erat: sed L. Calphurnius Bestia contrà iam tum Tribunatu, quem Cicerone, & Antonio Consulibus gessit, abierat ita, ut non posset amplius Tribunus plebis appellari. Is tamen etiam Ciceronis Consulatum reprehendit, ut Sallustius, & Brutus ad Atticum scribens, ostendunt. Omnium tamen maxime Q. Metellus Nepos eo tempore Ciceronem uexauit: unde Cicero Metellinam scripsit: quam quidem rem totam quoniam nos in Bruto multis etiam uerbis, ut dictũ est, complexi sumus, hic, quod post iusiurandum Plutarchus addit, apponemus. Id Cæsar, & tribuni militum grauius ferentes, alias Ciceroni molestias, & turbas machinati sunt. Nam legem ferebant, ut Pompeius cum exercitu uocaretur, qui Ciceronis potentiam dissolueret: sed utilitatem magnam quum Ciceroni, tum toti Reip. Cato, qui tunc Tribunus plebis erat, & illius administrationibus æquali quidem potestate, sed maiori gloria resistebat, attulit. Nam & alia facile soluit, & Ciceronis Consulatum sic in concione uerbis extulit, ut honores omnium maximos illi decerneret, & illum patrem patriæ uocaret: quod illi primo uidetur contigisse, illum Catone sic apud populum uocante. EGN. Cur Tribunos militum uocas eos, quos ante Tribunos plebis appellasti? COR. Quæreres potius, cur Plutarchus χιλιάρχους eos uocat, quos ante δημαρχοῦντας appellauit? EGN. Quærerem, si uiueret. COR. Posses etiam quærere, cur potestatem Catonis, qui Tribunus plebis esset, potestati Cæsaris, qui Præ-

tor esset, æqualem putarit. nisi forte Cæsari resistebat potestate: quæ potestati Tribunorum, qui Cæsari fauebant, esset æqualis. EGN. Posses & tu quærere, cur Catonem pro Catulo posuerit: quanquàm uides hic, quod etiam supra retulisti, tempus, & locum diuersum fuisse: quum Ciceronem Catulus ante, sed in senatu, Cato post; sed in concione patrem patriæ nominarit. COR. Cicero potius ipse, cuius intersit, quærat, & ipsum, si placet, apud inferos accuset. EGN. Accuset hominem de se tam bene meritum? CO. Græcum tamen, & qui sæpe capra Scyria fuerit, ut quum scripsit ita: Ille quidem tunc in ciuitate multum poterat, sed odiosum se multis ipse reddebat, non quòd aliquid mali faceret, sed quòd seipse semper laudaret, & extolleret ita, ut eum multi uix ferre possent. Nam neque senatus, neque populus, neque iudicum consilium poterat unquàm congregari, ubi non oporteret aliquid de Catilina, & Lentulo semper audire. Libros denique, commentariosq; laudibus huiuscemodi refersit: & sic orationem, quæ suauißima erat, & gratiæ plurimum habebat, auditoribus grauem, molestamq;, quòd hæc molestia, tanquàm fatum, semper adesset, reddidit. Videtisne, ut homo Græcus ex eodem ore calidum, & frigidum proferat, uel potius, ut dicebam, capra Scyria, quicquid lactis dederat, nunc rursus euertat? EGN. Meminisse debes, eos, qui uitas scribunt, oportere non uirtutes modo, sed etiam uitia, quæcunque fuerint illa, complecti. COR. At hic ille multa, quæ laudari, certe referri debebant, tacuit: unum, quod uituperari posse credidit, multis etiam uerbis est persecutus. EGN. Fortasse, quæ tacuit, ignorabat: sed, quod dixit, norat. COR. Norit nec ne, id ego uidero: quæ tacuit, quum sint in promptu, certe scire potuit, ut illud, quod ad Lentulum Cicero scribit: Memineram, nobis priuatis usque

ad Cæsarem, & Bibulum Consules, quum sententiæ nostræ magnum in senatu pondus haberent, unum ferè sensum fuisse bonorum omnium: &, quæ libro primo ad Atticum legimus: Ciceronem tum primum sententiam dixisse: à M. Crasso ualde laudatum fuisse: sic cum Pompeio fuisse coniunctum, ut multi Cn. Pompeium in sermonibus Cn. Ciceronem appellarent: ludis, & gladiatoribus cum mirandas ἐπισημασίας abstulisse: eius Consulatum ἀποθέωσιν à Curione uocatum fuisse: ei Cn. Pompeium salutem imperij, atque orbis terrarum adiudicasse: illum tanquàm Reip. pignus à senatu retentum fuisse, ne legatus exiret. EGN. Ipse dixit. COR. Hac in parte melius fuit Pythagoram, qui dicebat, quàm discipulos, qui tacebant, imitari: quum præsertim, quæ fuit hominis prudentia, iam tum fortasse prouideret, fore, ut homines Græci uel multa tacerent, uel in multis mentirentur. EG. At hoc est, quod Plutarchus reprehendit. COR. At tu quoque meminisse debes, quod ipse Plutarchus de Agesilao scripsit: eum, quum uituperantes, aut laudantes aliquos audiret, dicere consueuisse: non minus eorum, qui dicerent, quàm eorum, de quibus dicerent, mores esse spectandos. EGN. Nos scimus Plutarchi mores optimos fuisse. COR. Vos, qui tam multa scitis, id etiam scitis, sed nos ipsi nescimus, credemus tamen, dum uos etiam concedatis: Græcos omnes quum cæteris Latinis, tum Ciceroni, qui primus eorum luminibus officere cœpit, iniquissimos fuisse. EGN. Concedemus, sed excipiemus Plutarchum, quem quum cæteris Latinis, tum Ciceroni tamen in primis æquissimum fuisse uideamus. CO. Nisi nos aliud agamus, & putemus uos aliter sentire, facile possimus ostendere: nec exceptionem, quam dicitis, in interdicto contineri: nec eum, qui de nostris hominibus scribens, tam sæpe mentiatur, & Græculos nescioquos cum summis homini-

bus Romanis, quasi culices cum elephantis, conferat, illis æquum debere iudicari, Ciceroni certe uidetur hac in parte, de qua loquimur, iniquus fuisse: quum parce laudet, & copiose uituperet, & id uituperet, quod ipsi fortasse defendemus. EGN. Deinceps tamen eum copiose laudat. COR. Laudat ille quidem, sed ego uereor; ne, si nos hic piscari uelimus, scorpium pro perca capiamus. Sic enim laudat, ut à proposito longius, quàm par sit, digrediatur, præpostere iocos, & res alias alio loco dicendas inculcet, & tandem ita concludat: Propter hæc ille multis erat molestus. PIE. Viden', ut scorpius hic cauda lædit? COR. Multo grauius Clodius læsit, de quo Plutarchus deinceps multa quidem scribit, sed nos quædam diligentius examinabimus. Clodius, inquit Plutarchus, quum Pompeiam Cæsaris uxorem diligeret, in eius ædes clàm, uestem, & habitum psaltriæ habens, ingressus est. Mulieres enim sacrificium illud occultum, nec uiris unquàm uisum in ædibus Cæsaris faciebant. & uir nullus aderat. Clodius autem quum iuuenis esset, nec adhuc pubesceret, si cum mulieribus ingrederetur ad Pompeiam, se latere posse sperabat. Vt autem de nocte domum Cæsaris est ingressus, quòd ampla domus esset, nec unum aditum, aut transitum haberet, quò se conferret, ambigebat, donec Aureliæ Cæsaris matris ancilla illum uidit errantem, & nomen est scitata. Quare quum loqui coactus fuisset, & dicere, à se Pompeiæ pedissequam nomine Auram quæri, illa uocem non esse muliebrem cognouit, & clamauit, atque adeo mulieres uocauit: quæ quum portas clausissent, & omnia scrutatæ fuissent, Clodium in casam seruulæ, cum qua consuetudinem solebat habere, fugientem deprehenderunt. Hoc ad Atticum Cicero scripsit: P. Clodium Ap. filium te credo audiuisse cum ueste muliebri deprehensum domi C. Cæsaris, quum pro populo fieret, eumq; per manus seruulæ

seruatum,

seruatum, & eductum. Hoc autem Cicero Cal. Ian. M. *Messala, &* M. *Pisone Consulibus scripsit, & de præterito loquens, ostendit, Silano, & Murena Consulibus factum fuisse: quo quidem anno Cæsar, qui Cicerone, & Antonio Consulibus Prætor erat designatus, ut ante diximus, Prætor fuit ita, ut in eius ædibus id sacrificium fieri posset, si modo, quod scribit* Dion*, apud Prætores fieri poterat: sed dubitari potest, quum fieret in domo, quæ esset in imperio, ut anno superiori factum fuit, quod supra retulimus: nisi forte tunc Consules aberant, & Cæsar Prætor munus Consulare maiorum more sustinebat: uel Consules mulieres non habebant, à quibus illud sacrificium fieret: uel apud utrosque, sed alternis annis fiebat: uel apud eum fiebat, qui Prætor, & Pontifex, ut Cæsar, esset.* Pontificem *uero in publica domo, quod* Dion *ostendit, oportebat habitare.* EGN. *Hæc, de quibus etiam dubitare possumus, ut tamen tibi concedamus, illud quo pacto te recte uertisse defendes? Quum portas clausissent, & omnia scrutatæ fuissent, Clodium in casam seruulæ, cum qua consuetudinem solebat habere, fugientem deprehenderunt. Nam si casa, quam dicis, in domo Cæsaris quasi domus in domo fuit, quonam modo Clodius alienæ domi cum seruula consuetudinem potuit habere? sin extra domum, qua ratione mulieres, quæ portas clauserant, illum fugientem deprehenderunt?* COR. *Alienæ domi consuetudinem cum seruula potuit habere, ut eum cum domina multi putant habuisse: & mulieres, quamuis portas clausissent, eum tamen uel è fenestris fugientem, &, ut ait Cicero, per seruulæ manus eductum deprehendere, uel uidere potuerunt.* EGN. *At hæc ipsa pugnant.* COR. *Non pugnant, si casa, de qua loquimur, extra Cæsaris domum fuit: sin intus fuit, ita uertendum putamus: Quum portas clausissent, &*

omnia scrutatæ fuissent, Clodium in cubiculum seruulæ, cũ qua fuerat ingressus, fugientē deprehenderunt. Ita uero uertendũ esse docere potest uerbum, συνεισῆλθεν, quod in Cæsare Plutarchus posuit, quãuis in Cicerone συνῆλθεν posuisse uideatur. Scitis postea rem ex S. C. ad uirgines & Pontifices relatã, idq; ab ijs nefas esse decretũ: deinde ex S. C. Consules rogationẽ promulgasse: uxori Cæsarem nunciũ remisisse. EG. Scimus, & probamus, quũ Cicero, & Suetonius id ostendant. CO. Non probabitis, opinor, quod Plutarchus ita scribit: Erat Cicero Clodij amicus, & eo rerũ, quas aduersus Catilinam gesserat, adiutore promptissimo, & custode corporis usus fuerat. EG. Cur non probabimus? COR. Quia cum ueritate pugnat. Nam Cicero nunquàm fuisset amicus eius, quem Catilinæ familiarem in oratione de responsis appellet: nec aduersus Catilinam eius opera usus fuisset, nec ei corporis sui custodiam commisisset, quem uel inter coniuratos numerare uideatur: quum in oratione pro Milone testetur, eum tunc in castra Hetrusca properasse: quod Asconius interpretatur ita: Sæpe obijcit Clodio Cicero, socium eum coniurationis Catilinæ fuisse: quam rem nũc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlij centurionis, qui tum in Hetruria ad Fesulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum uoluisse, & cœpisse, tum dein mutato consilio in urbem redijsse. EGN. Id fortasse tum Cicero non credidit, præsertim, cum falsum esse posset: sed postea criminose magis, quàm uere, factus inimicus, obiecit. COR. Eũ certe sciebat à Catilina pecuniam accepisse, ut turpissime præuaricaretur: & postea Catilinæ familiarem fuisse. EGN. Vt fateamur, non esse uerisimile Ciceronem, quæ fuit hominis prudentia, quicquam Clodio, qui tam suspectus esset, in tanta rerum perturbatione, credidisse: post coniurationem

tamen eius amicum fuiße uel ex eo conuincemus, quòd eum Cicero domi suæ fuisse testificatus est. COR. Id uidetur etiam Plutarchus existimasse: quasi uero Clodius, quamuis amicitia nulla cum Cicerone coniunctus esset, eius tamen domum, quæ tunc à tam multis frequẽtaretur, ipse uenire nõ posset, præsertim quum Cicero non deberet eum, qui neque de coniuratione, quod ego sciam, postulatus fuißet, & tam nobili genere natus esset, aspernari. Quamuis enim Cicero Clodium, qui tam perditus esset, non posset non odiße: nihil tamen erat, cur eum, qui tantum posset in urbe, prouocaret. Post pollutas tamen cerimonias eum palàm cœpit odiße: quod ipse sic in oratione de responsis ostendit: In Clodium uero non est hodie meum maius odium, quàm illo die fuit, quum illum ambustũ religiosißimis ignibus, cognoui muliebri ornatu ex incesto stupro, atque ex domo Pontificis maximi emissum. Quin si fuissent amici, & amicitiam Cicero testimonio uiolasset, id ei Clodius aliquando, quemadmodum postea M. Antonius, obiecisset. Quòd si Cicero Clodij fuit amicus, usque ad aras fuit: deinde testis fuit, eum domi suæ fuisse, quo tempore uolebat ille probare, se Interamnæ fuisse. Fuit enim, ut ait Asconius, quidam Caßinius, apud quem Clodius mansisse Interamnæ uideri uolebat, quà nocte deprehensus est in Cæsaris domo, quum ibi in operto uirgines pro populo Romano sacra facerent. Hæc Asconius scribit, dum Ciceronis illa uerba, quæ in oratione pro Milone sunt, interpretatur: Caßinij testimonio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat, & Romæ. Id in epistolis ad Atticum Cicero sic ante scripserat: Quum se Clodius septimo die uenisse à freto, neq; sibi obuiã quẽquã prodire potuisse, & noctu se introisse dixisset, in eoque se in concione iactasset: nihil ei noui dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam: tribus horis Roma Interamnam: nocte introisse, item

ante: non esse itum obuiam, ne tum quidem, quum iri maxime debuit. Non est autem itum obuiam, quum Clodius empto, constupratoq; iudicio sit absolutus. Quod quidem iudicium Cicero libro primo ad Atticum descripsit, sic in oratione de responsis, & alibi saepe reprehendit, ut Plutarchus multa tacere potuerit, quae uel superuacanea, uel parum uera uideantur. EGN. Quae sunt illa tandem? COR. Alia, quae dicemus, sed illud in primis occurrit: Videbatur Cicero non propter ueritatem, sed ut se Terentiae uxori suae purgaret, testificari. Illa enim Clodium propter eius sororem Clodiam, quae Ciceroni nubere cuperet, oderat. EGN. Arpinateis aquas illa cupiebat. COR. Cupiebat illa quidem, sed Terentia suspicari non debuit, Arpinateis aquas esse tales, quae maculas illius possent lauare: quae Baianas infecisset; aut Arpinum recepturum, quam Nesis eiecerat: aut facturum, quod Troia fecit, quae Regis uxorem recepit. EGN. Aenigma loqueris. COR. De foeminis ita loqui solemus, praesertim si tales sint, quales Clodij sorores fuerunt: quas quum Clodius ipse tanti, quanti Bonam Deam fecisset, alij tanti fecerunt: ut eas Quadrantarias, Clitemnestras, Coas, Nolas, Lesbias, & βοώπιδας appellarint. EGN. Quae quadrant in unam, in omnes ipse transfers. COR. In Quadrantariam, siue Quadrantiam, ut Plutarchus uocat, haec melius, fateor, quadrant: sed omnes tamen sic improbae fuerunt, ut Terentia non debuerit existimare, Ciceronem ita stultum, ut uxorem uellet ducere uel eam, quam Lucullus tanto dedecore infamem repudiasset; uel eam, quae fuit uxor Q. Metelli Celeris, quem Cicero nunquam uoluisset offendere, quum illum magni faceret. Poterat Terentia suspicari de Terentia Q. Marcij Regis uxore, quae tum uidetur uidua fuisse: quum Clodius haereditatem Regis, ut legimus in epistolis ad Atticum, spe deuo

rasset. Sed & illa fuerat à Clodio stuprata, nec uere soror eius, ut in Bruto diximus, uidetur fuisse, nec Clodia, ut hæc à Plutarcho, dicebatur: Vt iam nihil fuisse uideatur, cur Terentia suspicaretur. EGN. *De rebus hisce mulieres omnia timent, & suspicantur.* COR. *Mulieres omnia suspicentur, & Terentia muscas etiam præteruolantes timuerit, atque uirum, quantum potuit, in Clodium concitarit: nunquàm tamen Ciceronem, qui prudens fuit, & semper otio consuluit, propter tam leuem causam, iuuenis tam potentis inimicitias ultro suscepisse credemus.* EGN. *Quam putas tu causam fuisse?* COR. *Eam, quam ipse Philippica secunda refert: nemo his annis uiginti Reip. hostis fuit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit. Nemo tamen illorum mihi inimicus fuit uoluntarius: omnes à me Reip. causa lacessiti. Vir enim bonus, & otij, pacisq; studiosus, iuuentutem coërceri cupiebat: & ob id contra Clodium testimonium dixerat: quod uidebat illud scelus importunum, audaciam tam immanem adolescentis furentis, nobilis, uulnerati, non posse arceri otij finibus: erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem ciuitatis: ut in oratione de responsis ostendit: contra tamen ipsius testimonium Clodius est absolutus: quod præter Valerium Maximum, Plutarchum, & alios, ipse quoque libro primo ad Atticum sic ostendit: Illud nobis non obest, uideri nostrum testimonium non ualuisse: missus est sanguis inuidiæ sine dolore, atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitij rem manifestam illam redemptam esse à iudicibus confitentur. Iuranti, inquit Clodius, tibi non crediderunt: mihi uero, inquam, uiginti quinque iudices crediderunt: triginta unus, quoniam numos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. cætera, quæ Plutarchus de Clodij sororibus, de Luculli ancillis, de testimonijs aliorum, de plebis offensio-*

ne, de iudicum metu, præsidijs, sententijs, de Catuli dicto, de Cæsaris uxore repudiata refert, tacemus: quòd & ab alijs scripta sint, nec ad Ciceronis uitam multum pertinere uideantur. Illud autem sequitur: Absolutus Clodius, & Tribunus plebis factus, statim Ciceronem cœpit insectari, & in eum res omnes, & omnes homines commouere. PIE. Quid facis Corrade? COR. Numos quæro. PIE. Nunquid crumena deficit? COR. Hac in parte quidem deficit ita, ut numi nulli supersint. PIE. Haud sane mirum dicis, quum paulo ante tam multos effuderis. COR. Si prodigus ante fui, nunc parcus ero. EGN. Perges potius, ut cœpisti: quum uero, quod debes, solueris, tunc, si libebit, parcus esto. COR. At Plutarchus tuus, quem sequor, hic ita parcus fuit, ut nihil omnino duos annos ipsos erogarit. EGN. Ille nec Quæstor erat, & fortasse nihil habuit, quod erogaret: sed tu Quæstor es, &, quod à principio negabas, huc crumenas plures numorum plenas, ut uidemus, attulisti. COR. Quid si arenæ plenæ sint, ut sacci, quos Dido deijciendos in mare curauit? EGN. Nos arenam Tagi scimus esse. Quare si crumena ista exhausta est, alteram cape. COR. Hanc igitur capiam: &, quod Plutarchus intermisit, quantum in me erit, sarciam. Intermisit autem, quicquid inter Clodij absolutionem, & Tribunatum plebis interfuit: quod duos annos minimum comprehendit. Nam Clodius M. Pisone, M. Messala Consulibus absolutus est, & postea Gabinio, & Pisone Consulibus Tribunus plebis fuit. Interea Metello, & Afranio Consulibus C. Herennius Tribunus plebis sæpe de P. Clodio ad plebem traducendo egit, sed Metellus Consul semper impediuit, ut libro primo, & secundo ad Atticum legimus. Vnde sic in oratione pro Cælio scribitur: Q. Metellum si nulla uis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri

suo patrueli Consularis restitisset, qui Consul incipientem furere, atque conantem, sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixerit. Eo tempore Cicero commentarium graece de suo Consulatu scripsit: & eundem uersibus tribus libris est complexus: in quorum primo musa nescioqua, in secundo Vrania, in tertio Calliope loquebatur, ut ex epistolis ad Atticum, & ex libro primo de Diuinatione cognoscimus. Sunt etiam, qui putent, L. Flaccum, P. Syllam, & Archiam poetam tunc ab eo defensos fuisse: sed nos aliàs id uiderimus: nunc ad Bibulum, & Cæsarem Consules reuertamur: quo tempore Cicero sic ad Atticum scripsit: Cornelius Balbus affirmat Cæsarem omnibus in rebus meo, & Pompeij consilio usurum, daturumq; operam, ut cum Pompeio Crassum coniungeret. Cæsar etiam uidetur cogitasse, Ciceronem legatum Alexandriam mittere: ei certe Quinqueuiratum, ut alia mittamus, obtulit: sed Cicero nihil accepit: quod quum in epistolis ad Atticum, tum in oratione de prouincijs Consularibus ita testatur: Consul Cæsar egit eas res, quarum participem me esse uoluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat: me ille, ut Quinqueuiratum acciperem, rogauit: me in tribus sibi coniunctißimis Consularibus esse uoluit: mihi legationem, quam uellem, quanto cum honore uellem, detulit: quæ ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione quadam sententiæ repudiaui: quàm sapienter, non disputo: multis enim non probabo: constanter quidem, & fortiter certe: qui, quum me firmißimis opibus contra scelus inimicorum munire, & populareis impetus populari præsidio possem propulsare, quamuis excipere fortunam, subire uim, atque iniuriam malui, quàm aut à uestris sanctißimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare. EGN. Si Plutarchus hoc loco nihil erogauit, fortasse poßit excusari, quòd

nihil haberet: sed tu, qui multa uideris habere, quum pecuniⷶ as alienas eroges, fortasse poßis accusari. COR. *Et nos nihil habemus, nisi quod ab alijs accepimus, ut illud à* Pater*culo: Hoc sibi contraxisse uidebatur* Cicero*, quòd inter uiginti uiros diuidendo agro* Campano *esse noluisset.* EG. *Quid si* Paterculus, *& alij, quod crediderunt, repetant?* CO. *Hic conturbare licet: nec periculum est, ne creditores illi, qui, quod nobis crediderunt, donarunt potius, quàm foenerati sunt, & tam longe absunt, nunc tandem conueniant.* EG. Pa*terculus, &* Cicero *pecuniæ, quam modo soluebas, non uidentur de numero posse conuenire.* COR. *Cum* Patercu*lo,* Suetonius, *&* Quintilianus *faciunt: sed* Dion *ostendit, è populo uiginti uiros lectos fuisse, qui pretium agris facerent; alios uero maioris dignitatis, qui agros eosdem diuiderent: quos ipsi quinque fuisse non tam putamus, quàm in epistolis ad* Atticum *uidemus: nisi forte credimus inter uiginti uiros illos etiam quinque fuisse comprehensos ita, ut modo* Vigintiuira*tus, modo* Quinqueuiratus *appelletur. Illum* Cicero *repudiauit, quod* Cæsar *iniquo animo tulit, ut libro nono ad* Atticum *ibi cognosces:* Cæsar *repudiari se totum magis etiam, quàm olim in* Quinqueuiratu *putabit: ac solet, quum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem à se accipere uellem. Accesit, quod in oratione pro domo scribitur ita: Hora fortasse sexta diei questus sum in iudicio, quum* C. Antonium *collegam meum defenderem, quædam de* Rep. *quæ mihi uisa sunt ad illius miseri causam pertinere. Hæc homines improbi ad quosdam uiros fortes longe aliter, atque à me dicta erant, detulerunt. Hora nona illo ipso die tu es adoptatus. Hinc* Suetonius *in* Cæsare *scripsit:* Cicerone *in iudicio quodam deplorante temporum statum,* P. Clodium *inimicum eius frustrà*

iampridem à patribus ad plebem transire nitentem, Cæsar eodem die, horaq; nona traduxit: Dion hac de re non dissentit ille quidem, sed & ipse, & Appianus indicium L. Vectij coniungunt; & ita præponunt, ut tempora confundant: quum, quod libro secundo ad Atticum cognosces, multo ante P. Clodius ad plebem sit traductus, qui in L. Vectius eos, quos in oratione contra Vatiniũ nominari uidemus, indicaret. Quin illi Ciceronem coniurationis illius, si modo coniuratio fuit, autorem pene, & principem fuisse putant: quum ipse libro secundo ad Atticum dicat ita: Me non nominauit, sed dixit: Consularem disertum, uicinum Consuli, sibi dixisse: Ahalam Seruilium aliquem, aut etiam Brutum opus esse reperiri. Cæsar igitur traduxit, ut in oratione de prouincijs Consularibus ait, ad plebem inimicum meum, siue iratus mihi, quòd me secum ne beneficijs quidem uidebat posse coniungi: siue exoratus. Item sic in oratione pro Sestio: hanc tetram, immanemq; belluam, uinctam auspicijs, alligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, soluit subito legum Consul, uel, ut ego arbitror, exoratus, uel, ut non nemo putaret, mihi iratus, ignarus quidem certe, & imprudens impendentium tantorum scelerum, ac malorum. Vt uero legimus in oratione pro domo, P. Clodius à P. Fonteio fuit adoptatus: & in adoptando Pompeius Augur fuit: qui, quod in oratione pro Sestio legitur, Clodium omni cautione, foedere, execratione deuinxit, nihil in Tribunatu contra Ciceronem esse facturum: quod in epistolis ad Atticum Cicero sæpe testatur. Ille tamen iam Tribunus plebis designatus Ciceroni iudicium minabatur: quod Cicero legatione uitare cogitauit: quam Cæsar ei Consul adhuc obtulit: non ipse iam Pisone, & Gabinio Consulibus à Cæsare petiuit, ut Plutarchus affirmat: à quo Dion hac in parte iure dissensit: quum scripsit: Cæsarem Ci-

ceroni suasisse, ut in Galliam secum legatus iret, Pompeium uero dissuasisse: & ita Ciceronem deceptum fuisse. Cicero certe Cæsare, & Bibulo Consulibus sic ad Atticum scripsit: à Cæsare ualde liberaliter inuitor in legationem illam, sibi ut sim legatus: atque etiam libera legatio uoti causa datur. sed hæc & præsidij apud furorem Pulchelli non habet satis, & à fratris aduentu me ablegat: illa & munitior est, & non impedit, quo minus adsim, quum uelim: & hanc ego teneo, sed usurum me non puto. neque tamen scit quisquam. non libet fugere, aueo pugnare. Sic in oratione de prouincijs consularibus ait: Cæsar me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, uerumetiam rogauit. ne id quidem accepi, non quo alienum mea dignitate arbitrarer, sed tantum Reip. sceleris impendere à Consulibus proximis non suspicabar. EGN. Ornatur uerbis Tullius ipse suis. COR. Existimas, opinor, his illum multo melius, quàm Plutarchi uerbis illis præsertim, quæ sequuntur, ornari: Clodius uidens ita fore, ut Cicero suum Tribunatum effugeret, se conciliatum esse simulauit: &, quum in Terentiam maximam culpæ partem transferret, & de illo semper moderate loqueretur, ac beneuole rationem redderet, quòd illum non odisset, nec iratus illi fuisset, sed modeste, & amice reprehendisset, eum sic omni metu liberauit, ut Cæsaris legationem repudiarit, & se ad Remp. retulerit. EG. Quod dicis, existimabo, si quid in illis reprehendas, ostenderis. COR. Reprehendo, quòd Cicero Clodij Tribunatum, si Cæsaris esset legatus, effugeret: quum legatio illa præsidij non satis, ut ante retulimus, haberet: quòd legati è legatione poterant reuocari, ut in epistolis ad Atticum legimus. Illis præterea uerbis Cicero, quem M. Brutus omnium prudentissimum uocabat, imprudentissimus omnium describitur: qui iuueni, quem sciebat esse perditissimum, & nihil nisi de sua

pernicie cogitare, temere credisse uideatur. PIE. *Ipse tamen ad Atticum scribens, queritur, se proditum, inductum, & coniectum in fraudem fuisse.* COR. *Quod Pompeio, cæterisq; quos sibi amicos esse putabat, non Clodio, credidisset.* Et *sane non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis* Cæsar, & Pompeius, *ut Paterculus affirmat.* Hinc, *quod in orationibus pro Sestio, & de responsis legimus,* Clodius Cæsaris *exercitum signis infestis in curiam se immissurum minitabatur, &* Cn. Pompeio *adiutore,* M. Crasso *autem auctore, quæ faciebat, facere clamabat: quos* Cicero *quamuis in orationibus, ubi scenæ seruit, excuset, in epistolis tamen ad Atticum, ubi uerum dicit, grauiter accusat.* Sed *ad illa* Plutarchi *uerba reuertamur:* Iratus Cæsar, Clodium *confirmauit, & à* Cicerone Pompeium *alienauit, ac apud populum testatus est, uideri sibi, neque honeste, neque legitime* Lentulum, & Cethegum, *cæterosq; conscios, quum causam non dixissent, fuisse sublatos.* Hæc *enim erat causa, cur* Cicero *accusaretur.* EGN. Hæc *tu uerba non reprehendes, quum satis constet, à* Cæsare Clodium *confirmatum fuisse, &* Cicero *tuus in* Philippicis *ita dicat:* Ego M. Bibulo *præstantissimo ciue* Consule *nihil prætermisi, qui* Pompeium *à* Cæsaris *coniunctione auocarē: in quo* Cæsar *fuit felicior.* Ipse *enim* Pompeium *à mea familiaritate disiunxit.* COR. Illa *quidem non reprehendam, sed hoc tamen dicam: quæri posse: an* Cæsar, *qui paludatus exisset, apud populum loqui potuerit, nisi* Dion *idem scribat, & affirmet, à* Clodio *populum extra muros congregatum fuisse: quod ipse præstabit.* Cæsar *certe tunc erat ad portas cum imperio, ut in oratione pro* Sestio *legimus: quanquam* Cæsar *extremis diebus sui* Consulatus, *quum iam* Clodius Non. Decemb. *Tribunatum, ut mos erat, iniisset, apud populum loqui potuit.* Sed *quoniam tempus est, ut ad*

Gabinium, & Pisonem Consules accedamus: uobis, si placet, hic, ut ante feci, & posthac, si fuerit opus, faciam, de scripto, quod ad rem pertinere uideatur, recitabo. EGN. *Placet, sed dicito prius, unde sumes.* COR. *Ex oratione pro Sestio. Fœdus fecerunt cum Tribuno plebis palàm, ut ab eo prouincias acciperent, quas ipsi uellent: exercitum, & pecuniam, quantam uellent, ea lege, si ipsi prius Tribuno plebis afflictam Remp. tradidissent: id autem fœdus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant. Qua re patefacta (neque enim dissimulari tantum scelus poterat, nec latere) promulgantur uno, eodemq; tempore rogationes ab eodem Tribuno de mea pernicie, & de prouincijs Consulum nominatim. Hic tum senatus solicitus, uos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum, atque ordinum ciues summæ Reip. à Consulibus, atque à summo imperio petendum esse auxilium arbitrabantur, quum illi soli essent, præter furiosum illum Tribunum, duo Reip. turbines, qui non modo præcipitanti patriæ non subuenirent, sed etiam nimium tarde concidere mœrerent. Flagitabatur ab his quotidie quum querelis bonorum omnium, tum etiam precibus senatus, ut meam caussam susciperent, agerent aliquid, denique ad senatum referrent. Hi non modo negando, sed etiam irridendo, amplissimum quenque illius ordinis insequebantur. Hic subito, quum incredibilis in capitolium multitudo ex tota urbe, cunctaq; Italia conuenisset, uestem mutandam omnes, meque etiam omni ratione priuato consilio (quoniam publicis ducibus Resp. careret) defendendum putarunt. Erat eodem tempore senatus in æde Concordiæ: quod ipsum templum repræsentabat memoriam Consulatus mei, quum flens uniuersus ordo cincinnatum Consulem orabat: nam alter ille horridus, & seuerus consulto se domi continebat. Qua tum superbia cœnum illud, ac læ-*

bes amplissimi ordinis preces, & clarissimorum ciuium lachrymas repudiauit? me ipsum ut contempsit helluo patriæ? nam quid ego, patrimonij, dicam? quod ille, quum quasi quæstum faceret, amisit? Quum uenisset ad senatum, uos, inquam, equites Romani, & omnes boni ueste mutata, uos, inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi proiecistis: quum, uestris precibus à latrone illo repudiatis, uir incredibili fide, magnitudine animi, constantia L. Mummius ad senatum de Rep. retulit, senatusq́; frequens uestem pro mea salute mutandam censuit: ò diem illum iudices funestum senatui, bonisq́; omnibus, Reip. luctuosum, mihi ad domesticum mœrorem graaem, ad posteritatis memoriam gloriosum. Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere illustrius, quàm pro uno ciue, & bonos omnes priuato consensu, & uniuersum senatum publico consilio mutasse uestem? Hæc, & alia, quæ dicentur, si Plutarchus, Dion, Appianus, & alij considerare uoluissent, non ita sæpe mentirentur: quia tamen Plutarchus, qui uitam scripsit, maiorem culpā sustinet, cum eo libentius congredimur. Is igitur ita refert: Cicero quum reus esset, & accusaretur, uestem mutauit, & ambiens coma profluente, populo supplicauit. Quam rem Dion etiam pluribus amplificat uerbis. Verum si dicam: Cicero neque ἐκινδύνευε, *neque* ἐδιώκετο, *quoniam uerbis illis utuntur, non habebunt, quid respondeant. Quod si quis uelit eos defendere, & dicere, Ciceronem reum fuisse, & accusatum fuisse, uerba, quæ sunt in oratione pro domo, referam: Vbi crimen? ubi accusator? ubi testes? Quid indignius, quàm, qui neque adesse sit iussus, neque citatus, neque accusatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus, conductos, & sicarios, egentes, & perditos, suffragium ferre? & eam legem putare? at dies erat dicta, ne id quidem uerum, ut in oratione pro Milo-*

ne testatur. Quin, ut in oratione pro domo legimus, ipse Clodius Ciceronem non modo indemnatum, sed ne accusatum quidem confitebatur: quamuis in oratione de Aruspicum responsis dies dicta fuisse uideatur. Sed alia conferamus. Vbique Clodius, inquit Plutarchus, in angiportis occurrebat, homines secum ducens perditos, & audaces: qui modo mutationem uestis, & habitum Ciceronis intemperanter irridentes, modo cœnum, & lapides iacientes, preces impediebant. Verum cum Cicerone primum quidem omnes penè equites uestem mutarunt, & iuuenes non pauciores uiginti millibus, comas sparsas habentes, & simul supplicantes, sequebantur: deinde, quum senatus conuenisset, ut decerneret, oportere populum, ut in luctu, uestes mutare, & Consules aduersarentur, ac Clodius circum curiam armatus ambularet, non pauci senatores tunicas discissas habentes, & clamantes exierunt. Quum uero neque misericordia, neque pudor aliquis appareret, sed oporteret Ciceronem fugere, uel ferro cum Clodio decertare, auxilium à Pompeio petendum putauit: qui consulto discesserat, & in agris prope Albanum morabatur: & primum quidem Pisonem generum supplicatum misit, deinde & ipse uenit. Vt autem Pompeius audiuit, non sustinuit, ut in conspectum ueniret. Verebatur enim uirum, qui magnas ipsius causa contentiones habuisset, & in administranda Rep. frequenter illi gratificatus esset. Sed Cæsaris gener quum esset, petenti ueteres gratias prodidit, & per alias portas egressus, congressum fugit. In hisce Plutarchi uerbis quæri posse uideo, an probabile sit, cum uirum, quicum senatus, cunctus equester ordo, & Italia tota faciebat, à Clodianis ita contemptum fuisse, ut eum sic intemperanter irriderent, & cœno, lapidibusq; etiam peterent. EGN. In oratione pro Sestio fatetur ipsemet expulsum se fuisse sine iudicio, ui, lapidibus, ferro, seruitio

denique concitato. COR. *Expulsus postea fuit, ut dicemus, sed à principio non uidetur Clodianos admodum timuisse, quum sic in oratione pro* Plancio *dicat: decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquijs eorum, quos ego florentes, atque integros sine ferro uiceram?* De mutatione uestis in oratione *post reditum ad Quirites ita quoque loquitur:* Pro me præsente *senatus, hominumq; præterea uiginti millia uestem mutauerunt: atque id ipsum publico consilio, ut supra retulimus.* Vnde *cognoscimus,* Plutarchum *ne hæc quidem prorsus uere scripsisse.* Vere *tamen scripserit, quum* Cicero *sic in epistolis ad* Atticum *queratur: cæci, cæci, inquam, fuimus in uestitu mutando, in populo rogando: quod, nisi nominatim mecum agi cœptum esset, fieri perniciosum fuit.* Concedemus etiam, quod *de senatoribus, qui scissis uestibus exierunt, refert: quando nos nihil, quod hic dicendum sit, habemus: nisi forte, quod in oratione pro* Milone *scriptum est, referamus:* Vidi enim, *uidi hunc ipsum* Q. Hortensium *lumen, & ornamentum* Reip. *pene interfici seruorum manu, quum mihi adesset: qua in turba* C. Vibienus *senator uir optimus, cum hoc quum esset unà, ita est multatus, ut uitam amiserit: sed, quæ de* Pompeio *scribit, non ita facile concedemus: quum sic in oratione pro* Sestio *scriptum legamus:* Consulum *fidem* Pompeius *implorabat, neque se priuatum publicæ causæ susceptæ defuturum esse dicebat.* Quem *uirum studiosissimum mei, cupidissimum* Reip. *seruandæ, domi meæ certi homines compositi monuerunt, ut esset cautior, eiusq; uitæ à me insidias apud me domi positas esse dixerunt: atque hanc ei suspicionem alij literis mittendis, alij nuncijs, alij coràm ipsi excitauerunt: ut ille, quum à me certe nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, sibi cauendum putaret. quam rem multis etiam uerbis in oratione pro domo persequitur.* Pompeius *igitur se ruri con-*

tinebat: ad quem non Piso modo Ciceronis gener, sed plures etiam uenerunt, ut sic in oratione in Pisonem legimus; Quum certi homines non studium Pompeij à me alienassent, sed auxilium retardassent: nónne ad te L. Lentulus, qui tum erat Prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus uenit? qui omnes ad eum, multiq; mortales oratum in Albanum, obsecratumq; uenerant, ne meas fortunas desereret cum Reip. salute coniunctas: quos ille ad te, & ad tuum collegam remisit, ut causam publicam susciperetis, ut ad senatum referretis, se contra armatum Tribunum plebis sine consilio publico decertare nolle: Consulibus ex S. C. Remp. defendentibus, se arma suscepturum. Atque hoc uideri potest esse responsum, quod libro tertio ad Atticum minus liberale uocat: nisi forte sit illud, quod libro decimo ad Atticum scribit: Pompeius nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublcuabat quidem: qui se nihil contra Cæsaris uoluntatem aicbat facere posse. Quod si Cicero se ad Pompeij pedes strauit, Pompeius non uidetur eius congressum fugisse: quamuis eum nihil, quum posset, adiuuerit, ut libro nono ad Atticum scriptum uidemus; quod ipsum sæpe queritur. A Pompeio igitur, ut Plutarchus ait, ita Cicero proditus, & desertus, ad Consules confugit: & Gabinius quidem semper durus erat: Piso uero placidius loquebatur, hortans illum, ut desisteret, Clodio ruenti cederet, temporum mutationem ferret, & iterum patriam propter ipsum in seditionibus, & malis uersantem conseruaret. Hoc responsum Cicero quum accepisset, amicos consuluit, & Lucullus quidem iubebat eum tanquam superiorem futurum manere: alij uero, ut fugeret, hortabantur, quòd eum breui populus, quum Clodij furore, & cædibus expletus, & satiatus fuisset, desideraturus esset. Hic ego dubito, priúsne Cicero ad Consules, an ad Pompeium confugerit. Ad Pisonem

ſonem Conſulem cum C. Piſone genero ſuo quum ueniſſet, illud reſponſum tulit: Nihil eſſe, quod præſidium Conſulum implorarem, ſibi quenque conſulere oportere. Nam reſponſum, quod Plutarchus refert, Piſo non Ciceroni, ſed his, quos Pompeius remiſerat, ut ſupra diximus, dedit: de quo ſic in oratione in Piſonem ſcriptum legimus: Ecquid infelix recordaris, quid reſponderis? In quo illi omnes quidem, ſed Torquatus præter cæteros furebat contumacia reſponſi tui: te non eſſe tam fortem, quam ipſe Torquatus in Conſulatu fuiſſet, aut ego: nihil opus eſſe armis, nihil contentione: me poſſe iterum Remp. ſeruare, ſi ceßiſſem: infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem: deinde ad extremum, neque ſe, neque generum, neque collegam ſuum Tribuno plebis defuturum. Ob id enim Clodius Syriam Gabinio, Macedoniam Piſoni extra ordinem ſine ſorte nominatim dederat, ut in oratione pro domo, & alibi ſæpe teſtatur. De conſilijs amicorum, quæ Plutarchus ponit, non diſſentimus: quum M. Lucullum, quem ſignificari putamus, ut in Bruto diximus, ſæpe commendet: & libro tertio ad Atticum reliquos, qui conſilium dederunt, inuidos appellet: ubi ſunt illa uerba: Nunc Hortenſium allice, & eiuſmodi uiros. obſecro mi Pomponi nondum perſpicis, quorum opera, quorum inſidijs, quorum ſcelere perierimus? ſed tecum hæc coram agemus. Tantum dico, quod ſcire te puto: nos non inimici, ſed inuidi perdiderunt. Hinc ad Q. fratrem ſcripſit ita: Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio: me ſumma ſimulatione amoris, ſummaq; aßiduitate quotidiana ſceleratiſſime, inſidioſißimeq; tractauit, adiuncto quoque Arrio: quorum ego conſilijs, promißis, præceptis deſtitutus, in hanc calamitatem incidi. Nam, quod ad eundem ſcriptum fuit, triduo ſumma cum gloria dicebar eſſe rediturus: quod & in oratione pro domo ſcriptum uidimus. Ob id etiam ſic ad Teren-

tiam scripsit: Hæc si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius, sed omnia sunt mea culpa commissa: qui ab ijs me amari putabam, qui inuidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quòd si nostris consilijs usi essemus, neque apud nos tantum ualuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi uiueremus. Item, *meum fuit officium uel legatione uitare periculum, uel diligentia, & copijs resistere, uel cadere fortiter.* Idem Dion affirmat. Hoc est, quod ad Lentulum scripsit: *multorum est enim, & uaria culpa: &* in oratione post reditũ ad Quirites: *Me quatuor omnino genera hominũ uiolarunt: unum eorum, qui odio Reip. quòd eam ipsis inuitis conseruaram, inimicissimi fuerunt: alterum, qui per simulationem amicitiæ, nefarie me prodiderunt: tertium, qui quum propter inertiam suam eadem assequi non possent, inuiderent laudi, & dignitati meæ: quartum, qui quum custodes* Reip. *esse debuerunt, salutem meam, statum ciuitatis, dignitatem eius imperij, quod erat penes ipsos, uendiderunt.* Tum demum Cicero cessit, & cur cesserit, etiam sæpe docet, sed nunc, quod in oratione post reditum in senatu ponit, recitabimus: *Quum uiderem, inquit, senatum ducibus orbatum, me à magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum, seruos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos, copias omneis Catilinæ penè ijsdem ducibus ad spem cædis, & incendiorum esse reuocatas, equites* Romanos *proscriptionis, municipia uastitatis, omnes cædis metu esse permotos, potui, potui* P. C. *multis autoribus fortissimis uiris me ui, armisq; defendere: nec mihi ipse ille animus idem meus, uobis non incognitus, defuit: sed uidebam, si uicissem præsentem aduersarium, nimium multos mihi alios esse uincendos: si uictus essem, multis bonis & pro me, & mecum, etiam post me esse pereundum:* Tribunitijq; *sanguinis ultores esse præ*

ſenteis, meæ mortis pœnas iudicio, & poſteritati reſeruari. Nolui, quum Conſul communem ſalutem ſine ferro defendiſſem, meam priuatus armis defendere: bonosq; uiros lugere malui meas fortunas, quàm ſuis deſperare. ac ſi ſolus eſſem interfectus, mihi turpe: ſi cum multis, Reip. funeſtum fore uidebatur. Quòd ſi mihi æternam eſſe propoſitam erumnam arbitrarer, morte me ipſe potius, quàm ſempiterno dolore multaſſem. ſed, quum uiderem me non diutius, quàm ipſam Remp. ex hac urbe abfuturum; neque ego illa exterminata mihi remanendum putaui: & illa, ſimul atque reuocata eſt, me ſecum reportauit. Addamus & illa, quæ libro tertio de legibus dicuntur: Noſtra cauſa, quæ incidit in Tribunitiam poteſtatem, nihil habuit contentionis cum Tribunatu. Non enim plebs incitata noſtris rebus inuidit, ſed uincula ſoluta ſunt, & ſeruitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peſte certamen fuit, ſed cum grauiſsimo Reip. tempore: cui ſi non ceßiſſem, non diuturnum beneficij mei fructum patria tuliſſet. Qui uero ceſſerit ita, is, quod ſuprà poſitum eſt, dicere potuit, ſe expulſum fuiſſe ſine iudicio, ui, lapidibus, ferro, ſeruitio denique concitato. His enim ceßit, ne pugnaret cum his, à quibus ſæpe petitum fuiſſe credimus, quamuis poſſet reſiſtere, ut ſæpe refert, & in oratione pro Plancio ſic oſtendit: Dixiſti non auxilium mihi, ſed me auxilio defuiſſe. Ego uero fateor mehercule, quòd uiderim mihi auxilium non deeſſe, iccirco me illi auxilio peperciſſe. Ceßit, inquam, conſilijs amicorum commotus: quæ tamen, ut ſupra retulimus, non probabat: quamuis Plutarchus ita dicat: Hæc Cicero quum probaſſet, Mineruæ ſignum, quod domi ſuæ diu ſumma cerimonia cuſtodierat, in Capitolium delatum, cum hac inſcriptione, Mineruæ Romæ cuſtodi, ſuſpendit: & quum comites ex amicis accepiſſet, ex urbe media ferè nocte diſceſ-

sit. *Id ipse libro secundo de legibus ita refert* : Nos *illam custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus, ac perditis, uiolari ab impijs passi non sumus; eamq; ex nostra domo, in ipsius patris domum detulimus*. *Qua de re* Dion, *&* Iulius Obsequens *etiam plura scribunt*. *De comitibus autem sic in oratione pro domo loquitur ipse* Cicero: *Quid omnes boni? si nulla uis erat, cur me flentes potius prosecuti sunt, quàm aut increpantes retinuerunt? aut irati reliquerunt? Quòd si omnes boni prosecuti sunt, nec de media nocte uidetur discessisse: & certe falsum est, quod* Dion *ita scribit*: Tunc *inuitus cum infamia, & mala opinione discessit, tanquàm, quòd sibi sceleris esset conscius, sua sponte discessisset*. EGN. *Nisi cauemus* Pieri, *hic homo, qui tam multa hinc inde describit, de* Quaestore *librarius, aut scriba fiet*. PIE. *Solent* Quaestores, *ut mercatores, ut mensarij, ut caeteri, qui negotiantur, ex aduersarijs in codices, & ex illis rursus in alios codices nomina, quae sint exigenda, uel expedienda, transferre*. COR. *Verum dicis* Pieri: *nos idem facimus*. EGN. *Antea fecisses*. COR. *Antea fecimus, & nunc referimus*. EGN. *Verba refers, & de numis nihil refers*. COR. *Haec uerba nos ipsi numos putamus esse*. EGN. *Apud nos isti numi non expenduntur*. COR. *Nihil id mea refert, qui lege caui, ut numos omnis generis accipiatis*. EGN. *Ne nos de lege disputemus, tu tantum uide, ne illud, summum ius, summa iniuria, dici possit; si tu nos ista lege cogas uerba pro numis accipere*. COR. *Ego uero uos non cogam, sed illud tamen dicam: uerba sic expensa tanti nunc apud nos fieri, ut multo plura debita uerbis huiuscemodi, quàm numis illis, quos nostri maiores ex aere faciebant, soluantur*. PIE. *Verum dicit* Egnati. *Nos enim, qui magnam* Italiae *partem peragrauimus, id seruari uidimus*. EGN. *Si seruatur, seruabi-*

mus & nos, & tuos Corrade nimos istos accipiemus, si tamen ipse cauebis, ne semper numos huiuscemodi soluas. COR. *Variabimus, & nunc illos dabimus, quos Cornelius* Nepos *in codicem retulit: Ciceroni ex patria fugienti sestertia ducenta, & quadraginta millia* T. Pomponius Atticus *donauit.* EGN. *Vtinam tu nunc Attici similis esses.* COR. *Italus esse malo, ne, quemadmodum* Theophrastus, *ab anicula hospes appeller.* Nec *uos præterea* Ciceronis, *qui tunc fugiebat, similes esse uelletis.* EGN. *Nec nos uellemus fugere, nec, ut* Demosthenes, Cicero *fugit.* CO. *Cessit igitur circiter* Cal. April. Gabinio, *&* Pisone *Consulibus: &, ut ad* Plutarchi *uerba redeamus, per* Lucaniam *pedibus uer fecit, ut in* Siciliam *perueniret. Vt autem cognitum est, eum discessisse,* Clodius *de eius exilio tulit, & edictum proposuit, ut omnes eum igni, & aqua prohiberent: nec ei quisquam tectum intra quingenta millia passuum ab* Italia *præberet.* Tunc *alij quidem, qui* Ciceronem *reuerebantur, edictum parui facientes, & omnem comitatem demonstrantes, illum prosequebantur: apud* Hipponium *uero* Lucaniæ *ciuitatem, quam nunc* Vibonem *uocant,* Vibius *homo* Siculus, *qui multis in rebus ex* Ciceronis *amicitia fructum ceperat, & eius in* Consulatu *præfectus fabrûm fuerat, nec eum hospicio accepit, & ex ipsa regione se milites in eum conscripturum denunciauit: &* C. Virginius Siciliæ Prætor, *qui* Cicerone, *ut qui maxime fuerat usus, scripsit, ut* Sicilia *prorsus abstineret.* His *ille commotus,* Brundusium *uenit: & inde* Dyrrhachium *quum uento secundo nauigaret, uento ex alto per diem reflante, regressus est: & postea rursus eò nauigauit.* Quum *uero iam* Dyrrhachium *nauigasset, & in terram descendere pararet, dicunt, & motum terræ, & quandam contractionem maris eodem tempore factam fuisse: ex quibus uates conieca-*

runt, exilium ipsi non stabile, aut diuturnum fore: hæc enim signa mutationis esse. Verum nos ex oratione pro Plancio petamus: Ego Laterensis ex illo incendio legum, senatus, iuris, bonorum omnium cederis, quum mea domus ardore suo deflagrationem urbi, atque Italiæ toti minaretur, nisi quieuissem: Siciliam petiui animo, quæ & ipsa erat mihi sicut domus una coniuncta, & obtinebatur à C. Virgilio, quocum me uno uel maxime tum uetusta amicitia, tum mei fratris collegia, tum Resp. sociarat. Vide nunc caliginem temporum illorum: quum ipsa pene insula mihi sese obuiam ferre uellet; Prætor ille eiusdem Tribuni plebis concionibus propter eandem Reip. causam sæpe uexatus, nihil amplius dico, nisi me in Siciliam uenire noluit. Quid dicam? C. Virgilio tali ciui, & uiro beneuolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuisse? nihil uidelicet est eorum: sed quam tempestatem nos uobiscum non tulissemus, metuit, ut eam ipse nõ posset opibus suis sustinere. Tũ cõsilio repente mutato, iter à Vibone Brundusium terra petere contendi. nam maritimos cursus præcludebat hyemis magnitudo. Quum omnia illa municipia, quæ sunt à Vibone Brundusium, in fide mea iudices essent, tunc iter tutum, multis minitantibus, magno cum suo metu præstiterunt: Brundusium ueni, uel potius ad mœnia accessi i urbem unam mihi amicissimam declinaui: quæ se uel potius excindi, quàm è suo complexu ut eriperer, facile pateretur: In hortos me M. Lenij Flacci contuli: cui quum omnis metus, publicatio bonorum, exilium, mors proponeretur, hæc perpeti, si acciderent, maluit, quàm custodiam mei corporis dimittere. Huius ego, & parentis eius, prudentissimi, atque optimi senis, & utriusque filiorum manibus in naui tuta, ac fideli collocatus, eorumq; preces, & uota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere

contendi: Nunc *ad hæc ipsa, quæ de* Plutarchi, Ciceronisq; *scriptis recitata sunt, regrediamur*: De lege, *quam de exilio* Clodius *tulit*, Cicero *sæpe loquitur, & in oratione pro domo priuilegium uocat, & ostendit, nullo modo legem dici posse: in qua tamen ille tulerat, ut ibidem dicitur, ut* M. Tullio *aqua, & ignis interdiceretur: uel, ut* Clodius *scripserat, interdictum sit: & ne reciperetur: cuius caput* Clodius *in curiæ poste fixit, & recitauit: ne quis ad senatum referret, ne quis decerneret, ne disputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne scribendo adesset: ut in oratione post reditum in senatu legimus: ne, quod libro tertio ad Atticum scriptum est, referamus: & si uidetur illud omnino referendum*: Allata est nobis *rogatio de pernicie mea: in qua quod correctum audieramus, erat huiusmodi: ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse.*

P I E. Ex Plutarcho *supra retulisti, quingenta millia.*

C O R. Cicero *dixit, ultra quadringenta millia*, Plutarchus, *intra quingenta millia extra* Italiam: *sed tria millia, septingenta quinquagenta stadia ab* Roma, Dion *scripsit: ne, quæ diuersa de lege refert, dicamus*. De Vibio, *quem* Plutarchus *ponit, nihil scriptum uidimus: quem uero* C. Virginum Plutarchus *appellat, eum* Cicero C. Virgilium *uocat*. Iam *de* M. Lenio Plutarchus *nihil refert: sed* Cicero *præter ea, quæ supra retulimus, sic ad* Terentiam *scribit*: Nos Brundusij *apud* M. Lenium Flaccum *dies tredecim fuimus, uirum optimum, qui periculum fortunarum, & capitis sui pro mea salute neglexit: neque legis improbißimæ pœna deductus est, quo minus hospitij, & amicitiæ ius, officiumq; præstaret*. Huic *utinam aliquando gratiam referre poßimus, habebimus quidem semper*. Contra Cicero *nihil de terræ, marisq; prodigio dixit, fortasse, si uerum fuisset, dicturus: quum somnium referre non dubitarit: quod apud eum libro primo de* Diuinatio-

rie, & apud Valerium Maximum libro primo legimus. PIE. *Nihil neque de domo euersa, neque de bonis publicatis dixisti.* COR. *Nunc ordinem Plutarchi sequimur, qui postea de rebus hisce loquitur: quamuis, ubi de rogatione scripsit, ibi de rebus illis, ut postea Leonardus Arretinus fecit, loqui debuerit. Sed ille, qui ductus studio maledicendi, properaret dicere, quàm parum uiriliter exilium Cicero tulerit, & ordinem perturbauit, & quod ad iter reliquum pertinebat, omisit: quod Cicero sic in oratione pro Plancio scripserat: Dyrrhachium quum uenissem, cognoui id, quod audieram, refertam esse Græciam sceleratissimorum hominum, ac nefariorum, quorum impium ferrum, ignesq; pestiferos meus ille Consulatus è manibus extorserat: qui antequàm de meo aduentu audire potuissent, quum tum abessent aliquot dierum uiam, in Macedoniam, ad Planciumq; perexi. hic uerò simul atque me mare transisse cognouit, audi, atque attende Laterensis, ut scias, quid ego Plancio debeam, confitearéq; aliquando, quod faciam, me & grate, & pie facere, huic, quæ pro salute mea fecerit, si minus profutura sint, obesse certè non oportere: nam simul ac me Dyrrhachium attigisse audiuit, statim ad me, lictoribus dimissis, insignibus abiectis, ueste mutata profectus est. ò acerbam mihi iudices memoriam temporis illius, & loci, quum hic in me incidit. complexus est, conspersitq; lachrymis, nec loqui præ mœrore potuit. ò rem quum auditu crudelem, tum uisu nefariam: ò reliquas omnes dies, noctesq; eas, quibus iste à me non recedens, Thessalonicam me, in Quæstoriumq; perduxit. Hic ego nunc de Prætore Macedoniæ nihil dicam amplius, nisi eum & ciuem optimum semper, & mihi amicum fuisse, sed eadem timuisse, quæ cæteros: Cn. Plancium fuisse unum, non qui minus timeret, sed, si acciderent ea, quæ timerentur, mecum ea subire,*

& perpeti uellet: Qui, quum ad me L. Tubero meus necessarius, qui fratri meo legatus fuisset, decedens ex Asia uenisset, easq; insidias, quas mihi paratas ab exulibus coniuratis audierat, animo amicissimo detulisset: in Asiam me ire propter eius prouinciae mecum, & cum meo fratre necessitudinem, patantem non est passus: Vt me inquam Plancius, & complexu suo retinuit, multosq; menses à capite meo non discessit, abiecta Quaestoria persona, comitisq; sumpta: Sic etiam libro tertio ad Atticum scripsit: itineris causa, ut diuertar, primum est deuium, deinde ab Antronio, & caeteris quatridui. Item, scripseram ad te, quas ob causas in Epeirum non essemus profecti, quod et Achaia prope esset, plena audacissimorum inimicorum, & exitus difficiles haberet, quum inde proficisceremur. Accessit, quum Dyrrhachij essemus, ut duo nuncij afferrentur, unus classe fratrem Ephesio Athenas, alter pedibus per Macedoniam uenire. Itaque illi obuiam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam ueniret. Ipsi processimus, & Thessalonicam ad X. Cal. Iun: uenimus: Sed iam Plutarchi uerba uertamus: Quamuis homines ad eum multi conuenirent: quamuis eum Graecae urbes officijs certatim prosequerentur: ipse tamen tristis, moestusq; uiuebat, in Italiam, ut in amicas infeliciter amantes, saepe respiciens: & propter calamitatem sic plane deiectus, & abiectus, ut nemo putare posset, eum bonis artibus eruditum fuisse: & si frequenter ipse uolebat ab amicis non orator, sed Philosophus appellari: quod se Philosophiam, ut opus, elegisse: arte uero dicendi, ut instrumento ad res necessarias, in administranda Rep. uti dicebat. Sed gloria magna est, opiniones, ut animi sordes, eluere: & affectiones uulgi, quae propter usum, & consuetudinem Remp. administrantibus innascuntur, abstergere: nisi quis se ualde custodiens, ita cum his, qui non curant, consentiat, ut rerum

ipsarum, non affectionum, quæ rebus insunt, particeps esse uelit. Videtis, opinor, ut homo Græcus, omnes occasiones, ut Ciceroni maledicere poßit, captet. EGN. Non captaret ille, nisi Cicero, qui tam miserabiliter ad Atticum, ad Quintum fratrem, & ad Terentiam scribat, offerret. COR. Ille uero miserabiliter scribebat ad eos, ut miserabilis uideretur, quo magis eos ad id procurandum, quod cupiebat, excitaret. EGN. Vereor, ne tu iam nobis, quod omnes homines esse factum sciunt, id non esse factum, uelis persuadere. COR. Sciunt, uel potius credunt illi, qui, quod semel scriptum uiderunt, id factum esse putant: nec à quo, uel quo modo scriptum sit, inquirunt. Nos certe nunquàm neque Plutarcho, neque Dioni credemus: qui de re tam leui tragœdias excitarunt: quorum alter ut tragicum malum descripsit: alter oblitus se historicum esse, poeta fieri uoluit, & repente nescioquem Philiscum, tanquàm Deum tragicum, qui Ciceronem consolaretur, uel potius in historia contra decorum, & ueritatem multa nugaretur, induxit. EGN. Ipsi credes. COR. Ego uero credam, sed interpretabor, ut dixi: nec ea me uerba, quæ sunt in oratione pro Sestio, mouebunt: Vnus Remp. bis seruaui, semel gloria, iterum ærumna mea. Neque enim hominẽ in hoc me inficiabor unquã, ut me optimo fratre, charißimis liberis, fidißima cõiuge, uestro cõspectu, patria, hoc honoris gradu, sine dolore caruiße glorier: quod si fecissẽ, quod à me beneficium haberetis, quum pro uobis ea, quæ mihi essent uilia, reliquissem? Id in oratione pro domo pluribus uerbis explicauit: inter quæ sunt illa: Accepi Pontifices magnum, atque incredibilem dolorem: non nego: neque istam mihi ascisco sapientiam, quam nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis fracto esse, atque afflicto loquebantur. EG. Doluit igitur. COR. Absens potius se dolere simulauit, ut suos,

quod diximus, magis commoueret: & præsens item se doluisse simulauit, ut uir prudentissimus, & rerum humanarum peritissimus, scenæ; quod aiunt; seruiret: & eos, qui audiebant, ea ratione sibi conciliaret: quum præsertim non ut Philosophus *cum* Philosophis; *sed ut orator cum hominibus non perfectis loqueretur.* Aliter *enim ut* Philosophus, *aliter ut orator loqui solet.* Hinc, *ut alia mittamus; &; quod nunc agi debet, agamus, in sua consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamq; à se esse superatam; quum fortiter inimicorum impetus retudisset: nec tum quidem se ab ea fractum, quum domo pulsus, patria caruit.* E G N. Id *ego* Lactantium *non recordabar retulisse: nunc tibi, si placet, assentiar, & credam,* Ciceronem, *quum dolere uideretur, risisse.* C O R. Vt Democritus *fortasse risit: quanquam tu me nunc ipse rides: quasi uero contendam,* Ciceronem *nihil omnino doluisse.* Ego *uero scio, quod in* Tusculanis *quæstionibus ipse scripsit;* Illud *nihil dolere non sine magna mercede contingit; immanitatis in animo; stuporis in corpore.* EGN. Fateris *igitur eũ doluisse.* C O. Fateor, *sed non ita tamen; ut* Demosthenem, *qui muliebriter exilium suum deflebat, imitaretur.* P I E. Hoc *est pilam retorquere.* EGN. Fortasse *follem: nam pilam trigonalẽ quonam mo do uidere potuerit, non uideo.* CO. Nec *tu uides, nec ego pilã, nisi ut claudus, retinuissem.* Sed *nobis iam neq; pila ludere, neq; iocari libet, quum* Plutarchum *quasi præconem de bonis* Ciceronis *audiamus ita prædicãtem.* Clodius, *quum* Ciceronem *eiecisset, eius quum uillas, tum domum incendit, & in loco templum* Libertatis *ædificauit; reliqua uero bona uenditauit quidem, & uoci præconis quotidie subiecit; sed nemo quicquam emere uoluit.* Quibus *quidem de rebus* Cicero *sæpe queritur, ut in oratione post reditum in senatu:* Vno, *eodemq; tempore domus mea diripiebatur, arde-*

bat, bona ad uicinum Consulem de palatio, de Tusculano ad item uicinum alterum Consulem deferebantur: ut in oratione pro domo: Nihil erat latum de me: non adesse eram iussus: non citatus fueram: eram etiam tuo indicio ciuis incolumus: quum domus in palatio, uilla in Tusculano, altera ad alterum Consulem transferebatur: senatum Consules uetabant: columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inspectante populo Romano ad socrum Consulis portabantur: in fundum autem uicini Consulis non modo instrumentum, aut ornamenta uillæ, sed etiam arbores transferebantur: quum ipsa uilla non prædæ cupiditate (quid enim erat prædæ?) sed odio, & crudelitate funditus euerteretur: domus ardebat in palatio non fortuito, sed oblato incendio: Consules epulebantur. Hinc etiam cognoscere possumus, domum Ciceronis ante, quàm rogatio de exilio ferretur, incensam fuisse. Vt uero domus Libertati consecrata fuerit, in oratione ipsa pro domo scribitur, ubi sunt etiam uerba, quæ ad bona pertinent: Ciuis est nemo in tanto populo, extra contaminatam illam, & cruentam P. Clodij manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit: qui non pro suis opibus in illa tempestate defenderit. At qui aliqua se contagione prædæ, societatis, emptionis, contaminauerunt, nullius neque priuati, neque publici iudicij pœnam effugere potuerunt. Post ea, quæ supra uertimus, ita Plutarchus addit: Ob id Clodius optimatibus formidolosus factus, & secum populum ad multas iniurias, & audaciam prolapsum ducens, non nulla, quæ Pompeius administrarat in re militari, rescindere conatus est. Propter quæ quum Pompeius male audiret, seipse reprehendebat, quòd eijci Ciceronem permisisset: & mutatus, cœpit cum amicis de Cicerone reuocando deliberare: sed quum Clodius resisteret, senatui nihil neque decernere, neque facere publice placuit: nisi Cicero restitueretur. Quum uero iam Lentu-

lus Consul esset, & tanta seditio commota fuisset, ut Tribuni *plebis in foro sint uulnerati, &* Quintus Ciceronis *frater inter mortuos ut mortuus latuerit: & populus sententiam mutare cœpit, &* Tribunorum *plebis* Annius Milo *primus ausus est* Clodium *de ui postulare.* Hæc, *quæ sunt implicata, nos explicemus. Sic igitur in oratione pro domo legimus:* Atque, *ut sciatis non hominibus istum, sed uirtutibus hostem semper fuisse, me expulso,* Catone *amandato, in eum ipsum se conuertit, quo autore, quo adiutore, in concionibus, ea, quæ gerebat omnia, quæque gesserat, se fecisse, & facere dicebat,* Cn. Pompeium, *quem omnium iudicio longe principem esse ciuitatis uidebat, diutius furori suo ueniam daturum non arbitrabatur: qui ex eius custodia per insidias* Regis *amici filium hostem captiuum surripuisset, & ea iniuria uirum fortißimum laceßisset, sperauit iisdem se copijs cum illo posse confligere, quibuscum ego noluissem bonorum periculo dimicare. & primo quidem adiutoribus* Consulibus: *postea fregit fœdus* Gabinius. Piso *tamen in fide mansit.* EGN. *Plutarchus amandatum primo* Catonem, *deinde expulsum* Ciceronem *scripsit.* COR. *Ille quidem scripsit, & olim me decepit ita, ut putarem* Ciceronem, *ut oratio cresceret, ita uerba collocasse: sed in oratione pro* Sestio *postea uidi,* Catonem *post* Ciceronis *ex urbe discessum cum* Pisone *Consule* Romæ *uerba fecisse: ne, quod* Dion *scribit, & alias coniecturas persequamur.* Quod *ad hanc rem pertineat, id* Dion *refert:* Cicero *non diu fuit exul, sed ab eodem* Pompeio, *qui maxime ipsum expulerat, restitutus est.* Causa *fuit, quòd* Clodius Tigranem *iuniorem, qui tunc apud* L. Flauium *in uinculis adhuc erat, pecunia corruptus, eripuit, atque dimisit: ac* Pompeium, Gabiniumq; *id ægre ferentes iniurijs affecit.* Nam *comites eorum uerberauit, & uulnerauit, ac* Consulis *fasces fre-*

git, & bona consecrauit. Propter hæc igitur Pompeius *iratus, præsertim quòd Clodius ea potestate, quam Tribunis plebis ipse restituerat, contra se abuteretur, Ciceronem uoluit reuocare.* Asconius hanc historiam clarius describit: *Pompeius post triumphum Mithridaticum Tigranis filium in cathenis deposuerat apud Flauium senatorem: qui postea quum esset Prætor eodem anno, quo Tribunus plebis Clodius, petit ab eo Clodius super cœnam, ut Tigranem adduci iuberet: adductum collocauit in conuiuium, dein Flauio non reddidit: dimisit, & habuit extra cathenas, nec repetenti Pompeio reddidit: postea in nauem deposuit. Item, Pisone, & Gabinio Consulibus, pulso Cicerone in exilium, quum III. Id. Sext. Pompeius in senatum uenit, dicitur seruo P. Clodij sica excidisse: eaq; ad Gabinium Consulem delata, dictum est, seruo imperatum à P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit. ex eo domi tenus obsessus est etiam à liberto Clodij Damione, ut ex actis eius temporis cognoui: in quibus XV. Cal. Sept. L. Nouius Tribunus plebis collega Clodij, quum Damio aduersum Flauium Prætorem appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: & hoc apparitore P. Clodij uulneratus sum: & hominibus armatis, præsidijs dispositis à Rep. remotus sum: Cn. Pompeius obsessus est. quum appeller, non utar eius exemplo, quem uitupero: & iudicium tollam.* Hic est ille motus, quem Pomponius Atticus utilem Ciceroni fore sperabat, ut libro tertio ad Atticum legimus: *ubi sunt illa uerba: motum in Rep. non tantum ego uideo, quantum tu aut uides, aut ad me consolandum affers. Tigrane enim neglecto, sublata sunt omnia.* Sed præstat huc uerba Ciceronis ex oratione in Pisonem transferre: *Ne tum quidem emersisti lutulente Cæsoni ex miserrimis naturæ tuæ sordibus, quum experrecta tandem uirtus cla-*

rißimi uiri celeriter & uerum amicum, & optime meritum ciuem, & suum pristinum morem requisiuit: neque est ille uir passus, in ea Rep. quam ipse decorarat, atque auxerat, diutius uestrorum scelerum pestem morari: quum tamen ille, qualiscunque est, qui est ab uno te improbitate uictus, Gabinius collegit ipse se uix, sed collegit tamen, & contra suum Clodium primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio uere, uehementerq; pugnauit. Quo quidem in spectaculo mira Reip. æquitas erat; uter eorum perisset, tanquàm lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem uero quæstum, si uterque cecidisset. Sed ille tamen agebat aliquid, tuebatur autoritatem summi uiri: erat ipse sceleratus, erat gladiator: cum scelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu scilicet homo religiosus, & sanctus, fœdus, quod meo sanguine in pactione prouinciarum iceras, frangere noluisti. Cauerat enim sibi ille sororius adulter, ut, si tibi prouinciam, si exercitum, si pecuniam ereptam ex Reip. uisceribus dedisset, omnium suorum scelerum socium te, adiutoremq; præberes. Itaque in illo tumultu fracti fasces, ictus ipse: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehensus denique cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat. Atque hac quidem de re sæpe Cicero meminit, sed nos satis multa retulimus: nunc uideamus, quod Plutarchus de senatu refert, eum constituisse nihil decernere, nisi de Cicerone referretur: Id in oratione in Pisonem Cicero scribit ita: An tum eratis Consules, quum quacunque de re uerbum facere cœperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebatq;, nihil esse uos acturos, nisi prius de me retulissetis: quum uos, quanquàm fœdere obstricti tenebamini, tamen cupere uos diceretis, sed lege impediri? Audite uero, quæ sunt in oratione pro Sestio

scripta: Loquebatur liberius senatus: concurrebant equites Romani: Piso ille gener meus, cui fructum pietatis suæ neque ex me, neque à populo Romano ferre licuit, à propinquo suo socerum suum flagitabat: omnia senatus reijciebat, nisi de me primum Consules retulissent. quæ quum res iam manibus teneretur, & quum Consules prouinciarum pactione libertatem omnem perdidissent, qui, quum in senatu priuatim, ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant: quum hæc non possent iam diutius sustineri, initur consilium de interitu Cn. Pompeij. Prius igitur senatus statuit, nihil esse decernendum, nisi de Cicerone referretur, quàm de interitu Cn. Pompeij consilium iniretur: quamuis aliter in oratione in Pisonem referre uideatur. Iam, quæ sunt in oratione pro Sestio scripta, uidentur ad rei continuationem, quam Plutarchus interrumpit, pertinere: *De meo reditu octo Tribuni promulgarunt. ex quo intellectum est, mihi absenti creuisse amicos in ea præsertim fortuna, in qua nonnulli, etiam, quos esse putaueram, non erant, sed eos uoluntatem semper eandem, libertatem non eandem semper habuisse. Nam ex nouem Tribunis, quos tunc habueram, unus, me absente, defluxit: qui cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse, quàm generis uideretur. hoc igitur anno magistratibus nouis designatis, quum omnes boni omnem spem melioris status in eorum fidem conuertissent, princeps P. Lentulus autoritate, ac sententia sua, Pisone, & Gabinio repugnantibus, causam suscepit, Tribunisq; plebis octo referentibus, præstantissimam de me sententiam dixit. qui quum ad gloriam suam, atque ad amplissimi beneficij gratiam magis pertinere uideret, causam illam integram ad suum Consulatum reseruari, tamen rem talem per alios citius, quàm per se tardius confici malebat.* Hoc interim tempore

P. Sestius

P. Sestius designatus iter ad C. Cæsarem pro mea salute suscepit. Atque illi quidem octo Tribuni de salute Ciceronis promulgarunt, & ad senatum sæpenumero retulerunt, sed, impediente Clodio, nihil profecerunt, ut in oratione post reditum in senatu cognosces. Promulgarunt autem ad IIII. Cal. Nouemb. Pisone, & Gabinio Coss. quod libro tertio ad Atticum legimus. Abiit, ut in oratione pro Sestio loquitur, ille annus: ueniunt Calendæ Ian. uos hæc melius scire potestis, equidem audita dico, quæ tum frequentia senatus, quæ expectatio populi, qui concursus legatorum ex Italia cuncta, quæ uirtus, actio, grauitas P. Lentuli Consulis fuerit, quæ etiam collegæ eius moderatio de me: qui quum inimicitias sibi mecum ex Reip. dissensione susceptas esse dixisset, eas se patribus conscriptis dixit, & temporibus, & Reip. permissurum. Tum princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit id, quod dignißimum Rep. fuit: nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus: quare me, qui nulla lege abessem, non restitui lege, sed reuocari senatus autoritate oportere. Hunc, nemo erat, quin uerißime sentire diceret: sed post eum rogatus Cn. Pompeius, approbata, laudataq; Cottæ sententia, dixit, sese otij mei causa, ut omni populari concitatione defungerer, censere, ut ad senatus autoritatem, populi quoque Romani beneficium erga me adiungeretur. Idem libro tertio de legibus, & in oratione pro domo refert: sed audite, quid in oratione in Pisonem dicat: Me Calendis Ian. qui dies post obitum, occasumq; nostrum Reip. primus illuxit, frequentißimus senatus, concursu Italiæ, referente clarißimo, atque fortißimo uiro P. Lentulo, consentiente populo Romano, atque una uoce reuocauit: me idem senatus exteris nationibus, me legatis, magistratibusq; nostris autoritate sua consularibus literis; non, ut tu nuper dicere ausus es, orbatum

patria, sed, ut senatus illo ipso tempore appellauit, ciuem con seruatorem Reip. commendauit. Id senatusconsultum in templo Iouis Optimi Maximi factum est, ut in oratione pro domo, & in oratione de prouincijs Consularibus ostendit: quamuis in oratione pro Plancio, & libro primo de Diuinatione, de somnio loquens, Marij monimentũ uocet, quòd ædes Iouis Mariana diceretur, ut apud Valerium Maximum uidere licet. Sed res impediebatur, ut sic in oratione pro Sestio describit: Quum omni mora, ludificatione, calumnia senatus autoritas impediretur, uenit tandem consilij de me agendi dies, VIII. Cal. Feb. princeps rogationis, uir mihi amicißimus, Q. Fabricius templum aliquanto ante lucem occupauit. quietus eo die Sestius is, qui est de ui reus, actor hic, defensorq; causæ meæ, nihil progreditur: consilia expectat inimicorum meorum. Quid illi, quorum consilio P. Sestius in iudicium uocatur, quo se pacto gerunt? Quum forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus, ac seruis plerisque occupauissent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, uulnerant multos, uenientem in forum uirum optimum, & constantißimum M. Cispium Tribunum plebis ui depellunt, cædem in foro maximam faciunt, uniuersiq; districtis gladijs, & cruentis in omnibus fori partibus fratrem meum, uirum optimum, fortißimum, meiq; amantißimum, oculis quærebant, uoce poscebant; quorum ille telis libenter in tanto luctu, ac desiderio mei non repugnandi, sed moriendi causa corpus obtulisset suum, nisi suam uitam ad spem mei reditus reseruasset. Subijt tamen uim illam nefariam consceleratorum latronum, & quum ad fratris salutem à populo Romano rogandam, deprecandamq; uenisset, pulsus a rostris, in comitio iacuit, seque seruorum, & libertorum corporibus obtexit, uitamq; tum suam noctis, & fugæ

præsidio, non iuris, iudiciorumq; defendit. His etiam tempo ribus domus Milonis Tribuni plebis, & Cæcilij Prætoris à Clodianis oppugnatæ sunt, & P. Sestius Tribunus pl. uulneratus est. Tum Milo Clodium primo de ui postulauit: posteaquàm ab eodem iudicia sublata esse uidit, ne ille omnia ui posset efficere, curauit. Quæ quidem in orationibus post reditum in senatu, pro Sestio, & pro Milone pluribus uerbis explicantur. PIE. Iam uideris ad ea uerba, quæ postrema de Plutarcho uertisti, peruenisse. COR. Perueni quidem sed multa, quæ referri poterant, omisi, ut, quæ Plutarchus addit, ita coniungam: Ad Pompeium multi & ex populo, & ex uicinis ciuitatibus conuenerunt: quibus ille septus in forum quum uenisset, & inde Clodium deiecisset, ciues ad suffragium uocauit. Dicitur autem populus nihil unquàm tanta concordia iussisse. Videtis iam, quod omnes uident, Plutarchum, qui de nugis sæpe tam multa scripsit, in hisce rebus, quæ ad gloriam Ciceronis pertinent, ita parcum fuisse, uix ut eas indicarit. EGN. Sciebat luscinię cantionem non deesse. COR. Audiamus igitur eam sic in oratione, quæ contra Pisonem dicta est, canentem. Ad meam unius salutem senatus auxilium omnium ciuium, cuncta ex Italia, qui Remp. saluam esse uellent, Consulis uoce, & literis implorandum putauit. Mei capitis seruandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota conuenit. De mea salute P. Lentuli præstantissimi uiri, atque optimi Consulis, Cn. Pompeij clarissimi, atque inuictissimi ciuis, cæterorumq; principum celeberrimæ, & grauissimæ conciones fuerunt: de me senatus ita decreuit, Cn. Pompeio autore, & eius sententiæ principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur: ijsq; uerbis ea de me senatus autoritas declarata est, ut nemini sit triumphus honorificentius, quàm mihi salus, resti-

tutioq; perscripta: de me, quum omnes magistratus promulgassent, præter unum Prætorē, à quo non fuit postulandum, fratrē inimici mei, præterq; duos de lapide emptos Tribunos plebis, legem comitijs centuriatis tulit P. Lentulus Cos. de collegæ Q. Metelli sententiā; quem mecum eadem Resp. quæ in Tribunatu eius disiunxerat, in Consulatu uirtute optimi, ac iustißimi uiri, sapientiaq; coniunxit: quæ lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? ex uobis audio, nemini ciui ullam, quo minus adesset, iustam excusationem esse uisam, nullis comitijs unquam multitudinem hominum tantam, neque splendiorem fuisse: hoc certe uideo, quod indicant tabulæ publicæ, uos rogatores, uos distributores, uos custodes fuisse tabularum: &, quod in honoribus uestrorum propinquorum non facitis uel ætatis excusatione, uel honoris, id in salute mea, nullo rogante, uos uestra sponte fecistis. PIE. *O dulcem cantum.* COR. *Addes uarium, quum sæpius eadem, non eodem modo more suo canentem deinceps audiueris.* EGN. *Sed intus canentem.* COR. *Quippe quum iam satis foris fleuisset. Sed nos, qui Plutarchi uerba solemus explicare, Ciceronis uerba, quibus etiam superiora melius explanantur, non libenter audiamus?* EGN. *Audiamus.* COR. *Quamuis tu rideas, quasi ego sim resonabilis Echo, quædam tamen, quæ necessaria uideantur, referam. Senatus, inquit in oratione pro domo, decreuit, ut omnes, qui Remp. saluam esse uellent, ad me unum defendendum uenirent: ostenditq; nec stare potuisse Remp. si ego non fuissem restitutus, nec futuram esse ullam, si non redijssem. Idem in oratione post reditum in senatu refert: ubi sunt illa uerba: Quid ego gloriosius meis posteris potui relinquere, quàm hoc senatum iudicasse, qui ciuis me non defendisset, eum Remp. saluam noluisse? Itaque tantum uestra autoritas, tantum eximia Consulis digni*

tas ualuit, ut omne is flagitium se committere putaret, si quis non ueniret. Idemq; Consul, quum illa incredibilis multitudo Romam, *& penè* Italia *ipsa uenisset, uos frequentißimos in* Capitolium *conuocauit.* Pompeius, *ut ait in oratione pro Milone, quum de me decretum Capuæ fecisset, ipse cunctæ Italiæ cupienti, & eius fidem imploranti signum dedit, ut ad me restituendum* Romam *concurrerent. Hæc erat multitudo, quæ conuenerat: quo quidem die, ut ad orationem post reditum in senatu reuertamur, quum quadringenti decem senatores essetis, magistratusq; omnes adessent, dissensit unus is, qui sua lege coniuratos etiam ab inferis excitandos putarat: atque illo die, quo Remp. meis consilijs conseruatam grauißimis uerbis, & plurimis iudicassetis, idem Consul curauit, ut eadem à principibus ciuitatis in concione postero die dicerentur: quum quidem ipse egit ornatißime causam meam, perfecitq; astante, atque audiente Italia tota, ut nemo cuiusquam conducti, aut perditi uocem acerbam, atque inimicam bonis posset audire. Hæ fuerunt conciones principum, quas quum omnes, tum illam Pompeij pluribus uerbis in oratione post reditum ad Quirites explicauit. In oratione uero post reditum in senatu pergit ita: ad hæc non modo adiumenta salutis, sed etiam ornamenta dignitatis meæ reliqua uos ijdem addidistis: decreuistis, ne quis ulla ratione rem impediret, qui id impedisset, grauiter, molesteq; laturos, illum contra Remp. salutemq; bonorum, concordiamq; ciuium facturum: & ut ad uos ea statim referrentur: meque etiam si diutius calumniarentur, redire iußistis. quid, ut agerentur gratiæ, qui è municipijs uenissent? quid, ut ad illam diem, res quum redissent, rogarentur, ut pari studio conuenirent? Hoc senatusconsultum non est illud, de quo Lentulus, ut ante diximus, Cal. Ian. retulit, sed illud, de quo Cicero V. I. Cal. Iunias, ut opinor,*

ad Atticum libro tertio scripsit ita: literæ mihi à Quinto fratre cum S. C. quod de me est factum, allatæ sunt. mihi in animo est, legum lationem expectare. si obtrectabitur, utar autoritate senatus, & potius uita, quàm patria carebo. Iam de lege sic in oratione post reditum in senatu loquitur: Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi, fratriq; meo, liberisq; nostris natalem constituit, non modo ad nostram, uerum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitijs centuriatis, quæ maxime maiores iusta dici, haberiq; uoluerunt, accersiuit in patriam: ut eædem centuriæ, quæ me Consulem fecerant, Consulatum meum comprobarent. quo die quis ciuis fuit, qui fas esse putaret, quacunque aut ætate, aut ualetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorem Italiæ totius, ordinumq; omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesq; uidistis? Sed epilogum, si placet, ex oratione pro domo translatum audite: Proximus est senatui dignitate ordo equester: omnes omnium publicanorum societates de meo Consulatu, ac de meis rebus gestis amplißima, atque ornatißima decreta fecerunt. Scribæ, qui nobiscum in rationibus, monimentisq; publicis uersantur, non obscurum de meis in Remp. beneficijs suum iudicium, decretumq; esse uoluerunt. nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, quoniam plebi quoque urbanæ maiores nostri conuenticula, & quasi consilia quædam esse uoluerunt, qui non amplißime non modo de salute mea, sed etiam dignitate decreuerint. Nam quid ego illa diuina, atque immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiæ decreta commemorem? quibus tanquàm gradibus mihi uideor in cœlum ascendisse, non solum in patriam reuertisse. Ille uero dies quis fuit, quum te P. Lentule legem de me ferentem populus Romanus

ipse uidit; sensitq́; quantus, & quanta dignitate esses? Constat enim nullis unquàm comitijs Campum Martium tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruisse. omitto ciuitatum, nationum, prouinciarum, Regum, orbis denique terrarum de meis in omnes mortales meritis unum iudicium, unumq́; consensum. EGN. *Epilogus oratione longior.* COR. *Ille breuior, qui sic in oratione post reditum ad Quirites legitur: En ego tot testimonijs Quirites, hac autoritate senatus, tanta consensione Italiæ, tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus cæteris magistratibus, deprecante Cn. Pompeio, omnibus hominibus fauentibus, Dijs denique immortalibus frugum ubertate, copia, uilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, Reip. restitutus, tantum uobis, quantum facere possum, Quirites pollicebor.* EGN. *Est ille quidem breuior; sed eo sic frequenter utitur, ut crambe non posita bis, sed sæpius esse uideatur.* COR. *Ita fortasse Plutarcho uidebatur: quem rem tantam uidemus, ut canes in Aegypto solent, leuiter attigisse, & tamen grauiter offendisse: quum putarit à Pompeio Clodium tunc è foro pulsum fuisse, quum Cicero sic in oratione pro domo cum Clodio loquatur: Illa fuit pulchritudo populi Romani, illa forma, quam in campo uidisti tum, quum etiam tibi contra senatus, totiusq́; Italiæ autoritatem, & studium, dicendi potestas fuit: ille populus est dominus Regum, uictor, atque imperator omnium gentium, quem illo clarissimo die scelerate uidisti tum, quum omnes principes ciuitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium suffragium se non de ciuis, sed de ciuitatis salute ferre censebant.* EGN. *Forum non erat campus.* COR. *Plutarchus igitur male forum pro campo posuit, quum tamen eadem de re loqueretur: sed de eo mirum non est.*

qui tam sæpe peccet, & quod sequitur, etiam præpostere narret: Senatus cum populo certans, decreuit, ut ciuitates, quæ Ciceronem exulantem recepissent, laudarentur: & domus, ac uillæ, quas Clodius euerterat, sumptu publico Ciceroni restituerentur. Nam de domo, & uillis post reditum Ciceronis, ut infra dicetur, decreuit: quod ad laudandas ciuitates, quæ Ciceronem recepissent, pertinet, ante, quam lex ferretur: quod in oratione pro domo sic ipse testatur: senatus multo ante, quàm est lex lata de me, gratias agendas censuit ciuitatibus ijs, quæ M. Tullium, tantúmne? imo etiam ciuem optime de Rep. meritum recepissent. Videtur autem id decretum fuisse in eo S. C. quod ante VI. Cal. Ian. factum fuisse supra demonstrauimus: quum lex Prid. Non. Sext. perlata sit: quod ita libro quarto ad Atticum scribit: Prid. Non. Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die, quo lex est lata de nobis. Brundusium ueni Non. Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præsto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat & Brundusinæ coloniæ, & tuæ uicinæ salutis: quæ res animaduersa à multitudine summa Brundusinorum gratulatione celebrata est: quod in oratione pro Sestio multis etiam uerbis confirmauit.

E G N. Possumúsne adhuc eum saluum uenisse gaudere?

COR. Possumus quidem, sed postea tamen, quum domum uenerit, melius gaudebimus, & interea, quod Plutarchus apponit, uertemus: Cicero decimo sexto post exilium mense redijt, & ciuitates tanta lætitia sunt affectæ, tantoq; studio sunt homines obuiam profecti, ut, quod postea Cicero dixit, non admodum procul à uero fuisse uideatur. Dixit enim se humeris Italiæ Romam reportatum fuisse. De tempore Appianus cum Plutarcho sentit, sed Paterculus intra biennium, Eusebius post annum redijsse testantur. Verum si circiter Cal. April. Gabinio, & Pisone Consulibus, ut supra diximus de-

fcessit, & lex de reditu Prid. Non. Sext. Lentulo & Metello Consulibus lata est; sexdecim menses ipsi numerantur, quanquàm Romam Prid. Non. Sext. peruenit, ut libro quarto ad Atticum refert: ubi sunt illa uerba, à Brundusinis honestissime ornatus, iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati conuenerint: quod in oratione in Pisonem sic ostendit: Meus aduentus is fuit, ut à Brundusio usque Romam agmen perpetuum totius Italiæ uiderem: neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publice ad me uenerint gratulatum. Quid dicam aduentus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursum ex agris patrūfamilias cum coniugibus, ac liberis? quid eos dies, qui, quasi Deorum immortalium; festi, ac solennes sunt aduentu meo, redituq; celebrati? Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redij, quum senatum egressum uidi, populumq; Romanum uniuersum, quum mihi ipsa Roma propè conuulsa sedibus suis ad complectendum conseruatorem suum procedere uisa est: quæ me ita accepit, ut non modo omnium generum, ætatum, ordinum omnes uiri, ac mulieres omnis fortunæ, ac loci, sed etiam mœnia ipsa uiderentur, & tecta urbis, ac templa lætari. EGN. *Iam nos etiam lætari possumus, quum uideamus uerum fuisse, quod tu nunc ex Plutarcho uertisti, & ipse sic in oratione post reditum in senatu dixit: Italia cuncta me penè suis humeris reportauit.* COR. *Videte tamen, ne, quum domum nondum uenerit, laudes ante uictoriam, quod aiunt, celebretis: quanquàm iam nunc ueniet, ut sic ad Atticum scribens, ostendit: Ad urbem ita ueni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obuiam non uenerit, præter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dißimulare, aut negare. Quum uenissem ad portam Capenam, gradus templorum ab*

infima plebe completi erant, à qua plausu maximo quum esset mihi gratulatio significata, similis & frequentia, & plausus me usque ad Capitolium celebrauit. In foro, & in ipso Capitolio miranda multitudo fuit: & in oratione pro Sestio: Ad urbem accessus incredibili hominum multitudine, & gratulatione florebat: iter à porta, in Capitolium ascensus, domum reditus erat eiusmodi, ut summa in lætitia illud dolerem, ciuitatem tam gratam tam miseram, atque oppressam fuisse. Item in oratione pro domo: Ille unus dies, quo me populus Romanus à porta in Capitolium, atque inde domum sua celebritate, lætitiaq; comitatum honestauit, tantæ mihi iucunditati fuit, ut tua mihi conscelerata illa uis non modo non propulsanda, sed etiam emenda fuisse uideatur. Hinc in oratione pro Sestio, ubi rem totam plenius explicat, ait: hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut uerear, ne quis in studio gloriæ putet icciréo exisse, ut ita redirem. EGN. *Iam tandem nobis licet gratulari.* COR. *Licet etiam, si placet, numos spargere.* EGNAT. *Cur ipsi numos spargamus?* COR. *Vt gratulationem, lætitiamq; maiorem significetis.* EGN. *Sparge tu, qui, Cicerone reuocato, triumphas, & Quæstor es ita, ut spargere numos etiam multos possis.* COR. *Ego uero uirum talem, & tantum commendari, laudari, & plane coli triumpho, & gaudeo, & ob id multos numos iam sparsi.* EGN. *Nullos ipsi uidimus.* COR. *Vt arbitror, audisti: Pierius certe uidit, & tu fortasse uideres, si talenta sparsissem.* EGN. *Ne sum quidem, quod ridere soletis, odoratus.* PIE. *Noli Corrade mirari: sic eos proiecisti, uix ut ego, qui tibi Lynceus esse uideor, illos uidere potuerim. Alios enim sic in cœnum quasi demersisti, ut nullo modo uideri possent: alios sic in unum locum coniecisti, ut, plurimi quum essent, paucissimi tamen esse uiderentur.*

COR. *Hosce qui colligent, separabunt: & illos tum sol ostendet, quum cœnum, quo premuntur, exiccarit.* EGN. *Aegyptij sunt artifices machinarum.* COR. *Pierius habet. Is enim superioribus annis, ut ad me scripsit, in Aegypto peregrinatus est.* PIE. *Vos igitur Phœnicem pingite: quanquàm Aegyptiorum regiones animo lustraui, non ego quidem, ut obscure, quemadmodum uos insimulatis, ipse loquerer, sed ut illorum literas, quæ sunt obscurißimæ, quàm planißime fieri posset, explicarem.* COR. *Tu quoque iam nunc, ut Cicero, domum redijsti.* PIE. *Ego quidem domum redij, sed de Cicerone uereor, ne formicam, & pennam uerspertilionis pingere poßimus: quòd eam domum non potuerit ingredi, quæ prius à Clodio fuisset euersa.* COR. *Ingressus est eam, in qua tunc uxor habitabat: quæ, nisi fallor, Quinti fratris erat, quicum postea se domo pulsum questus est: quamuis alias etiam domos habuisse uideatur. Postridie igitur in senatu, qui fuit dies* Non. *Sept. senatui gratias egit, ut in epistolis ad Atticum refert, in oratione uero in Pisonem sic idem loquitur:* Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Consules, Prætores collocauerunt, mihiq; quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum censuerunt: *Ea de re sic ad Atticum scribit:* secuta est summa contentio de domo: diximus apud Pontifices Prid. Cal. Octob. acta res est accurate à nobis: & si unquàm in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si nunquàm alias fuimus, tum profectò doloris magnitudo uim quandam nobis dicendi dedit. Cal. Octob. nihil est actum: postridie factum est S. C. quod ad te misi. Deinde Consules porticum Catuli restituendam locarunt. Illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentißimis omnibus. Nobis superficiem ædium Consules de consilij sententia

æstimauerunt H S. *uicies, cætera ualde illiberaliter, Tuscu-lanam uillam quingentis millibus, Formianum* H S. *ducentis quinquaginta millibus: quæ æstimatio non modo uehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur.* Hoc S. C. *quod factum est post Ciceronis reditum, quodque Consules ipsi secuti sunt; Plutarchus etiam sequi debuit, non illud, quod ante Ciceronis reditum factum quidem, sed rescissum tamen ui detur.* Et sanè Cicero prius, quàm S. C. *illud fieret, sic ad Terentiam scripsit:* Quod de domo scribis, *hoc est de area, ego uero tum denique mihi uidebor restitutus, si illa nobis fue rit restituta:* & ad Atticum: De domo, & Curionis oratione, *ut scribis, ita est: in uniuersa salute, si ea modo nobis resti-tuetur, inerunt omnia, ex quibus nihil malo, quàm domum.* Vnde uidetur senatus eodem tempore de reditu, & de domo S. C. *fecisse, præsertim quum statim reuersus sic ad Atticum scripserit:* Nos tacemus, & *eo magis, quòd de domo nostra nihil adhuc Pontifices responderunt: qui si sustulerint religio-nem, aream præclaram habebimus. superficiem* Consules ex S. C. *æstimabunt: sin aliter, demolientur, suo nomine loca-bunt, rem totam æstimabunt.* EGN. *Si prius* S. C. *factum fuerat, tu male Plutarchum reprehendisti: si post, nondum* Consules *ex eo poterant æstimare.* COR. Quod Cicero *dixit: superficiem* Consules *ex* S. C. *æstimabunt, ita possu-mus interpretari: superficiem* Consules *ex* S. C. *quod, subla ta religione, fiet, æstimabunt. & ita, si nondum factum* S. C. *fuerat, Plutarchus reprehendi potest: sin factum fuerat, & postea inductum, ne defendi quidem potest: sed si factum fuerat, habebat eam conditionem: ut, si Pontifices religio-nem sustulissent, Consules æstimarent: & ita uel nondum* S. C. *factum fuerat, uel si factum fuerat, senatus in eo nondum prorsus decreuerat, ut, quod Plutarchus ait, domus ac uilla*

Ciceroni restituerentur. Quòd si decreuisset, opus postea Ciceroni non fuisset tam multis iudicijs res suas repetere, quàm multa in orationibus pro domo, & de responsis ostendit: quæ nos idcirco non referimus, quia duabus orationibus, quas ante nominauimus, omnia, quæ de domo referri possent, explicantur. PIE. Hæc Plutarchus etiam uidere potuisset. COR. Potuisset ille quidem, si uoluisset omnia diligenter scrutari, & illud etiam quærere, cur ad Lentulum Cicero scripserit ita: Primis temporibus illis multis rebus meus offendebatur animus, quum, te agente de reliqua nostra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam. Nã neque de monimentis meis ab ijs adiutus es, à quibus debuisti: neque de ui nefaria, qua cum fratre eram domo expulsus, neque hercule in ijs ipsis rebus, quæ quanquàm erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ, tamen à me minimi putabantur, in meis damnis ex autoritate senatus resarciendis eam uoluntatem, quam expectaram, præstiterunt. EGN. Tu, qui res hasce scrutaris, quære. COR. Si quæram, in epistolis ad Atticum, quod respondeat, inueniam: ijdem mi T. Pomponi, ijdem, inquam, illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, ut spero, iam renascuntur. Item, In re familiari ualde sumus, ut scis, perturbati. Possumus & illud addere, quod in oratione pro domo scribitur, primis post reditum diebus in Ciceronis sententiam S. C. factum fuisse, ut Pompeius rei frumentariæ per quinquennium præficeretur: unde Pompeius legatos quindecim quum postularet, Ciceronem principem nominauit, & eum ad omnia alterum se fore dixit. Cicero uero passus est ita se legari, ut nulla re impediretur, quin si uellet, esset integrum: quòd esse in oculis ciuium de se optime meritorum, non alienum putaret. Itaque tunc non exuit, neque po

ftea, quum poftea rurfus ab eodem legatus fuiffet, ut in epifto lis ad Atticum docet. Hæc Plutarchus quærere debuerat, & illud tacere: Craffus, qui Ciceronis inimicus ante exilium fue rat, ei reuertenti prompto animo proceßit obuiam, & recon ciliatus eft: ut, quod dicebat, Publio filio gratificaretur, qui Ciceronem conabatur imitari. EGN. Cur tacere debue= rat? ÇOR. Quia nec obuiam prompto animo proceßit, fi modo proceßit; nec ei tunc eft reconciliatus: quum poftea Domitio, & Appio Confulibus fit reconciliatus, ut ad Len= tulum Cicero fcribens oftendit. Quod fi tanto poft eft recon= ciliatus, non potuit obuiam prompto animo procedere, ut pro ceßiffe concedamus. Afcribit etiam Plutarchus, ne fingula uerba uertamus, Ciceronem paulo poft reditum, quum P. Clo dius abeffet, in Capitolium afcendiffe, & tabulas, in quibus acta Tribunatus illius continebantur, difcidiffe: &, quum po ftea Clodius id quereretur, & contrà Cicero contenderet, eum contra leges ad plebem tranfiffe, & nihil, quod egiffet, ratum effe debere, Catonem id ægre tuliffe, & contradixiffe, non quòd ille Clodium laudaret, fed quòd uiolentum putaret effe, fi fenatus decerneret, tot decreta, tot res geftas, in qui= bus effent illæ, quas ipfe in Cypro, & Byzantij gefferat, effe tollendas; & ob id inter eos nefcioquid offenfionis occultæ na tum fuiffe. Eam Dion auget, & στήλας, non δέλτους, quas Cicero deiecit, appellat, fed cætera confentit. EG. Ego non credo te, qui ferè femper diffentis, nunc tandem confen= tire. COR. Ego quoque cætera confentio, fed illud non uideo qui poßim, aut debeam confentire: Ciceronem, cui ni= hi unquàm, quod uiolentum effet, placuit, tunc ita uiolentum fuiffe, ut fine fenatus autoritate tabulas, aut columnas publi= cas deijceret. Ille uero non uiolentia, fed legibus utebatur; & illo ipfo tempore fic in oratione pro domo fcripfit: Dixi a=

pud Pontifices istam adoptionem nullo decreto huius collegij probatam, contra omne Pontificium ius factam pro nihilo esse habendam: qua sublata intelligis totum Tribunatum *tuum concidisse. Item,* Iam *intelligis omni genere iuris, quod in sacris, quod in auspicijs, quod in legibus sit, te* Tribunum *plebis non fuisse. atque ego hoc totum non sine causa relinquo.* Video *enim quosdam clarißimos uiros, principes ciuitatis, aliquot locis iudicasse, te cum plebe iure agere potuisse: qui etiam de me ipso, quum tua rogatione funere elatam* Remp. *esse dicerent, tamen id funus, & si miserum, atque acerbum fuisset, iure indictum esse dicebant. quòd de me ciue, ac de* Rep. *bene merito tulisses, funestum funus te indixisse* Reip. *quòd saluis auspicijs tulisses, iure egisse dicebant.* Quare *licebit, ut opinor, nobis eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus constitutum* Tribunatum *tuum comprobauerunt. In his autem uerbis* Catonem*, & illos significat, quos in epistolis ad* Lentulum *nutu, significationeq; frequenter appellat.* Quòd *si tale quid* Cicero *fecisset, tunc, ut opinor, ad* Atticum *scripsisset, ut illud scripsit.* Armatis *hominibus ante diem* III. Non. Nouemb. *expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus* Catuli*, quæ ex* S. C. Consulum *locatione reficiebatur, & ad tectum penè peruenerat.* Quinti *fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata, iussu* Clodij*, inspectante urbe, coniectis ignibus, magna querela, & gemitu non dicam bonorum, qui nescio an ulli sint, sed planè hominum omnium, & paulo post:* Ante *diem* III. Id. Nouemb. *quum sacra uia descenderem,* Clodius *insecutus est me cum suis: clamor, lapides, fustes, gladij, hæc omnia improuisa. discessimus in uestibulum* M. Tetij Damionis. *qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt: ipse occidi potuit: sed ego diæta curari incipio, chirurgiæ tædet.*

Hinc in oratione pro Milone postea dixit: Nuper quidem, ut scitis, ad Regiam me penè confecit: quod Asconius inuenire non potuit. Illud etiam scripsit ad Atticum; Publium reum, nisi ante occisus erit à Milone, fore puto. Si se inter uiam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone uideo: & ad Lentulum: Quòd mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de leuitate, & imbecillitate Clodij gratularis, minime miramur, te tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari. Atque hæc quidem penè omnia, & alia fortasse, quæ nos non recordamur, acta sunt P. Lentulo, & Q. Metello Consulibus. EGN. Non recordaris, de reducendo Rege Ptolemæo tunc actum fuisse? COR. Ego uero recordor, ea de re tunc agi cœptum fuisse, sed scio quoque, quod omnes sciunt, eam ad Ciceronis uitam uel nihil, uel parum pertinere. Si quid est tamen, quod pertinere uideatur, deinceps referetur, præsertim quum Cn. Marcellino, & L. Philippo Consulibus actum de Rege potissimum uideamus: quod in epistolis ad Lentulum, & ad Q. fratrem sæpe dicitur; ne, quæ Strabo, Plutarchus, Dion, & alij dicunt, referamus. EG. Eam rem negas ad Ciceronis uitam multum pertinere, quæ uel in primis eum uirum bonum, certe gratum fuisse demonstret? Nam sic in ea re P. Lentuli causa laborauit, ut, quum Lentulus, nisi perfecta re de illo, non conquiesset, ipse, quia idem in eius causa non efficiebat, uitam sibi esse acerbam putaret. COR. Ille quidem, quum Pompeium sua sententia rei frumentariæ præfecisset, operam dedit, ut P. Lentulus Ptolemæum Regem, qui pulsus fuerat, in regnum reduceret: & C. Catoni Tribuno plebis, qui legem de imperio Lentuli abrogando promulgarat, restitit: & omnibus in rebus erga Lentulum gratus fuit: sed non puto mihi faciendum, ut omnes, erga quos gratus fuit, & res omneis, in quibus gratus fuit, exquiram.

exquiram. Satis est dicere, Ciceronem erga omnes, à quibus accepisset beneficia, gratissimum fuisse: quod quum alia scripta, tum orationes ostendunt. Sed de Cicerone *potius ipso loquamur: qui* Prid. Non. April. *ut ad* Quintum *fratrem scripsit,* Tulliam Crassipedi *despondit: quum* Pisoni *priori genero fructum pietatis suæ neque ex* Cicerone*, neque à populo* Romano *ferre licuisset, ut in* Bruto *nos ostendimus.* Hinc ad Lentulum *scripsit: Quòd mihi de filia, & Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam, speroq́; & opto nobis hanc coniunctionem uoluptati fore.* Illud *etiam scripsit:* Marcellino, & Philippo *Consulibus* Non. April. *mihi est senatus assensus, ut de agro* Campano *frequenti senatu* Idibus Maijs *referretur.* Non *potui magis in arcem illius causæ inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, & meminisse actionũ.* Quid *multa?* Cicero *tunc, ut ante,* Remp. *libere defendebat: sed, quum* Pompeium, Cæsarem, & Crassum *offenderet: nec optimates, ut in epistolis ad* Lentulum *uidere licet, gratos esse uideret, sententiam mutauit.* Hinc ad Atticum *scripsit ita: si quibus sententijs dixi, quod & ipsi probarent, lætati sunt tamen, me contra* Pompeij *uoluntatem dixisse. sed quoniam, qui nihil possunt, ij me nolunt amare, demus operam, ut ab ijs, qui possunt, diligamur.* Dices*, uellem iampridem. scio te uoluisse, & me asinum germanum fuisse.* Iam *tempus est, me ipsum à me amari, quando ab illis nullo modo possum.* His *etiam temporibus* Cicero Lucretij *poemata uidetur emendasse, quod in epistolis ad* Quintum *fratrem ipse significat, &* Eusebius *affirmat.* Dicerem*, quos etiam defendisset, nisi de libris, & orationibus alibi dicere constituissem: præsertim quum uerear, ne* Plutarchum*, quem ducem delegi, uidear omnino reliquisse.* EGN. *Id sæpe facis.* COR. *Ipse quoque summos duces deseruit.* EGNAT. *Quos duces?*

COR. Cn. Pompeium, M. Crassum, L. Domitium, Ap. Claudium, Cn. Domitium, M. Messalam: qui deinceps Consules fuerunt: quod tempus ita Plutarchus tacuit, ut interea Cicero dormisse uideatur. EGN. Nihil fortasse fuit dignum, quod referret. COR. Ipse tunc, quum libri, qui nunc desiderantur, extarent, melius, quàm nos scire potuit: quanquàm referre saltem potuit, quonam modo L. Pisonem, & A. Gabinium sit insectatus, & quos etiam libros scripserit. EGN. Sed hæc ad orationes, & libros pertinent: quæ ne tu quidem referenda putas. COR. Quòd in aliud tempus, aut locum reseruem, sed ille nihil quum reseruaret, eò statim transiuit: Milo Clodium post hæc interfecit. Quam quidem rem nos, ne tam multa, quæ Plutarchus scribit, uersamus, nostris, uel aliorum uerbis explicabimus: & , si quid erit, quod pugnare uideatur, conferemus. Milo igitur ad III. Cal. Feb. Lanuuium; ex quo erat municipio, & ibi tum Dictator, profectus est ad Flaminem prodendum postera die. occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bouillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonæ Deæ sacellum est, & interfectus est, ut Cicero, Liuius, Asconius, Paterculus, Dion, Appianus, & alij referunt. Sed quum Milo Romam redijsset, & nihilo secius Consulatum peteret, senatus ueritus, ne tumultus aliquid excitaretur, decreuit, ut Interrex, & Tribuni plebis, & Cn. Pompeius, qui Proconsul ad urbem erat, uiderent, ne quid detrimenti Resp. caperet: deinde facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompeius ab Interrege Ser. Sulpicio V. Cal. Mart. mense intercalario Consul creatus est. Pompeius igitur Consul tertium de P. Clodij cæde nouam quæstionem constituit, eiq; L. Domitium præesse maxime uoluit: sed exercitum in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum sunt, collocauit. PIE. Eares

ita Ciceronem terruit, ut nihil eorum, quæ pro Milone meditatus fuerat, dicere potuerit. COR. Ita Plutarchus, & Dion credunt. PIE. Tu uero quid credis? COR. Quod uerum est, & ita scribit Asconius: Cicero quum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum: qui se continere ne metu quidem circunstantium militum potuerunt. Itaque non ea, qua solitus erat constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta eius oratio. scripsit uero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit. Ex his enim uerbis intelligimus, eum non armis Pompeij territum tacuisse, sed acclamatione Clodianorum paulum commotum minus constãter, quàm solebat, dixisse: & orationem certe, quam dixit, exceptam fuisse; tantum abest, ut isti uerum scribant, eum nihil eorum, quæ meditatus fuerat, dicere potuisse. Quin ipse mihi Cicero uidetur in oratione sic uere scripsisse: Illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed præsidium denunciant: neque solum, ut quieto, sed etiam, ut magno animo simus, hortantur: neque auxilium modo defensioni meæ, uerumetiam silentium pollicentur. Nam postea sic ad Appium scripsit: Qua Pompeius facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me illius inuidia temporis attingeret, quum me consilio, quum autoritate, quum armis denique texit suis? Hinc Cornelius Balbus ad ipsum postea scripsit hoc modo: Hac re mihi placet, si tibi uidetur, te ad eum scribere, & ab eo præsidium petere, ut petisti à Pompeio, me quidẽ approbante, tẽporibus Milonianis. Quòd si præsidiũ causa Ciceronis, ut ostendimus, potißimum paratum fuerat, ridiculum uidetur, quod Plutarchus affirmat: Milonem ueritum, ne Cicero re insolita perturbatus, minus acriter oraret, ei persuasisse, ut lectica in forum delatus, quiesceret, donec

iudices conuenissent. EGN. *At Suetonius, & alij illa arma Miloni opposita fuisse testantur.* COR. *Quia sic omnes crediderunt, & Cicero simulauit, ut Pompeium suspicione liberaret. Lucanus certe locutus est ita, ut utrouis modo possis interpretari: Pompeiana reum clauserunt signa Milonem. Sed hoc ut concedamus, uel certe mittamus, licet, illud, quod Plutarchus de lectica scribit, rideamus. Nam præterquam quòd fabulam refert, parum prudenter scriptum uidetur. Si quis enim iam constitutus in foro uideat armatos, multo facilius perturbari potest, quàm si per armatos progressus, eò, quasi assuefactus, deducatur. Sed Plutarchus id finxit, ut ita posset exclamare: Cicero non in armis modo, sed in dicendo etiam timidus erat.* EGN. *Recte Plutarchus exclamat. Omnes enim fatentur, Ciceronem timidum fuisse.* COR. *Fueritne Cicero timidus in armis, posterius uidero: quòd uero timide semper ad dicendum accederet, ita Plutarchus ostendit: Vix se poterat continere, quin titubaret, & tremeret, quamuis oratio iam summum incrementum, & statum multis ex causis esset consecuta. Quum Licinium Muræ nam, quem Cato tunc accusabat, defenderet, & Hortensium, qui feliciter perorauerat, superare contenderet, nullam partem noctis quieuit, ut ab attentissimis cogitationibus, & uigilijs uexatus, ne inferior illi uideretur.* EGN. *Hoc ipsum ne Cicero quidem negauit.* COR. *Imo uero sic in oratione pro Deiotaro dixit: Quum in omnibus causis grauioribus C. Cæsar initio dicendi commoueri soleam uehementius, quàm uidetur uel usus, uel ætas mea postulare: tum in hac causa me multa perturbant. Neque potest aliquis hoc ipsum reprehendere: quum L. Crassus in libris oratorijs, timide ad dicendum esse accedendum præcipiat, & ita dicat: Equidem & in uobis animaduertere soleo, & in me ipso sæpissime ex-*

perior, ut exalbescam in principijs dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremiscam: multo minus illud, quod de cogitationibus, & uigilijs refert: quum studium gloriæ commendari debeat, & ipse Cicero Ser. Galbam, qui fecit idem, quum Lælio successurus esset, imitatus esse uideatur. EGN. *Nec Plutarchus hæc ipsa reprehendit.* COR. *Nec laudat, qui, quod dicit, ut reprehendat, dicit: & hominem sic timidum describit, ut, si quid addat, eò referat, uel id faciat, ut emendet, & aculeo dimisso, si poßit, discedat.* EGN. *Si Ciceronem uoluisset hoc loco reprehendere, dixisset, quod olim multi dixerunt: cædem Clodij manu Milonis, consilio uero maioris alicuius factam fuisse.* COR. *Audisset etiam, quod Cicero M. Antonio respondit: P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti: quidnam homines putarent, si tum occisus esset, quum tu illum in foro, spectante populo Romano, gladio stricto insecutus es? negotiumq; transegisses, nisi ille se sub scalas tabernæ librariæ coniecisset, hisque oppilatis impetum tuum compreßisset? sed quid? ego fauisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne fauere quidem potui: prius enim rem transegit, quàm quispiam tum suspicaretur eum facturum esse. at ego suasi. scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse Reip. sine suasore non posset. at lætatus sum. quid ergo? in tanta lætitia cunctæ ciuitatis me unum tristem esse oportebat? quanquàm de morte P. Clodij fuit quæstio non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attinebat noua lege quæri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quæstio constituta? quæsitum est tamen. quid ergo? quum res agebatur, nemo in me dixit, & tot annis post tu es inuentus, qui diceres. Sciebat & homo Græcus Græcos homines Deorum honores his uiris tribuisse, qui tyrannos necassent: tantum aberat, ut ipse Ciceronem*

possset reprehendere, quamuis ille Clodium prorsus tyrannum necandum curasset. E G N. *Cur igitur Milo, qui certe ne cauit, est condemnatus?* C O R. *Quia nec iudices erant Græci, nec ipse reorum more iudicum misericordiam uoluit implorare, & Pompeio suspectus erat. Vnde Paterculus ita scripsit: Milonem reum non magis inuidia facti, quàm Pompeij damnauit uoluntas: quem quidem M. Cato palàm lata absoluit sententia: quam si maturius tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum, probarentq; eum ciuem occisum, quo nemo perniciosior Reip. neque bonis inimicior uixerat. Post hoc iudicium Cicero multos, ut Asconius ostendit, in iudicio defendit, & aliquos etiam accusandos curauit, & in his T. Munacium Plancum Bursam: qui quum damnatus fuisset, Cicero ualde lætatus est, ut ad Marium scripsit. Tunc in P. Craßi, qui bello Parthico perierat, locum factus est Augur, ut in Bruto retulimus: quod in Philippicis ita refert: Me Augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt. neque enim licebat à pluribibus nominari. Deinde, quod Plutarchus ait, Ciliciam prouinciam & exercitum, qui duodecim millibus peditum, & duobus millibus equitum, & sexcentis constaret sortitus, nauigauit: cui mandatum est, ut Ariobarzani Regi Cappadociam beneuolam, & obedientem redderet. Hæc ille sine bello sic constituit, & composuit, ut à nemine posset reprehendi. Quum uero Cilices propter Parthicum casum, quo uicti Romani fuerant, & tumultum, qui tunc erat in Syria, concitati fuissent, eos imperando mansuete placauit. Et dona quidem nec ea, quæ Reges darent, accepit, & cœnis homines prouinciæ liberauit: sed ipse quotidie gratos homines conuiuio non opipare, sed liberaliter accipiebat. Domus ianitorem non habebat: nec ipse cubans ab ullo fuit unquàm uisus: sed mane stans, uel ambulans*

ante cubiculum, dextra, qui salutatum ueniebant, excipiebat. Dicitur autem neque uirgis quenquam cecidisse, neque uestem cuiquam discidisse, neque conuitium propter iram fecisse, neque multam cum contumelijs irrogasse. Quum uero multa de publico furtim surrepta reperisset, & urbes locupletauit, & eos, qui nihil soluerent, & illo plus acciperent, sine infamia conseruauit. Attigit & bellum, & latrones in Amano commorantes sustulit: propter quod imperator à militibus est appellatus. EGN. *Si quid ante Plutarchus, ut sæpe questus es, detraxit, id hoc elogio quasi plena manu reddidit ita, ut amplius queri non possis, eum, quum de Ciceronis laude scriberet, parcum fuisse.* COR. *Gratias agit, & rem, quæ fuerit omnium iudicio, & testimonio probata, refert, & tamen eam parcius multo, quàm fuit æquum, describit. Nam res à Cicerone tunc in Cilicia gestas, quæ uel longo commentario fuerant explicandæ, paucis uersibus ipse complectitur: nec homo Græcus potuit eum non laudare, & hoc loco ei quasi gratias agere, qui de Græcis eo tempore meritus est ita, ut illi, quod in epistolis ad Atticum scribitur, exultarent. Tacere uero prorsus, uel etiam uituperare qui potuisset ea, quæ sciebat omnium penè testimonio fuisse comprobata? Sed agite, si placet, quæ Plutarchus hoc loco refert, consideremus, ut uera, quæ nos dicimus, esse cognoscamus. Prouincias igitur* Cicero *quum semper antea neglexisset, post exilium expetiuit, ut ad M. Catonem sic scribens, ostendit: Post iniuriam acceptam, quam tu Reip. calamitatem semper appellas, meam non modo non calamitatem, sed etiam gloriam, studui quàm ornatißima senatus populi Romani de me iudicia intercedere. Itaque & Augur postea fieri uolui, quod antea neglexeram: & eum honorem, qui à senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendum puto:*

quamuis ad Appium, cui succedebat, paulo aliter scripserit, ut eum prouinciæ cupidum minus offenderet. Ser. Sulpicio, & M. Marcello Consulibus circiter Cal. Maias ex urbe paludatus exiuit, & in prouinciam Laodiceam Prid. Cal. Sext. peruenit, ut libro quinto ad Atticum uidere possumus, ubi non iter modo totum, sed res omnes etiam, quas gessit, describit. Atque ut reliqua mittamus, in prouinciam quum iam peruenisset, ita scripsit: leuantur miseræ ciuitates, quòd nullus fit sumptus in nos, neque in legatos, neque in Quæstorem, neque in quenquam. Scito non modo nos fœnum, aut quod legē Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec, præter quatuor lectos, & tectum, quenquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidē, & in tabernaculo manere plerunque. De exercitu uero sic ait: Quum exercitum noster amicus habeat tantum, me nomen habere duarum legionum? Idem sæpe queritur: sed auxit ipse postea: unde sic ad Catonem scripsit: Ego in castra ad VII. Cal. Sept. ueni, quum interea superioribus diebus ex S. C. & euocatorum firmam manum, & equitatum sanè idoneum, & populorum liberorum, Regumq;, & sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. Item, quod ad Ariobarzanem pertinet, sic addit: Quum ad Cybistra propter rationē belli quinque dies essem commoratus, Regem Ariobarzanem, cuius salutem à senatu, te autore, commendatam habebam, præsentibus insidijs nec opinantem liberaui: neque solum ei saluti fui, sed etiam curaui, ut cum autoritate regnaret. Sed eam Cicero historiam scribens ad senatum multis uerbis explicauit. Casum Parthicum, quo Romani sunt à Parthis uicti, Liuius libro centesimo sexto, Plutarchus in Crasso, Dion, & alij descripserunt. In Syria uero tumultus erat, quia Pacorus Orodis Regis Parthorum filius Euphratem cum permagno equitatu Parthico transisse dice-

batur. Hinc Cicero *ad senatum scripsit: his rebus allatis, & si intelligebam socios infirme animatos esse, & nouarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iam accesseram, quique nostram consuetudinem, integritatemq; perspexerant, amiciores populo* Romano *esse factos*: Ciliciam *autem firmiorem fore, si æquitatis nostræ particeps facta esset.* Nam *mihi, ut ad* Catonem *scripsit, ut in huiusmodi re, tantoq; bello maximæ curæ est, ut, quæ copijs, & opibus tenere uix possumus, ea mansuetudine, & continentia nostra, sociorum fidelitate teneamus.* PIE. *Hæc omnia, quæ refers, pulchre* Plutarchi *uerbis respondent.* COR. *Illud etiam, quod ad* Atticum *scribit, respondet: me* ἀδωροδόκητον *præbui.* Illud *item, quod non modo cœnas, ut* Plutarchus *ait, sed honores etiam, præterquam uerborum, statuas, fana, &* τέθριππα *prohibuit: ac numum nullum erogari nec priuatim, nec publice passus est usque adeo, ut ne prætorium quidem uectigal acceperit.* Quod *uero conuiuio gratos homines acciperet, illud ostendit, quod ad* Atticum *scribit:* Publicanis *res est gratissima, si illa iam habent pleno modio, uerborum honorem, inuitationem crebram: his illa coniungamus:* Aditus *ad me minime prouinciales: nihil per cubicularium: ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus: grata hæc, & magna, mihiq; nondum laboriosa ex illa uetere militia.* Et *sane* Ciceronem *facilem fuisse* Cæsar *olim testatus est, quum dixit, quod libro decimo quarto ad* Atticum *refertur:* Ego *dubitem, quin summo in odio sim, quum* M. Cicero *sedeat, nec suo commodo me conuenire possit? atqui, si quisquam est facilis, hic est.* Iam, *quod apud* Plutarchum *sequitur, sic ex libro quinto, & sexto ad* Atticum, *conferamus:* Quacunque *iter feci, nulla ui, nullo iudicio, nulla contumelia, autoritate, & cohortatione perfeci, ut &* Græci,

& ciues Romani, *qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur*. Item, *Dißimilitudo meæ rationis offendit* Appium. *quid enim potest esse tam dißimile, quàm illo imperante exhaustam esse sumptibus, & iacturis prouinciam, nobis eam obtinentibus, numum nullum esse erogatum nec priuatim, nec publice? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumelijs?* Nunc *autem domus mehercule nulla tanto consilio, aut tanta disciplina gubernatur, aut tam modesta est, quàm nostra tota prouincia*. Et, quod Plutarchus addit, *illud comprehendit: Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta* Græcorum, *quæ magistratus sui fecerant. quæsiui ipse de ijs, qui annis decem proximis magistratum gesserant. aperte fatebantur*. Itaque *sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt*. Populi *autem nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reddiderunt*. Hinc *ad Cælium scripsit*: Mihi *erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletaram, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram, priuatis, summis, infimis fueram iucundus, proficisci*. PIER. Iam *Corrade tecum sentio*, Plutarchum, *quum res hasce debuisset latius explicare, parcum fuisse*. COR. In *referendo bello, quod in* Cilicia Cicero *geßit, auarus etiam, sic dicam, fuit: quòd fortasse uereretur: ne, si quem paulo ante timidum uocarat, hic uirum fortem describeret, secum pugnare uideretur*. Neque *enim bellum illud potuisset referre, nisi* Ciceronem, *qui geßit illud, & uicit, uirum fortem describeret*. EGN. *Quasi uero non potuerit* Homerus *pugnam ranarum, et murium referre, nisi* Physignathum *commendaret*. COR. Imo *uero poetæ ueteres bellum giganteum canere non poterant, quin* Iouem *uictorem*

celebrarent. EGN. *Sanè uero tui gigantes Amanum, & alios fortasse montes occuparant.* COR. *Sed pater extru ctos desiecit fulmine montes: Nam sic ad Cælium scripsit: Interea cum meis copijs omnibus uexaui Amanienses hostes sempiternos. multi occisi, capti: reliqui dißipati. castella munita, improuiso aduentu capta, & incensa. Ita uictoria iusta Imperator appellatus apud Issum: quo in loco sæpe, ut ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatum. Abduxi exercitum ad infestißimam Ciliciæ partem. Ibi quintum, & uigesimum iam diem aggeribus, uineis, turribus oppugnabam oppidum munitißimum Pindenissum, tantis operibus, tantoq; negotio, ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. Quod si, ut spero, cepero, tum uero literas publice mittam. Cepit uero Saturnalibus mane, ut pluribus uerbis, ad Catonem, & ad Atticum scribens, explicauit. Hæc Romam quum scripsisset, ei M. Cato, qui supplicationem non decreuit, integritatis, iustitiæ, clementiæ, fidei, sed senatus, qui supplicationem decreuit, etiam fortitudinis testimonium dedit. His porrò testimonijs, quæ M. Cato uir plane diuinus, & senatus, qui solet orbis terrarum sanctißimum, grauißimumq; consilium uocari, dedit, credendum putamus, non his, quæ dicunt homines Græci, qui testimoniorum religionem, & fidem nunquàm coluerunt.* EGN. *De Pisandro nobis imprudentibus Achillem fecit.* COR. *Nos Dij non sumus, qui sic homines mutare poßimus: nec oratores hoc loco uolumus esse, nec, quod, præter alia, Consulatus, & hoc ipsum bellum demonstrant, probare Ciceronem uirum fortißimum fuisse; præsertim quum speremus, fore, ut alibi de Ciceronis fortitudine plura dicamus. Nunc ante, quàm Plutarchi uerba repetamus, omnes, qui Ciceronem secuti sunt, & à nobis inueniri potuerunt, numerentur: Q. Tullius*

Cicero frater, C. Pontinus, M. Annius, L. Tullius legati: L. Mescinius Quæstor, cui postea C. Cælius successit: Q. Fuffidius Tribunus mil. Antonius præfectus euocatorum: Q. Lepta præfectus fabrûm: M. Tullius scriba: Pausanias accensus: M. Marcilius apparitor. Sed iam Plutarchus appellat. Quum Cælius, inquit, orator eum rogasset, ut ex Cilicia Romam Pantheras ad quoddam spectaculum sibi mitteret: ille rebus gestis glorians, rescripsit, Pantheras in Cilicia non esse, sed in Cariam fugisse, dolentes, se solas bello, quum reliqua omnia essent in pace, uexari. Ille uero Græcule rebus gestis non est gloriatus, sed cum Cælio familiari familiariter iocatus: nec Pantheras fugisse, sed decedere constituisse rescripsit. Verba Ciceronis audite: De Pantheris per eos, qui uenari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: & eas, quæ sunt, ualde aiunt queri, quòd nihil cuiquam insidiarum in mea prouincia, nisi sibi, fiat. Itaque constituisse dicuntur in Cariam ex nostra prouincia decedere. Quæ quidem uerba sic ad Atticum scribens, interpretari uidetur: ad Cælium rescripsi, alienum esse existimatione mea, Cibyratas imperio meo publice uenari. EGN. In alijs epistolis, quæ desiderentur, aliter fortasse rescripsit. COR. In re, de qua nihil certi possimus afferre, non contendam: quamuis omnes epistolæ, quas Cælius Aedilis designatus, & Cicero Proconsul de rebus huiuscemodi scripserunt, extare uideantur: in quibus etiam de Tulliæ, & Dolabellæ matrimonio scribitur, de quo nos infra pauca dicemus. Sed à Plutarcho ne discendamus: Nauigans, ex prouincia, Rhodum quidem accessit, sed Athenis ueterum consuetudinum desiderio libenter est commoratus. Cum uiris autem primas in eruditione tenentibus congressus, amicosq;, & familiares, qui tunc erant complexus, & admirabiliter à Græcia ipse acceptus, ad ur-

bem, rebus iam uelut ex inflammatione quadam ad ciuile bellum erumpentibus, est reuersus. Ipse Cicero sic in Bruto scribit: Quum e Cilicia decedens, Rhodum uenissem, & eò mihi de Q. Hortensij morte esset allatum, opinione omnium maiorem animo cepi dolorem. Quæ quidem uerba nos quum superioribus annis interpretaremur, ostendimus, ad III. Cal. Sext. de prouincia Ciceronem decessisse, & Rhodum uenisse, ut Cicerones Rhodum uiderent. Quoquo uero modo fecerit iter, Epheso certe Cal. Octob. conscendit, & Prid. Id. Octob. Athenas peruenit, ut libro sexto ad Atticum testatur. Athenis apud Aristonem, uel potius Aristum diuersatus est, ut in Tusculanis quæstionibus ostendit. Inde profectus, iter, quod ad Tironem scripsit, confecit, & Brundusium VII. Cal. Decemb. uenit: ubi Terentia illi obuia in foro fuit. Inde quum in Trebulanum, in Arcanum, in Formianum, Tarracinam, & in Albanum L. Paulo, C. Marcello adhuc Consulibus accessisset: ad urbem tandem Prid. Non. Ian. L. Lentulo, C. Marcello Consulibus peruenit: ut libro septimo ad Atticum multis uerbis ostendit, & sic ad Tironem scripsit: Ego ad urbem accessi Prid. Non. Ian. obuiam mihi sic est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius: sed incidi in ipsam flammam ciuilis discordiæ, uel potius belli. EGN. Recte uideris hæc ipsa contulisse. COR. Ita fortasse putas, quia nihil fuit, in quo Plutarchus tuus reprehendi ualde potuerit: sed nescio, an in his, quæ sequuntur, idem dices: In senatu quum decernerent ei triumphum, dixit: iucundius sibi fore, si Cæsarem triumphantem sequeretur. Priuatim uero consilia dedit, ad Cæsarem quum multa scriberet, & ipsum Pompeium sæpe rogaret, ac utrunque placare, & reconciliare conaretur. Vt autem hæc sanari non potuerunt, &, Cæsare ueniente Pompeius non expectauit, sed cum multis, & bonis uiris urbem

reliquit, ab ea fuga Cicero abhorruit, & cum Cæsare uisus est sentire. Et *sanè suam sententiam ostendit, quum in utranque partem multa contulerit, & disputarit.* In *epistolis enim scribit, se nescire, cum utro sit futurus, quum* Pompeius *quidem gloriosam, & bonam causam ad bellum habeat, sed* Cæsar *rebus melius utatur, & amicis seipsum magis etiam conseruet.* Itaque *se, quem fugiat, habere, sed, ad quem fugiat, non habere.* Quum *uero* Trebatius *quidam ex amicis Cæsaris epistolam scripsisset: Cæsaris esse sententiam, oportere ipsum potissimum secum facere, & spei participem esse: si uero recusaret, in Græciam proficisci, & ibi sedentem, & ab utrisque remotum quiescere,* Cicero *miratus, ipsum Cæsarem non scripsisse, iracunde respondit, se nihil indignum rebus hisce, quas in* Rep. *gesserat, esse facturum: hæc sunt, quæ in epistolis scribuntur.* Quamuis *epistolas Ciceronis multas desiderari sciamus, quia tamen* Plutarchus *præter morem nos ad eas, quasi* Lydos *in campum, prouocat, an eas, quæ nunc inueniuntur, diligenter, & accurate legerit ipse, uideamus.* In *epistolis igitur ad* Tironem *scribitur ita:* Nobis *inter has turbas senatus tamen frequens flagitauit triumphum : sed* Lentulus *Consul, quo maius suum beneficium faceret, simulatq; expedisset, quæ essent necessaria de* Rep. *dixit se relaturum.* Quòd *si senatus flagitauit, non decreuit: ac ne poterat quidem, nisi retulisset aliquis,* ψηφίζεσθαι*: quo uerbo* Plutarchus *est usus.* Sed *tum nemo retulit: ita nec quisquam potuit decernere, nec* Cicero, *quod nemo dabat, recusare.* Quin *ut aliquando tandem triumphare posset, in urbem nunquàm, nisi post uictum* Pompeium, *uoluit introire.* Id *uero si tum demum* Cicero *dixit,* Plutarchus *ea, quæ mox addit, præpostere refert: quanquàm* Cicero *uel nunquàm dixit, uel alio quodam modo dixit.* Nam, *quum ad urbem, non in urbem uenisset, id in senatu di-*

cere non potuit, nisi senatus extra urbem sit factus: ubi quum senatus ei triumphum flagitaret, ita dicere potuit: Ego *uero mallem Cæsarem triumphantem sequi, quàm ipse triumphare, dum concordia constitueretur: uel certe cum amicis ita priuatim locutus est.* Ille *quidem triumphum, quem propter suam* παλλιγγενεσίαν *negligendum non putabat, decretum nunquàm, quod ego sciam, contempsit, contempturus tamen, si* Reip. *prodesse potuisset: neque solum triumphum, sed si quid etiam maius est triumpho, id ille, quo fuit erga* Remp. *studio, contempsisset, ut ad Cælium scribens, ostendit:* Nec *me ista terrent, quæ mihi à te ad timorem fidißime, atque amantißime proponuntur.* Nulla *est enim acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere uideatur: quam quidem à* Rep. *meis priuatis, & domesticis incommodis libentißime uel istis ipsis, quæ tu me mones, ut caueam, redemissem.* Cicero *uero semper autor pacis fuit, & ad eam Cæsarem,* Pompeium, *reliquosque omnes hortatus est, sed nihil quum profecisset, censuit urbem esse retinendam: neque tunc eum* Pompeius *audiuit, sed urbem* XIIII. Cal. Feb. *reliquit.* Tum Cicero Capuam *sumpsit, & nullum maius negotium suscipere noluit, quo plus apud Cæsarem suæ literæ, cohortationesq; ad pacem ualerent: neque tamen unquàm uisus est cum Cæsare sentire, nec suam sententiam ostendit, quamuis in utranque partem multa disputarit: & sic ad* Atticum *scripserit:* Quòd *addis, ne propensior ad turpem causam uidear, certe uideri possum.* Dixit *enim, uideri possum, nòn uideor: & in alijs libris, negatio ponitur.* Vt *tamen concedamus, esse uisum quibusdam cum Cæsare sentire, quæ* Plutarchus *ponit, ea certe, quod proposuit, nō probant, quū disputarit ille, manendúmne sit in patria tyrranide oppressa, an discedendum: &, quum dixit, ego, quem fugiam, habeo, quem sequar,*

non habeo, significarit, se Cæsarem habere, quem fugere deberet, sed non habere uirum dignum, quem sequeretur. Plutarchus igitur, qui literas Latinas senex attigit, neque sententiam, quam diximus, neque, quod Trebatius scripsit, uidetur assecutus. Nam neque Trebatius scripsit, neque Cicero rescripsit, ut Plutarchus est interpretatus. Id ex hisce uerbis quæ sunt libro septimo ad Atticum cognoscimus: Trebatius quidem scripsit: se à Cæsare IX. Cal. Feb. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad urbem: nihil ei me gratius facere posse, & paulo post: Illud admiror, non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Cælium egisse: quanquàm non aspernor Trebatij literas, à quo me unice diligi scio. Rescripsi ad Trebatium (nam ad ipsum Cæsarem, qui mihi nihil scripserat, nolui) quàm illud hoc tempore esset difficile: me tamen in prædijs meis esse, neque delectum ullum, neque negotium suscepisse. EGN. Tum Cicero duabus sellis sedebat. COR. Quòd una uirum tantum, & ἐπισκοπον capere non posset: quanquàm non sedebat ille, qui tunc huc & illuc cursaret, & oram maritimam, cui præerat, ut bonus ἐπισκοπος exploraret. EGN. Ita certe tergiuersatus est, ut ansam multis ad calumniandum dederit. COR. Græculis fortasse: qui nostris hominibus ita sunt iniqui, ut nihil, in quo poßint eos quoquo modo carpere, prætermittant: rursus ita sunt imprudentes, ut non uideant, quo consilio quicque fiat, aut dicatur. Quapropter eos etiam, qui docti uolunt haberi, mirari sæpe soleo, tantum Græcis scriptoribus tribuere, ut non dubitent ea, quæ quum de alijs illi, tum de Cicerone mentiti sunt, uel in conuiuijs disputare. Qua tamen in re uidentur eos imitari, de quibus ad Atticum Cicero scripsit ita: Audio bonis uiris, qui & nunc, & sæpe antea magno præsidio Reip. fuerunt, hanc cunctationem non probari,

bari, multaq; in me, & seuere in conuiuijs tempestiuis quidem disputari. EGN. Quum Ciceronis æquales hanc cunctationem non probarint, & in ipsum Ciceronem multa seuere disputarint, postea miraris, eandem Græcos scriptores non probasse, & hodie doctos homines de ipsa disputare? CO. Ego uero miror, quum posteri uel ex epistolis ea scire potuerint, quæ tunc æquales ignorabant, quum Cicero prudens occultaret. Qui tamen æquales nec in conuiuijs seuere disputare, nec esse uiri boni poterant, quum tam perturbata Rep. conuiuijs operam darent. Itaque Cicero quum bonos appellat, eos uidetur deridere, ut hisce uerbis ostendit: Viris bonis me non nimis excuso. quas eos enim cœnas & facere, & obire scripsit ad me Sextus, quàm lautas, quàm tempestiuas? sed sint quamuis boni, non sunt meliores, quàm nos: mouerent me, si essent fortiores. EGN. Quæ sunt ea, quæ posteri uel ex epistolis scire potuerunt? COR. Ciceronem iam inde à principio constituisse, in bello Pompeium sequi, nec unquàm postea mutasse sententiam: sed quum uideret agi de pace, & professionem talis uoluntatis esse sibi periculosam, cunctatum, & tergiuersatum esse, donec Pompeius ex Italia fugit: tum uero semper de discessu cogitasse, sed occultasse consilium, ne posset uel ab Antonio, uel ab alijs impediri. EGN. Si tu ista probares, nemo posset amplius dicere, Ciceronem tum mobilem, uel mutabilem fuisse. COR. Nos, inquam, uel ex epistolis ea scire possumus. EGN. Quid si suspectæ sint epistolæ? COR. Illæ non possunt esse suspectæ, quas ille tunc ad Atticum scripsit, non ut se defenderet, sed ut illum de suis consilijs admoneret, quicum solebat omnia libere communicare. In illis igitur, quum, rediens ex Cilicia, in Italiam peruenisset, ita scripsit: Quoniam res eò deducta est, non quæram, ut scribis, τὸ σκάφος τῶν ἀτρειδῶν, mihi σκάφος

unum erit, quod à Pompeio gubernabitur. Item, *si bellum geretur, non deero officio, nec dignitati meæ. & alibi: Si erit bellum, ut uideo fore, partes meæ non desiderabuntur.* Quid multa? sexcentis locis idem testatur. EGN. Tecum sentimus iam, Ciceronem iam inde à principio constituisse, in bello Pompeium sequi: sed eum nunquàm postea sententiam mutasse, ueremur, ne tu non poßis probare. COR. Ego uero facile uel duobus uerbis probabo, secutus est. Nam si mutasset sententiam, secutus non fuisset. EGN. Ante quàm tamen sequeretur, eam sæpe mutauit. COR. Et si possum repetere, si sententiam mutasset, secutus non fuisset, ut aliquid tamen concedam, fateor, eum sæpe secum, & cum Attico sic deliberasse, ut sententiam mutasse uideri posset, præsertim quum dicat ita: *De me autem ipso tibi assentior, ne me dem incertæ, & periculosæ fugæ, quum Reip. nihil prosim, nihil Pompeio, pro quo emori quum pie possum, tum libenter. manebo igitur, & si uiuere.* His enim, qui de rebus magnis deliberant, id euenire solet, quod poeta dixit: *Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc: in partesq; rapit uarias, perque omnia uersat.* EGN. Quid opus erat deliberare, si iampridem Pompeium sequi constituerat? CO. Illum Pompeium, qui prius erat, sequi constituerat, sed deliberabat, an eum Pompeium, qui tunc esset, sequeretur. EG. Vel duo Pompeij fuerunt, uel, ut Plautus ait, ille congeminauit. COR. Vnus erat, sed ita mutatus, ut alius esse uideretur. Vnde Cicero sic ad Atticum scripsit: *Quod tu meum laudas, & memorandum dicis, malle quòd dixerim me cum Pompeio uinci, quàm cum istis uincere: ego uero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat, aut qui mihi esse uidebatur: cum hoc autem, qui ante fugit, quàm scit, aut quem fugiat, aut quò, qui nostra tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si*

malui, contigit, uictus sum. Pompeius *enim, qui prius rei militaris peritißimus,* Reip. *studiosißimus, & clementißimus fuerat, tunc* ἀστρατηγικώτατος, ἀπολιτικώτατος, *& crudelißimus factus erat, qualis ab historicis describitur, & in epistolis ad* Atticum *uocatur: ubi sunt illa uerba: Sylla potuit, ego non potero? & paulo post:* Huius belli genus fugi, *& eo magis quòd crudeliora etiam cogitari, & parari uidebam.* Me, *quem nonnulli conseruatorē istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum, & Armeniorum, & Colchorum copias ad eam adducere? me meis ciuibus famem, uastitatem inferre* Italiæ? Fuit *igitur causa deliberationis, præsertim quum mos sit in rebus magnis ita deliberandi.* Potuit *etiam deliberare, ut nonnullis persuaderet, se nondum, utrum sequeretur, constituisse: quamuis ille nunquàm deliberarit, utrum ducem, sed an* Pompeium, *an neutrum sequeretur.* Nam Cæsarem, *quem uidere non poterat, sequi noluisset, sed an aliquò secederet, quemadmodum* Cælius, *& alij sunt hortati, uidetur deliberasse: quum sic ad* Atticum *scribat:* Ego *uero* Solonis *popularis tui, &, ut puto, etiam mei, legem neglıgam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius partis fuisset (nisi tu aliter censes) & hinc abero.* Atque *deliberabat quidem, & cunctabatur, uel se deliberare, & cunctari fingebat ob eas causas, quas diximus, & alias fortasse, quas inuenire non potuimus, sed ob eam tamen potißimum, quam libro septimo sic ad* Atticum *scripsit:* Ego *me ducem in ciuili bello, quoad de pace ageretur, negaui esse, non quin rectum esset, sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit.* Planè *eum, cui noster alterum Consulatum deferret, & triumphum, at quibus uerbis? pro rebus gestis amplißimis, inimicum habere nolueram.* Ego *scio, & quem metuam, & quam ob rem.* Eam *rem pluribus uerbis, ad ipsum* Pompeium *scribens, explica-*

uit: Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus non satisfacere: Primum enim præ me tuli, me nihil malle, quàm pacem, non quin eadem timerem, quæ illi, sed ea bello ciuili leuiora ducebam. Inde suscepto bello, quum pacis conditiones ad te afferri, à teque honorifice, & large responderi uiderem: duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum pro tuo in me beneficio arbitrabar. memineram me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui tum, quum iam in armis essemus, Consulatus tamen alter, & triumphus amplißimus deferebatur, subijcerer eisdem prælijs, ut mea persona semper ad improborum ciuium impetus aliquid uideretur habere populare. Timebat igitur Cicero, ne si Pompeium sequeretur, & illi postea reconciliarentur, Cæsarem talem, qualem prius, experiretur. PIE. Etiam stultus, accepto malo, sapit. COR. At Cicero prudens erat, &, quid Pompeius, & Cæsar irati possent, expertus fuerat: iccirco ut neutrum offenderet, laborare debuit, ut fecit, &, ut arbitror, assecutus est. Nam cum Pompeio præsens ante, quàm ex urbe discenderent, ita uidetur egisse, & ita postea certe per literas, quæ nunc inueniuntur, egit: ut, quamuis tandiu sit cunctatus, sperarit tamen aduentum suum, quoquo tempore fuisset, illi, quod Atticus etiam scripsit, ἀσμένιστον fore, ut postea fuit: quod mirum uideri potest, quum Pompeius, ut Cæsar scribit, ab urbe discedens, dixisset, eodem se habiturum loco, qui remansissent, & qui in castris Cæsaris fuissent. Cum Cæsare uero sic etiam per literas egit: *Me nunc Pompeij dignitas uehementer mouet. Aliquot enim sunt anni, quum uos duos delegi, quos præcipue colerem, & quibus essem, sicut sum, amicißimus. quam ob rem à te peto, uel potius precibus omnibus oro, & obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo*

beneficio bonus uir, gratus, pius denique esse in maximi beneficij memoria poßim. Quæ si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum: sed, ut arbitror, & ad tuam fidem, & ad Remp. *pertinet, me & pacis utriusque uestrum, & ad ciuium concordiam, per te, quàm accommodatißimum conseruari.* Ego, *quum antea tibi de* Lentulo *gratias egissem, quum ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses: tamen eius literis lectis, quas ad me gratißimo animo de tua liberalitate, beneficioq; misit, eandem me salutem à te accepisse putaui, quam ille: in quem si me intelligis esse gratum, cura obsecro, ut etiam in* Pompeium *esse poßim.* Idem credimus *eum postea pluribus uerbis à Cæsare præsentem petisse, & impetrasse.* EGN. *At eo tempore* Cicero *Cæsarem non uidit.* COR. *Ita quidem* Dion *nugatur, sed ipse* Cicero *libro nono ad Atticum testatur, se* Formijs *post* Pompeij *fugam Cæsarianos omnes uidisse, & cum ipso Cæsare locutum fuisse, ac in eo mansisse, ne ad urbem rediret. Tunc, opinor, ab eo, quod cupiebat, impetrauit: quamuis illa uerba ponat:* Extremum *fuit de congressu nostro: quo quidem non dubito, quin istum offenderim. Sed huiusce modi uerba scribi solent, ut res occultentur. certe aliquid impetrauit, ut libro decimo ad Atticum sic ostendit: Cæsar mihi ignoscit per literas, quòd non uenerim, seseq; in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod scribit, secum* Tullium, & Seruium *questos esse, quia non idem sibi, quod mihi, remisisset. Nisi* Cæsar *aliquo modo consensisset, ut ad* Pompeium *proficisceretur, illi postea non ita facile pepercisset. Tunc igitur* Cicero *sic prudenter egit, ut neutrum magnopere, quod in seditione difficillimũ est, offenderit: &, quod à principio cõstituerat,* Pompeiũ *sit secutus: nec sententiam, quod isti calumniari solent, unquàm mutarit. Quin tanta fuit hominis constantia, ut, quamuis*

uni utriusuis liceret, in sententia tamen manserit, & , ut posset, quum liberet, proficisci, naues & in Caieta , & Brundusij paratas habuerit : quod refert in epistolis ad Atticum : quas utinam frequentius, & diligentius legerent illi, qui Ciceronem sic temere solent accusare . Tunc enim Ciceronem non imprudentem fuisse, sed, quod etiam Pompeius postea testatus est, plus, quàm cæteros omnes, uidisse : nec inconstantem, sed omnium constantißimum fuisse prædicarent. Videte hominis constantiam : quamuis, ut Cassandra, posset uaticinari, & planè uidere, quanta malorum ἰλιὰς impenderet, ut in fabulis tamē Amphiaraus, sic ipse prudēs, & sciens ad pestē ante oculo positā profectus est. Nā, quū Cæsar Cōsulibus adhuc L. Lentulo, C. Marcello, sed cum Pompeio profectis, post diē VII. Id. April. in Hispaniam ex urbe profectus esset, ipse non ita multo post partum Tulliæ, quæ XIIII. Cal. Iun. peperit, ex Italia discesßit, & Q. fratrem, Ciceronesq́; pueros secum ducens, ad Pompeium nauigauit. Ita nec Cæsar, nec Cælius, nec Dolabella suis eum literis retinere potuerunt. Illum libenter omnes uiderunt, ut etiam Plutarchus affirmat: qui tamen, quod de Catone refert, ipse præstabit. Nos certe non credimus Catonem, qui semper omnium constantißimus fuisset, ita tum mutatum fuisse, ut eo Ciceronem uenisse doleret : & ostenderet, se, si integrum esset, inde discessurum fuisse : Ille uero, qui Cæsarem semper odisset, non Ciceronem modo, sed omnes etiam ab illo discedere cupiebat : nec, si fuisset integrum, illam partem deseruisset, quam postea nunquàm uiuus deserere uoluit. Quin si Cato tale quid unquàm dixisset, Cicero postea, quum se iustis de causis ab armis discessisse doceret, aliquando se tam graui testimonio defendisset. Cætera, quæ pertinēt ad illud tempus, ita leuiter Plutarchus tangit, & ita cum iocis miscet, ut præstet ea Ciceronis uerbis referre, &

Plutarchum deserere. Sic igitur ad Marium Cicero scripsit: Pudori malui, famæq; cedere, quàm salutis meæ rationem ducere: cuius me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter uitia multa, quæ ibi offendi, quo ueneram: primum neque magnas copias, neque bellicosas: deinde extra ducem, paucosq; præterea, de principibus loquor, reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam uictoriam horrerem: maximum autem æs alienum amplißimorum uirorum: quid quæris? nihil boni præter causam. quæ quum uidissem, desperans uictoriam, primum cœpi suadere pacem, cuius fueram semper autor: deinde quum ab ea sententia Pompeius ualde abhorreret, suadere institui, ut bellum duceret. hoc interdum probabat, & in ea sententia uidebatur fore, & fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna cœpisset suis militibus confidere. ex eo tempore uir ille summus, nullus imperator fuit. signa tirone, & collectitio exercitu cum legionibus robustißimis contulit. Victus, turpißime, amißis etiam castris, solus fugit. hunc ego belli mihi finem feci: nec putaui, quum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deueniendum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquàm exilio locus, aut consciscenda mors uoluntaria. certe nihil fuit præterea, si te uictori nolles, aut non auderes committere. ex omnibus autem ijs, quæ dixi, incommodis, nihil tolerabilius exilio præsertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudo: ad do etiam, quum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod uidere poßis sine dolore. Ego cum meis (si quicquam nunc cuiuspiam est) etiam in meis esse malui. quæ acciderunt, omnia dixi futura. Veni domum, non quòd optima uiuendi conditio esset, sed tamen, si esset aliqua fortuna Reip. tanquàm in patria ut

essem: si nulla, tanquam in exilio. mortem mihi cur consciscerem, causa nulla uisa est, cur optarem, multæ: uetus est enim, ubi non sis, qui fueris, non esse, cur uelis uiuere. Vt *Plutarchi uerba solemus, ita nunc hæc ipsa, quæ recitauimus, interpretabimur.* EGN. *Vt igitur illa soles è Græco in* La*tinum, nunc ista rursus è Latino in Græcum conuertes.* CO. *Alijs potius uerbis explicabo. Ea uero, quæ nunc referam, sic deinceps collocabo, ut ijs, quæ recitauimus, ordine respondeant. Sic ad Cecinam scribit: Itaque uel officio, uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis* Amphiaraus, *sic ego prudens, & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus,* EGN. *Quid si Battus fias?* COR. *Dum ne tu Mercurius fias, id parum refert nostra, quibus cothurni placeant, qui utrique pedi poßint accommodari.* EGN. *Quasi dicas, nihil referre, si quid etiam sæpius repetatur, dummodo rei, de qua loquaris, conuenire uideatur.* COR. *Nihil refert.* PIER. *At, cur Ciceronem sui facti pœnituerit, scire refert.* COR. *Ipse refert.* PIER. *Ipse refert in his, quæ tu recitasti, sed alia, quæ pollicitus es, desideramus.* COR. *Quid igitur in secunda Philippica respondeat, audite: Castra mihi Pompeij, atque illud omne tempus obiecisti: quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium, autoritasq; ualuisset, tu hodie egeres, nos liberi essemus, Resp. non tot duces, & exercitus amisisset. fateor enim me, quum ea, quæ acciderunt, prouiderē futura, tanta in mœstitia fuisse, quā ta cæteri optimi ciues, si idem prouidissent, fuissent. dolebam, dolebam P. C. Remp. uestris quondam, meisq; consilijs conseruatam breui tempore esse perituram: neque uero eram tam indoctus, ignarusq; rerum, ut frangerer animo propter uitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimissa molestijs omnibus liberasset: Illos ego præstantißimos uiros, lu*

mina Reip. uiuere uolebam; tot consulares, tot prætorios, tot honestißimos senatores, omnem præterea florem nobilitatis, ac iuuentutis, tum optimorum ciuium exercitus: qui si uiuerent, quamuis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum ciuibus bello ciuili utilior uidebatur) Remp. hodie teneremus. quæ sententia si ualuisset, ac non ij maxime mihi, quorum ego uitæ consulebam, spe uictoriæ elati obstitissent, ut alia omittam, tu certe nunquàm in hoc ordine, uel potius nunquàm in hac urbe mansisses. Sic ad Thoranium scribit: *Commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi, solosq; nos uidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa uictoria futura esset acerbißima, quæ aut interitum allatura esset, si uictus esses, aut, si uicisses, seruitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi uiri, & sapientes, Domitij, & Lentuli timidum esse dicebant (& eram plane: timebam enim, ne euenirent ea, quæ acciderunt), idem nunc nihil timeo.* Idem pene ad A. Torquatum, M. Marcellum, Cn. Plancium, M. Varronem, & alios scribit, ne plura nos recitemus. Pompeij copias, & genus exercitus M. Marcellus nunquàm probauit, & semper summe diffidit: & ipse Cicero quum ad Pompeium uenisset, ostendit: dicentibus enim sero eum uenisse, respondit: *minime sero ueni: nam nihil hic paratum uideo.* Deinde interroganti Pompeio, ubi gener eius Dolabella esset, respondit: *cum socero tuo.* Et quum donasset Pompeius transfugam ciuitate Romana, *ò hominem bellum*, inquit, *Gallis ciuitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere.* Propter quæ merito uidebatur dixisse Pompeius: *cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat.* EGN. Quæ Macrobius nescioquis scribit, refers; quæ uero Plutarchus uir tantus refert, hæc in parte taces. COR. Quæ Macrobius latine, utcunque, scribit, refero.

mus, quòd ea nec multa, nec falsa, nec inepta esse uideamus: quæ uero Plutarchus refert græce, tacemus, ne uertamus, & quòd multa, nec satis uera, nec admodum falsa esse, cognoscamus. EGN. *Quod falsum putas, diceres, ne quis decipiatur.* COR. *Illud falsum puto, Pompeium Ciceronis oratione sic alienatum fuisse, ut eius opera nulla in re magna sit usus: quum Cicero semper id egerit, ne rebus agendis interesset, ut ad Marcellum scribit: sed & in Philippica secunda ne alienatum quidem testatur ita: An uero Cn. Pompeij uoluntatem à me abalienabat oratio mea. an ille quenquàm plus dilexit? cum ullo aut sermones, aut consilia contulit sæpius? quod quidem erat magnum, de re dißidentes, in eadem consuetudine amicitiæ permanere. sed & ego, quid ille, & contrà ille, quid ego & sentirem, & spectarem, uidebat. ego incolumitati ciuium primum, & postea dignitati, ille præsenti potius consulebat. quòd autem habebat uterque, quid sequeretur, ic circo tolerabilior erat nostra dissensio. Quid uero ille clarißimus uir, ac penè diuinus de me senserit, sciunt, qui eum Pharsalica fuga Paphum persecuti sunt. nunquàm ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicißimi desiderij; quum me uidisse plus fateretur, se sperauisse meliora.* Nec Cicero, *si fuisset alienatus, ei pecuniam mutuam dedisset, ut libro undecimo ad Atticum se dedisse testatur.* Et *si egeo, inquit, rebus omnibus, quòd is quoque in angustijs est, quicum sumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis, constitutis rebus, eam rem etiam honori fore.* Item, *si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, quum id uidebamur sapienter facere, detulimus.* Nec *uerum est, quod Lucanus refert, Ciceronem Pompeio autorem fuisse, ut pugnaret: quum semper ei suaserit, ut bellum duceret, ut supra retulimus; nec in acie fuerit, ut ad Papirium Pætum scribit: quod infirmus esset,*

quod in epistolis ad Atticum scriptis legimus, nec Plutarchus ipse negat, quum scribit ita: Pugna, cui Cicero propter aduersam ualetudinem non interfuit, ad Pharsalum facta Pompeioq; fugato, M. Cato, qui Dyrrhachij magnas copias, & magnam classem tunc habebat, Ciceronem lege, Consulatusq; dignitate superiorem ducem deligendum censuit. Verum quum Cicero imperium reijceret, & negaret omnino se amplius cum illis esse militaturum, propius nihil est factum, quàm ut ille, Põpeio iuuene, & amicis eum proditorem uocantibus, & enses educentibus, occideretur, & fortasse fuisset interfectus, nisi Cato resistens, eum uix abstulisset, & extra exercitum deduxisset. Quam quidem rem Plutarchus idem sic in Catone refert: Quum M. Cato in Corcyram, ubi tunc erant naues, traiecisset, Imperium Ciceroni ut prætorius Consulari concedebat: quum uero Cicero non acciperet, sed in Italiam discederet, uidens Pompeium contumaciter, & parum tempestiue uolentem nauigantes retinere, & in primis Ciceroni manus allaturum; sic eum priuatim monuit, & mitigauit, ut è manifesta morte Ciceronem liberarit. PIE. *De loco secum pugnat.* COR. *Ita solet facere: quanquàm non putamus hoc magni referre, dum rem, qua de nunc agitur, intelligamus, ut intelligemus etiam melius, si nos addemus, Catonem uoluisse, Ciceronem ducem deligi, quòd adhuc imperator esset. Ille uero discessit, nec putauit utilius, ut ad Varronem scribens, loquitur, esse Reip. ad bestiarum auxilium confugere, quàm uel mori, uel cum spe si non optima, at aliqua tamen uiuere.* Ad Atticum *uero libro undecimo scribit ita:* Dicebar debuisse *cum Pompeio proficisci. exitus illius minuit eius officij prætermißi reprehensionem. sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quàm quòd in Africam non ierim. Iudicio hoc sum usus, non esse barbaris auxilijs fallacißimæ gentis Remp. de-*

fendendam, præsertim contra exercitum sæpe uictorem. Profectus igitur, ut Plutarchus ait, Brundusium, ibi Cæsarem, *qui propter res Asiæ, & Aegypti morabatur, expectauit. sed postquàm nunciatum est, eum Tarentum peruenisse, & inde Brundusium uenire, ei processit obuiam, nec ualde quidem diffidebat, sed uerebatur multis præsentibus hominis inimici, & uictoris periculum facere: Verum non fuit opus ipsi quicquam facere, aut dicere præter dignitatem. Nam Cæsar, ut illum longe ante alios occurrentem uidit, descendit, & complexus est. & cum solo colloquens, iter multorum stadiorum uenit.* Ex eo *uero tempore Ciceronem sic honorauit, & dilexit: ut, quum laudationem Catonis ille scripsisset, ipse contra scribens, illius orationem, & uitam, ut maximè Periclis orationi, & Theramenis uitæ similem laudarit. Ciceronis igitur liber, Cato, Cæsaris autem Anticato fuit inscriptus.* Hic multa Plutarchus *omittit, quæ nos fortasse reddemus. Me disceßisse ab armis, inquit ad* Atticum *scribens, nunquàm pœnituit. tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata, ut iam omnium iudicio constitutum esset, omnium uestrum bona prædam esse illius uictoriæ: uestrum planè dico. nunquàm enim de te ipso, nisi crudelißime cogitatum est. Quare uoluntatis me meæ nunquàm pœnitebit: consilij pœnitet. In oppido aliquo mallem resedisse, quoad accerserer, minus sermonis subijssem, minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret, Brundusij iacere, in omnes partes est molestum.* Brundusium *uero uenit ante* Non. Nouemb. *Cæsare iterum, & Seruilio Consulibus, & ibi usque ad* VI. Cal. Octob. Q. *Fusio Caleno, &* P. *Vatinio Consulibus fuit, ut ex epistolis illo tempore scriptis cognoscere licet.* Neque Cicero, *quæ fuit hominis prudentia, Brundusium, ubi sciebat hostes esse, uenisset*

nisi, quod supra suspicati sumus, à Cæsare prius impetrasset, & nisi postea literas, ut ueniret, accepisset, ut sic ad Atticum scribens ostendit: Ad Antonium misi L. Lamiam, *qui demonstraret, Cæsarem Dolabellæ dixisse, ut ad me scriberet, ut in* Italiam *quamprimum uenirem: eius me literis uenisse. & in* Philippica *secunda:* Quem *ipse uictor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, saluum esse uoluisset, in* Italiam *ire iussisset, eum tu occideres? Nec ita multo post ab ipso* Cæsare *literas accepit, de quibus in oratione pro* Ligario *loquitur ita:* Apud quem *igitur hoc dico? nempe apud eum, qui quum hoc sciret, tamen me ante, quàm uidit,* Reip. *reddidit: qui ad me ex* Aegypto *literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui, quum ipse imperator in toto imperio populi* Romani *unus esset, esse me alterum passus est: à quo, hoc ipso* C. Pansa *mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putaui: qui mihi tum denique se salutem putauit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset.* Apud Senecam *dicitur* Cæsar Ciceronem *rogasse, ut uiueret. His temporibus* Cicero *filium* Cæsari *obuiam mittere constituit, neque postea misit, & multis molestijs affectus fuit: quum quòd* Q. *fratrem, & eius filium à se alienatos audiebat: tum quòd se* Brundusij *iacere, filiam miseram esse,* Dolabellam Tribunum *plebis multa turbare, &* Terentiam *suo munere male fungi uidebat: quæ quidem omnia in epistolis ad* Terentiam, *& ad* Atticum *scriptis multis etiam uerbis explicantur.* In *urbem postea tandem reuersus, imperium deposuit, ad amicos epistolas multas tempore belli* Africi *scripsit, &* Terentiæ *nũcium remisit, & ad* Philosophiæ *studia se retulit, hoc est cum libris, ut ad* Varronem *scripsit, in gratiam redijt.* Deinde *quum* Cæsar *ex* Africa *uictor redijsset, &* M. Marcello *ueniam dedisset, ei gratias egit, &* Q. Liga-

rium defendit, ac Cæsarem sic impulit, ut eum liberarit. Cæsare rursus in Hispaniam profecto, Tulliam amisit, Athenas filium misit, Popiliam uxorem duxit, laudationem Catonis, & quæ φιλοσοφούμενα uocat ipse, magnam partem scripsit: ac Cæsarem tandem ex Hispania reuersum ruri hospitio accepit. Hæc ita percurrimus, quod Plutarchus his referendis ordinem perturbare uideatur: EGN. Quasi uero tu, qui coniuges ipsas tam longe disiungas, eum seruare uidearis. CO. Longius ipse disiunxit, quum Terentiam prorsus à se dimisit, & Popiliam, rus ipse profectus, domi reliquit, quod in epistolis ad Atticum legimus. PIE. Non disiunxit, quum fecit, quod dixit, & Quintilianus refert: cras erit mulier. Sed, quamuis ille coniunges, ut ais, disiunxerit, eas tu, si potes, ordinem tuum secutus, ipse coniunge. EGN. Qui poterit, nisi, quem semel instituit ordinem, mutet? COR. Ordinem, quo res in epistolis ad Atticum nominantur, ego non mutabo quidem, sed nouum, quo factæ uideri possint, quum fuerit opus, excogitabo. Hic certe excogitem necesse est, quum libro duodecimo ad Atticum Popiliam multo post Tulliæ mortem nominet, & tamen eam multo ante, quum Terentiæ nuncium remisisset, duxisse uideatur. PIE. Id etiam Plutarchus ostendit. COR. Ostendit ille quidem, sed diuortij, quod Cicero cum Terentia fecit, causas nescio quàm bene referat. Illa certe non uidetur digna, quæ credatur: illum sic ab ea tempore belli ciuilis neglectum fuisse, ut rebus necessarijs egens ad bellum sit profectus: quum, quod ego sciam, id ille nusquàm queratur, & ipse uir multo melius, quàm mulier quod opus erat, parare potuerit: & in eo bello diues ita fuerit, ut Pompeio magnam pecuniam mutuam, quod supra retulimus, dare potuerit. Nec eam causam, quam Plutarchus idem refert, addere Cicero potuit: eam Brundusium ad se non

uenisse, quum uenire uoluerit, nisi sic ipse rescripsisset? In uiam quòd te des hoc tempore, nihil est. & longum est iter, et non tutum: & non uideo, quid prodesse poßis, si ueneris. At, inquit Plutarchus, eò filiæ admodum puellæ, & itineris tantum proficiscenti nec idoneum comitatum, nec uiaticum præbuit. at præbere nec debuit, nec potuit. EGN. Non debuit mater filiæ tali præbere? COR. Matres filios spoliare non debent, ut filias præsertum nuptas exornent. Vt tamen eam debuisse concedamus, non poterat, quod Cicero sic ad Atticum scribens, ostendit: In miserijs una est pro omnibus, quòd istam miseram patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquam. Quare te, ut polliceris, uidere plane uelim: alium enim, cui illam commendem, habeo neminem, quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quæ mihi. Hoc idem sæpe queritur. EGN. Quas igitur ob causas, eam dimisit? COR. Ob eas, quas idem Plutarchus addit, & ipse Cicero sic ad Plancium scribens, refert: Quòd autem mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita uelle, certo scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Remp. offendissem. quibus enim pro meis immortalibus beneficijs charißima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant: quum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidijs uacuum uiderem, nouarum me neceßitudinum fidelitate contra ueterum perfidiam muniendum putaui. Sic ad Atticum: Terentiam moneatis de testamento. Tempora monent, ut uideat, ut satisfaciat, quibus debeat. Auditum ex Philotimo est, eam scelerate quædam facere. credibile uix est. sed certe si quid est, quod fieri poßit, prouidendum est. Item, de Terentia (mitto cætera, quæ sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? scripseras, ut HS. XII. permutaret, tantum

esse reliquum de argento. misit illa C C I ↄ ↄ. *mihi, & ascripsit tantum esse reliquum. Quum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit.* Paulo post, *inquit* Plutarchus, *uxorem uirginem duxit, forma ipsius, ut* Terentia *diuulgauit; captus, ut uero* Tiro Ciceronis libertus *scripsit, ea causa motus, ut æs alienum posset dissoluere.* Nam *puella ualde diues erat, & eius facultates* Cicero *suæ fidei commissas ut hæres relictus seruabat. Quum uero multa nummorum millia deberet, ab amicis, & domesticis admonitus, puellam præter ætatem duxit uxorem, ut illius bonis uteretur, & fœneratoribus, quod debebat, soluens, ære alieno se liberaret.* Antonius *autem in his, quæ contra* Philippicas *scripsit, harum nuptiarum mentionem faciens, dicit, uxorem, apud quam senuerat, eiecisse, urbane curam ipsius in re familiari, ut hominis ignaui, & mollis mordens.* An Tiro, *quod hic* Plutarchus *refert, scripserit, nos scire non possumus: illud scimus, hoc idem* Calenum Ciceroni, *si* Dion *uerum scribit, obiecisse.* PIE. *Nos miramur, ita te uertisse: eius facultates* Cicero *suæ fidei commissas ut hæres relictus seruabat.* COR. *Volebatisne, ut, quod alij fecerunt, ita uerterem: eius substantias sub tutoris fide seruabat.* PIE. *Tum fortasse minus latine, sed magis proprie uertisses: quum tutor res pupilli tueatur.* COR. *Tuetur ille quidem, sed neque pupillum adoptare, neque lucrum ex tutela facere potest.* Cicero *uero puellam non adoptasset quidem, sed, quod pene plus est, uxorem duxisset, & ex ea tutela magnum lucrum fecisset: quod, quæ fuit uiri fides, nunquam fecisset: nec ita* Plutarchus *scripsit, sed hoc modo:* κληρονόμοσ ἀπολειφθεῖσα διαφυλάττειν. PIE. *Poterat igitur uxoris illa molestiis carere, & hæreditatem cernere.* COR. *Hæres erat secundus.* PIE. *Ergo suspectus, ut iurisconsulti uocarent.*

COR. *Vir usque adeo bonus fuit, ut, quod in epistolis legimus, eum T. Pinnius tum tutorem, tum secundum hæredem instituerit.* EGN. *Voluit etiam bonum nomen existimari, quum maluit uxorem ducere, & æs alienum uel aliena pecunia soluere, quàm quicquam debere.* COR. *At si aliena pecunia soluisset, deberet: quanquàm, quæ uxoris esset, aliena uere dici non poterat, si modo credimus, Ciceronem uxorem duxisse, ut posset æs alienum dote soluere.* EGN. *An ea de re dubitas, quam Tiro, qui poterat scire, scripsit?* COR. *Non dubitarem, si certo scirem, eam rem Tironem scripsisse: sed uereor, ne Plutarchus Tironem laudet autorem, quem nunquàm uiderit: & , quod inimici Ciceroni solebant obijcere, id ille Tironem, quo magis credatur, scripsisse dicat, & mentiatur: quum uerisimile non sit, eum de suo patrono, cuius, ut qui maxime, studiosus fuit, aliquid, quod uituperari posset, scripsisse, & ab eo, qui causas diuersas ad Plancium scripsit, ut supra retulimus, tantopere dissensisse. Nec Cicero, si ob eam causam, quam dicunt, uxorem duxisset, eam tam cito repudiare, & dotem restituere potuisset: nec ille* πολλὰς μυριάδας*, ut putat Plutarchus, debuit: qui, quamuis ad bellum ciuile proficiscens, res domesticas impeditas reliquisset, & aliquid etiam Terentia dißipasset, præter tamen pecuniam, quam in Asia habuit, eo tempore creuit hæreditatem, de qua sic ad Atticum scribit: literas tuas accepi Prid. Non. Feb. eoque ipso die ex testamento creui hæreditatem. ex multis meis, & miserrimis curis est una leuata, si, ut scribis, ista hæreditas fidem, & famam meam tueri potest: quam quidem te intelligo etiam sine hæreditate tuis opibus defensurum fuisse. Quòd si Atticus sine illa hæreditate suis opibus uolebat Ciceronis fidem, & famam defendere, multo facilius cum hæreditate illam defendere potuit, ne Cicero cogeretur*

æris alieni soluendi causa iam senex uxorem ducere: quanquam Cicero tam multas uillas, tam multa prædia, tam multas in urbe domos, tam multas denique opes habuit, ut, quod debebat, dissoluere facile posset: præsertim quum paulo post, in epistolis ad Atticum tam multos etiam numos habuisse uideatur, ut facultates Othonis uincere se posse speraret, si Scapulani horti præconi subijcerentur. Tum Cicero se ad Philosophiæ studia retulit, ut ad Ser. Sulpicium scripsit: Tantum dicam, quod te spero approbaturum: me, posteaquàm illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia, neque in foro uiderim, omnem meam curam, atque operam ad Philosophiam contulisse. Hoc illud est tempus, quum Cicero tacebat, & diutius tacuisset, nisi Cæsar M. Marcello ueniam dedisset, ut in epistola legimus, quam tunc ad Ser. Sulpicium scripsit: ubi sunt illa uerba. Statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium. Itaque pluribus uerbis egi Cæsari gratias. Iisdem propè temporibus Q. Ligarium defendit, quum libro decimo tertio ad Atticum quo tempore Cæsar cum filijs Pompeij bellum in Hispania gerebat, & Marcellum interfectum fuisse, & orationem, quam pro Ligario dixerat, ad Cæsarem missam fuisse demonstret: cuius uim tantam fuisse Plutarchus affirmat, ut ea Cæsar uictus Ligarium, quem uel in primis oderat, liberarit. Non multo post, inquit Plutarchus, filia decessit, quum apud Lentulum peperisset, cui post Pisonis prioris uiri mortem nupserat: Tunc igitur undique Philosophi ad consolandum Ciceronem conuenerunt. Nam grauiter adeo casum tulit, ut uxorem, quam duxerat, repudiarit, quòd uisa esset Tulliæ morte lætari. De morte, & maritis Tulliæ sic Asconius etiam scribit: Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocauit,

apud quem illa ex partu decesit. Illa uero Crassipedi post Pisonis mortem nupserat, ut supra nos ostendimus: & postea, quum Cicero Proconsul esset in Cilicia, P. Cornelio Lentulo Dolabellæ nupsit, ut in epistolis sæpe legimus. EGN. Id aliàs etiam retulisti. COR. Retuli quidem, sed erant, qui ne credituri quidem essent, nisi rem totam pluribus uerbis in Bruto rursus explicassem. Decessit autem, quum Cæsar in Hispaniam contra Pompeij filios esset profectus, ut in epistolis apparet. An uero Philosophi undique conuenerint ad Ciceronem consolandum, uiderit Plutarchus: nos ex epistolis ad Atticum cognouimus, illum post Tulliæ mortem non domi suæ, sed paucos dies apud Atticum Romæ fuisse, & Asturā postea profectum, sic in solitudine uersatum fuisse, ut ad Atticum scripserit ita: In hac solitudine careo omnium colloquio: quumque mane me in syluam abstrusi densam, & asperam, non exeo inde ante uesperum. secundum te, nihil est mihi amicius solitudine: tantum abfuit, ut eum Philosophi facile potuerint conuenire. Multi quidem ut C. Cæsar, Ser. Sulpicius, & M. Brutus, & alij consolatorias epistolas ad eum scripserunt. EGN. Sed nihil profecerunt. COR. Ipse profecit: qui fecit, quod profectò ante nemo, ut ipse se per literas consolaretur, & de luctu minuendo scripsit: quo de libro sic libro secundo de Diuinatione refert: Quid ego de consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi sanè aliquantum medetur, cæteris item multum illam profuturam puto. EGN. Recte dixit, aliquantum medetur: quòd tum, quum libros de Diuinatione scriberet, aliquantum fortasse illi mederetur, quod ante non uidetur fecisse, quum Lactantius ita dicat: Tum, quum amiserit charissimam filiam, uictum se à fortuna turpiter confitetur. COR. Audite, quid in Tusculanis quæstionibus ipse dicat: Aegritudinis sedatio & hesterna disputatione explicata est, &

in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) mœrore, & dolore conscripsimus: quodque uetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæq; uim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. Quòd si magnitudini medicinæ doloris magnitudo concessit, ipsa consolatio multum profecit: quod in epistolis ad Atticum sic etiam testatur: Quòd me ipse per literas consolatus sum non pœnitet me, quantum profecerim. mœrorem minui, dolorem nec potui, nec, si possem, uellem. EGN. Vt supra, quoquo modo potuisti, probaris in exilio Ciceronem præter modum non doluisse, hic tamen non probabis, ut opinor, cum modice, uel intra modum doluisse, qui se tam ualde doluisse, & à fortuna uictum fuisse fateatur. COR. Fatetur item sapientem se non fuisse. EGN. His tamen temporibus, ut quum maxime philosophatus est, & ad Papirium Pætum scribens, se Philosophum non dubitauit appellare. COR. Respondere quidem possum, omnes, qui Philosophi uocantur, non esse sapientes, sed, illud ut mittam, malo repetere, Ciceronem, quamuis eo ipso tempore philosopharetur, tum tamen, quum doleret, sapientem non fuisse: ut Herculem, quem poetæ nobis ut hominem sapientissimum describunt, tum, quum fureret, aut seruiret, sapientem negamus appellari potuisse. EGN. Noli nos ad fabulas reuocare. COR. Ad historiam reuocabo, quam Plutarchus etiam refert: Solonem, quum, quod etiam Thales finxerat, audisset, filium, quem reliquerat Athenis, esse mortuum, prorsus concidisse. Illúmne nos hominem, qui sibi caput percusserit, & omnino muliebriter doluerit, tum sapientem fuisse dicemus? EGN. Nos uero dicemus, qui sciamus eum inter septem sapientes numerari. COR. Si sapiens ille, qui, quæ diximus, fecit, fuit: Cicero, qui nihil

eorum fecit, sapientißimus merito debet appellari. EGN. At ipse se tum sapientem fuiße negat. COR. Fortaße negat, ut modestius loquatur: uel in Tusculanis quæstionibus negat, quas post Cæsaris cædem scripsit: quo quidem tempore Stoicos potißimum secutus uidetur, ad quorum normam, qui dolent hoc modo, sapientes eße non poßunt: sed antea Cicero quum eßet Academicus, quamuis doleret, sapiens tamen eße poterat Academicorum more, qui mediocritates in perturbationibus probabant, & permotiones istas animis nostris utiliter à natura datas eße dicebant. Hinc Crantor Academicus dixit: Minime aßentior ijs, qui istam nescioquam indolentiam magnopere laudant, quæ nec potest ulla eße, nec debet. Meminerat etiam Cicero, quamuis Philosophus eßet, se tamen & hominem, & oratorem eße, & sic hominis, & oratoris, qui sæpe dolent, personam sustinere. Quin uerebatur fortaße, ne, quemadmodum Demosthenes ab Aeschine, sic ipse ab aduersarijs accusaretur, nisi filiam talem quasi de more luxißet. EG. Si de more luxißet, ferri poßet: sed ille neque morem, neque modum seruauit. COR. Eodem tempore patriam lugebat. Itaque dolor ille duplicatus omnem consolationem uincebat: quanquàm sum ueritus interdum, ne Cicero, quem uel Atticus in Bruto uocat εἴρωνα, se plus dolere, quàm re uera doleret, simularit, ut per eam causam liberius abeße poßet: quod tamen in epistolis ad Atticum sic indicat: Quòd me in forum uocas, eò uocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam: Quid enim mihi cum foro sine curia? in oculos incurrentibus ijs, quos æquo animo uidere non poßum? Quòd autem homines à me postulare scribis, ut Romæ sim, neque mihi, ut absim, concedere, aut quatenus eos concedere, iampridem scito esse, quum unum te pluris, quàm omneis illos putem. ne me quidem contemno, meoq; iudicio multo stare malo, quàm omnium re-

liquorum. neque tamen progredior longius, quàm mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solùm (quod ipsum erat fortis ægroti accipere medicinam) sed in mea etiam scripta transtuli: quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. Idem *sæpe refert adeo, ut illum nos quidem doluiße concedamus, sed quod de exilio supra diximus, idem propemodum de* Tulliæ *morte dicendum iudicemus.* EGN. *Vereor, ne tuum iudicium rescindatur, si quis alios iudices appellet.* COR. *Nullos ego iudices reijciam, aut recusabo, dum ne Græci iudices sedeant, aut testimonium dicant.* Nam Ciceroni Græcos *omneis iam nunc iniquos eiuro: quum dedita opera mentiri uoluiße uideantur: ut* Plutarchus, *qui* Ciceronem *nouæ uxori nuncium, quòd* Tulliæ *morte lætari uisa fuißet, statim remisiße contendit: quam nos in epistolis ad* Atticum *multo post tempore cum* Cicerone *uixiße uideamus: ut* Dion, *qui scribit ita:* Ne *illam quidem retinuisti, ut* Cerelliam *licenter habere poßes, quã tanto te ipso maiorem natu, quanto minorem puellam duxeras, stuprasti: ad quam tales epistolas scribis, quales scurra dicax ad fœminam septuagenariam mordens scriberet.* Nõ *puduit hominem Græcum hæc ipsa de* Cicerone *mentiri: qui non modo* Popiliam Cerelliæ *causa non repudiauit, sed etiam* Cerelliam *à* Popilia, *ut ex libro decimo quarto ad* Atticum *collegimus, legatam missam non inuitus audiuit.* Quòd *si qua suspicio fuisset, non ea potißimum legata* Popilia, *uel mater eius uti uoluisset: quanquàm ne suspicio quidem eße potuit, ne* Cicero *mulierem uetulam puellæ diuiti, quam nuper uxorem duxisset, anteferret: præsertim quum uir is eßet, qui uere sic ad* Papirium Pætum *scribere potuerit:* Me *uero nihil istorum ne iuuenem quidem mouit unquàm, nedum senem.* Et *sanè non legimus* Ciceronem *iuuenem rebus hisce delectatum fuiße, tantum abest, ut*

credere debeamus, illum iam senem cum muliere uetula consuetudinem habere uoluisse: qui ne uxorem quidem iuuenem rus eo tempore uenire uolebat, ne cum illa esse cogeretur. Ille tamen Cerelliam non ut amicam, sed ut necessariam, quemadmodum scribens ad Seruilium uocat, dilexit, & quòd ei nescioquid debebat, & quòd eā studio philosophiæ flagrare cognoscebat, quod in epistolis ad Atticum *testatur.* EGN. *Tu uide, ne potius ipse rerum naturalium studio flagraret.* COR. *Ille quidē libro secūdo de* Diuinatiōe *scribit ita: Ad reliqua acri tendebamus animo sic parati, ut, nisi quæ causa grauior obstitisset, nullum* Philosophiæ *locum pateremur, qui non* Latinis *literis illustratus pateret: sed ita iam senex, itaq; planè frigidus erat: ut, quamuis ad ignem accederet, ne calescere quidem poßet, quum præsertim non eßet ignis ille tantus, ut de suo lumine lumen alterius ita facile poßet accendere: nec omnes præterea, qui ueniunt ad ignes huiuscemodi, semper calescunt, quamuis hominibus, qui credunt omnia, calescere uideantur.* EG. *Illi fortasse sunt ex* Hirpijs *familijs oriundi.* COR. *Vnde sint oriundi, nos quidem nescimus: sed multos certe nouimus, & uos, qui seniores estis, plures, ut puto, nostis, qui frequenter ad ignes taleis accedant, neque tamen unquàm calescant.* EGN. *Et si difficile uidetur, ne tamen amplius hac in re tecum pugnemus, hoc ipsum concedemus, si prius ita quæsiuerimus: Cur igitur ad eam tales epistolas scribebat, in quibus* Ausonius *etiam petulantiam notauit?* COR. *Vir aptißimus ad iocandum iocari uoluit: quod in illis epistolis ita fecit, ut* Quintilianus, *& alij, qui melius, quàm* Græculus *ineptus, &* Gallus *non satis aptus, iudicare poterant, in ea re* Cicero*nem laudarint, non etiam turpes amores, aut petulantiam notarint.* EGNAT. *Per nos ex hoc loco iam potes exire.* COR. *Ego uero libenter exibo, si, ut ueni, licet exire.*

EGN. *Iocare, uel etiam, si lubet, lude, & rimas omnes quære, nullam tamen hodie reperies, nisi numos omnes dederis, ut illud seruetur: si quis habet numos, ueniens, exibit inanis.* COR. *Fateor. Nam quum plenus huc ego uenerim, inanis, ut uideo, cogar exire: quanquam operam dabo, ne prorsus inanis reuertar, quod esse turpissimum Cicero, mutuatus ab Homero, in libris de officijs ad filium, qui tunc erat Athenis, scripsit.* PIE. *Filium Ciceronis Athenis eo tempore fuisse sciunt omnes, sed quo tempore missus eò fuerit, uideo posse dubitari, nisi tu pluribus uerbis ordinem, quem dicebas, explicaris.* COR. *Explicabo; quum prius dixero, quod etiam Plutarchus affirmat: Ciceronem perfecisse, ut Cratippus Peripateticus à Cæsare iam Remp. tenente ciuis Romanus fieret: item perfecisse, ut Areopagitæ illum decreto rogarent, ut Athenis maneret, & disputando iuuenes erudiret, ut qui urbem ipsam esset exornaturus. Id igitur Cicero quum effecisset, Athenas filium Cal. April. C. Cæsare, Q. Maximo Consulibus ita misit, ut annuum tempus Cal. Apr. M. Antonio, P. Dolabella Consulibus libro decimo quinto ad Atticum confectum esse dicatur. Hinc libros de officijs quum scriberet, dixit, illum annum iam audientem Cratippum, idque Athenis abundare præceptis oportere. Illi Cicero ex Argileti, & Auentini mercedibus octuaginta sestertia, hoc est, ut nunc subducunt, aureorum numorum duo millia suppeditabat: quod in epistolis ad Atticum demonstrat. Tum Cicero literas, ut Plutarchus refert, alias ad Hærodem, alias ad filium scripsit: in quibus mandauit, ut & cum Cratippo philosopharetur, & à consuetudine Gorgiæ Rhetoris, qui uoluptatibus, & compotationibus illum corrumpebat, prorsus abstineret. Hinc Cicero sic ad Atticum scribit: Leonidæ epistola, quam ad me misisti, quid habet quæso, in quo magnopere lætemur? nunquàm*

ille mihi satis laudari uidebitur, quum ita laudabitur: quo modo nunc est. Non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μῖτον *scriberet: à quo adhuc nulla litera est. Vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognossem, iucundum putaret fore.* De Cratippo uero, de erratis ætatis, & de Gorgia Cicero filius ad Tironem plura scripsit: quæ uidere quiuis poterit. Catonis etiam laudationem, quamuis aliquot fortasse diebus ante, sed certe post Africum bellum, in quo M. Cato se interfecit, scripsisset, his tamen temporibus ita libro duodecimo ad Atticum nominauit: *Qualis futura sit Cæsaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hircius ad me misit, in quo colligit uitia Catonis; sed cum maximis laudibus meis: item, Hircij epistolam si legeris, quæ mihi quasi* πρόπλασμα *uidetur eius uituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone, facies me, quid tibi uisum sit, si tibi erit commodum, certiorem:* item libro decimo tertio: *Legi Cæsaris epistolam: multa de meo Catone: quem sæpißime legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto, se sibi uisum disertum.* Nam M. Brutus, & Fabius Gallus etiam de Catone scripserunt. Quin Cicero rogatus à Bruto suum scripsit, ut sic in oratore docet: *Hoc sum aggressus statim Catone absoluto, quem ipsum nunquàm attigissem, tempora timens inimica uirtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi charam excitanti, non parere nefas esse duxissem.* Quòd autem tum φιλοσοφούμενα potißimum scripserit, ut in ordine nostro supra posuimus, & postea Cæsarem ex Hispania reuersum hospitiò acceperit, ipse libro decimo tertio ad Atticum demonstrat. Neque Cicero tum primum, ut Plutarchus putat, historiam scribere cogitauit: quum, quod libro secundo ad Atticum legimus, uel ante exilium se historiæ daret, & multa Theo-

pompino genere pangeret: & ipse libro primo de legibus ita prius etiam scripserit: Postulatur à te iamdiu, uel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studijs, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea, quæ salua per te est, per te eundem sit ornata. Abest enim historia literis nostris, ut & ipse intelligo, & ex te persæpe audio. Potes autem tu profectò satisfacere in ea: quippe quum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime. Sed iam tempus est, ut ad Plutarchum reuertamur: Coniurationis, inquit, in Cæsarem particeps non fuit, quamuis Bruti amicißimus esset, & iniquo animo præsentem statum ferret, ac, ut qui maxime, ueterem desideraret. Sed illi uiri quum illius naturam ut minus audacem, tum tempus, in quo robustißimis naturis audacia deesse solet, timuerunt. M. tamen Antonius dixit, Cæsarem consilio Ciceronis interfectum fuisse. EGN. Id in Philippicis ipse negat. COR. Negat ille quidem, sed in Bruto sic ipso Bruto præsente ciuitatis cladem deplorat, ut illum prorsus ad liberandum Remp. inuitare uideatur. Quòd si uel in scriptis id ipsum faciebat, quanto magis illum, quum secreto loqueretur, id fecisse putare debemus? Non sine causa interfecto Cæsare statim cruentum extollens alte M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus. EGN. Nunc Ciceronem, quem semper defendere soles, accusas. COR. Ego uero, ne scriptor Græcus eum timidum, quòd inter coniuratos numeratus non sit, appellet, defendo, & laudo, quum Bruto, ut libertatem recuperaret, autorem fuisse contendo. EGN. Si fuisset, ut erat gloriæ cupidus, aliquando diceret. CO. Non

erat stultus, ut illi, qui quum in ea societate non fuissent, se tamen fuisse iactabant. EGN. Stultus dici non posset, si se facti uel autorem, uel participem fuisse diceret, quod ille pulcherrimum, gloriosissimumq; solet appellare. COR. Minus prudens certe uideri potuisset, si diceret, quod ipsi, & Reip. damni multum, sed utilitatis aut nihil, aut parum poterat afferre. Nam si dixisset, ueteranos milites, cæterosq; Cæsarianos inimicos haberet, & ita non posset de pace tractare: quod tamen ipsum uix ita potuit uitare: ut ad C. Cassium postea scribens, ostendit: M. Antonius cædis initium quærit, nullamq; aliam ob causam me autorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me ueterani incitentur. Si quis tamen aliter sentit, is credat, quod uelit, dum ne Græcis assentiatur, Ciceronem timidum fuisse, quem nos nec antea timidum, & temporibus illis fortissimum fuisse uideamus. Quum igitur, inquit Plutarchus, Brutus, Cassius, & reliqui rem peregissent: &, amicis Cæsaris conuenientibus, periculum esset, ne ciuitas in bellum ciuile rursus incideret, Antonius Consul senatum conuocauit, & de concordia pauca uerba fecit: Cicero uero pluribus uerbis, ut tempus postulabat, amice locutus, senatui persuasit, ut Athenienses imitatus, eorum, quæ propter Cæsarem facta fuerant, obliuionem decerneret, & prouincias Cassio, Bruto, & reliquis diuideret. Sed horum nihil est perfectum. Ciues enim, qui sua sponte misericordia commoti fuerant, ut cadauer per forum uiderunt efferri, quum M. Antonius illis uestem sanguine refertam, & gladijs perforatam ostenderet, ira, & furore correpti, percussores in foro quærebant: & habentes ignem, ad domos, ut incenderent, cucurrerunt. Illi uero periculum hoc diligentia uitarunt: & alia multa, & magna quum timerent, urbem reliquerunt. Post Cæsaris interitum multa sunt

bandæ Reip. *cupiditate, quod opponi posset, præsidium, non habebamus.* Erexrat *enim se ciuitas in retinenda libertate consentiens.* Nos *tum nimis acres, nos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis.* Italiæ *sua uobis studia promittenti remisistis.*Itaq; *quum teneri urbem à parricidis niderem, nec te in ea, nec* Cassium *tuto esse posse, eamq; armis oppressam ab* Antonio, *mihi quoque ipsi esse excedendum putaui. Sed animus idem, qui semper infixus in patriæ charitate, discessum ab eius periculis ferre non potuit.* Itaque in medio Achaico *cursu, quum etesiarum diebus auster me in* Italiam, *quasi dissuasor mei consilij retulisset, te uidi* Veliæ, *doluiq; uehementer.* Cedebas *enim* Brute, *cedebas; quoniam* Stoici *uestri negant fugere sapientis.* Romam *ut ueni, statim me obtuli* Antonij *sceleri, atque dementiæ.* Sed *quoniam possunt hæc è* Philippicis, *& epistolis, ubi describuntur, peti, pauca tantum conferemus.* Insolentiam M. Antonij *Consulis quum alibi sæpe, tum ad* L. Plancum *scribens, ostendit: de* M. Bruti, *& aliorum coniuratorum discessu præter* Ciceronem Paterculus, *& alij multa scribunt: de suspicione, siue causa inter* Ciceronem, *&* Antonium *in* Philippicis *plura dicuntur.* An *uero* Cicero Dolabellæ *legatus in* Syriam *nauigare uoluerit, uiderit* Plutarchus, *qui scribit: nos in epistolis ad* Atticum *sic scriptum uidimus:* Dolabella *me sibi legauit ad* IIII. Non. Apr. *id mihi heri uesperi nunciatum est.* EGN. *Id etiam* Plutarchus *uiderat, ut apparet, ne tu nunc dicas, uiderit.* CO. *Ille quidem fortasse uiderat, sed, ut in rebus hisce parum diligens fuit, non uidetur intellexisse, quam legationem* Cicero *significaret.* EGN. Quum Dolabella *Consul* Syriam *prouinciam sortitus esset, quam potuit aliam legationem, quàm* Syriacam *significare?* COR. Vt *mittam, uerisimile non esse,* Ciceronem, *qui neque* Cæsaris, *neque* Pompeij *legatus*

in prouincijs esse uoluisset, tunc Dolabellæ legatum in Syriam nauigare uoluisse, si legationem Syriacam significasset, à M. Antonio nihil erat cur eam peteret: & tamen in epistolis ad Atticum se petisse sic ostendit: Scripsi ad Antonium de legatione, ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoueretur, & prius à Cæsare petierat. Legationem uero liberam significat, de qua sic ad Atticum scribit, ubi de Dolabella loquitur: habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia, nec facile addi potest: idque adeo genus legationis, ut, quum uelis, introire, exire liceat. hunc in prima Philippica dixi: quum haberem ius legationis liberum, discessi ea mente, ut adessem Cal. Ian. quod initium senatus cogendi fore uidebatur. Quæ Plutarchus de Hircio, & Pansa refert, ea uellem diligentius scripsisset, nec eos uiros bonos appellasset, nec eos dixisset pollicitos fuisse, se M. Antonium depressuros: quum semper antea Cæsariani fuissent, & tunc ocium timerent ita, ut neque bene audirent, neque M. Antonium se depressuros pollicerentur; ut in epistolis ad Atticum Cicero demonstrat, quicquid in Philippicis, & alibi, scenæ seruiens, dicat. In Græciam uero Cicero proficiscebatur, quum ut cædis impendentis periculum uitaret, tum ut in studijs filium confirmaret; quæ fuit à principio sola causa profectionis, quum consilium cepit à Cæsare legari, quod in epistolis ad Atticum scribit, quoquo modo in prima Philippica consilium profectionis, & reuersionis exposuerit. Ac præter ea, quæ de reuersione refert ibi pluribus uerbis, quàm ut sint referenda, sic ad Atticum scribit: VIII. Id. Sext. quum à Leucopetra profectus (inde enim transmittebam) stadia circiter CCC. processissem, reiectus sum austro uehementi ad eandem Leucopetram. Ibi quum uentum expectarem (erat enim uilla Valerij nostri, ut familiariter essem, & li-

esse reliquum de argento. misit illa CCIↃↃ. mihi, & ascripsit tantum esse reliquum. Quum hoc tam paruum de paruo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit. Paulo post, inquit Plutarchus, uxorem uirginem duxit, forma ipsius, ut Terentia diuulgauit, captus, ut uero Tiro Ciceronis libertus scripsit, ea causa motus, ut æs alienum posset dissoluere. Nam puella ualde diues erat, & eius facultates Cicero suæ fidei commissas ut hæres relictus seruabat. Quum uero multa nummorum millia deberet, ab amicis, & domesticis admonitus, puellam præter ætatem duxit uxorem, ut illius bonis ueretur, & fœneratoribus, quod debebat, soluens, ære alieno se liberaret. Antonius autem in his, quæ contra Philippicas scripsit, harum nuptiarum mentionem faciens, dicit, uxorem, apud quam senuerat, eiecisse, urbane curam ipsius in re familiari, ut hominis ignaui, & mollis mordens. An Tiro, quod hic Plutarchus refert, scripserit, nos scire non possumus: illud scimus, hoc idem Calenum Ciceroni, si Dion uerum scribit, obiecisse. PIE. Nos miramur, ita te uertisse: eius facultates Cicero suæ fidei commissas ut hæres relictus seruabat. COR. Volebatisne, ut, quod alij fecerunt, ita uerterem? eius substantias sub tutoris fide seruabat. PIE. Tum fortasse minus latine, sed magis proprie uertisses: quum tutor res pupilli tueatur. COR. Tuetur ille quidem, sed neque pupillum adoptare, neque lucrum ex tutela facere potest. Cicero uero puellam non adoptasset quidem, sed, quod pene plus est, uxorem duxisset, & ex ea tutela magnum lucrum fecisset: quod, quæ fuit uiri fides, nunquàm fecisset: nec ita Plutarchus scripsit, sed hoc modo: κληρονόμοσ ἀπολειφθεὶσ διαφυλάττειν. PIE. Poterat igitur uxoris illa molestia carere, & hæreditatem cernere. COR. Hæres erat secundus. PIE. Ergo suspectus, ut iurisconsulti uocarent.

COR.

COR. *Vir usque adeo bonus fuit, ut, quod in epistolis legimus, eum T. Pinuius tum tutorem, tum secundum hæredem instituerit.* EGN. *Voluit etiam bonum nomen existimari, quum maluit uxorem ducere, & æs alienum uel aliena pecunia soluere, quàm quicquam debere.* COR. *At si aliena pecunia soluisset, deberet: quanquàm, quæ uxoris esset, aliena uere dici non poterat, si modo credimus, Ciceronem uxorem duxisse, ut posset æs alienum dote soluere.* EGN. *An ea de re dubitas, quam Tiro, qui poterat scire, scripsit?* COR. *Non dubitarem, si certo scirem, eam rem Tironem scripsisse: sed uereor, ne Plutarchus Tironem laudet autorem, quem nunquàm uiderit: &, quod inimici Ciceroni solebant obijcere, id ille Tironem, quo magis credatur, scripsisse dicat, & mentiatur: quum uerisimile non sit, eum de suo patrono, cuius, ut qui maxime, studiosus fuit, aliquid, quod uituperari posset, scripsisse, & ab eo, qui causas diuersas ad Plancium scripsit, ut supra retulimus, tantopere dissensisse. Nec Cicero, si ob eam causam, quam dicunt, uxorem duxisset, eam tam cito repudiare, & dotem restituere potuisset: nec ille* πολλάσ μυριάδασ*, ut putat Plutarchus, debuit: qui, quamuis ad bellum ciuile proficiscens, res domesticas impeditas reliquisset, & aliquid etiam Terentia dissipasset, præter tamen pecuniam, quam in Asia habuit, eo tempore creuit hæreditatem, de qua sic ad Atticum scribit: literas tuas accepi Prid. Non. Feb. eoque ipso die ex testamento creui hæreditatem. ex multis meis, & miserrimis curis est una leuata, si, ut scribis, ista hæreditas fidem, & famam meam tueri potest: quam quidem te intelligo etiam sine hæreditate tuis opibus defensurum fuisse. Quòd si Atticus sine illa hæreditate suis opibus uolebat Ciceronis fidem, & famam defendere, multo facilius cum hæreditate illam defendere potuit, ne Cicero cogeretur*

æris alieni soluendi causa iam senex uxorem ducere: quanquam Cicero tam multas uillas, tam multa prædia, tam multas in urbe domos, tam multas denique opes habuit, ut, quod debebat, dissoluere facile posset: præsertim quum paulo post, in epistolis ad Atticum tam multos etiam numos habuisse uideatur, ut facultates Othonis uincere se posse speraret, si Scapulani horti præconi subijcerentur. Tum Cicero se ad Philosophiæ studia retulit, ut ad Ser. Sulpicium scripsit: Tantum dicam, quod te spero approbaturum: me, posteaquàm illi arti, cui studueram, nihil esse loci neque in curia, neque in foro uiderim, omnem meam curam, atque operam ad Philosophiam contulisse. Hoc illud est tempus, quum Cicero tacebat, & diutius tacuisset, nisi Cæsar M. Marcello ueniam dedisset, ut in epistola legimus, quam tunc ad Ser. Sulpicium scripsit: ubi sunt illa uerba. Statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium. Itaque pluribus uerbis egi Cæsari gratias. Iisdem propè temporibus Q. Ligarium defendit, quum libro decimo tertio ad Atticum quo tempore Cæsar cum filijs Pompeij bellum in Hispania gerebat, & Marcellum interfectum fuisse, & orationem, quam pro Ligario dixerat, ad Cæsarem missam fuisse demonstret: cuius uim tantam fuisse Plutarchus affirmat, ut ea Cæsar uictus Ligarium, quem uel in primis oderat, liberarit. Non multo post, inquit Plutarchus, filia decesit, quum apud Lentulum peperisset, cui post Pisonis prioris uiri mortem nupserat. Tunc igitur undique Philosophi ad consolandum Ciceronem conuenerunt. Nam grauiter adeo casum tulit, ut uxorem, quam duxerat, repudiarit, quòd uisa esset Tulliæ morte lætari. De morte, & maritis Tulliæ sic Asconius etiam scribit: Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocauit,

apud quem illa ex partu decessit. Illa uero Crassipedi post Pisonis mortem nupserat, ut supra nos ostendimus: & postea, quum Cicero Proconsul esset in Cilicia, P. Cornelio Lentulo Dolabellæ nupsit, ut in epistolis sæpe legimus. EGN. Id aliàs etiam retulisti. COR. Retuli quidem, sed erant, qui ne credituri quidem essent, nisi rem totam pluribus uerbis in Bruto rursus explicassem. Decessit autem, quum Cæsar in Hispaniam contra Pompeij filios esset profectus, ut in epistolis apparet. An uero Philosophi undique conuenerint ad Ciceronem consolandum, uiderit Plutarchus: nos ex epistolis ad Atticum cognouimus, illum post Tulliæ mortem non domi suæ, sed paucos dies apud Atticum Romæ fuisse, & Asturā postea profectum, sic in solitudine uersatum fuisse, ut ad Atticum scripserit ita: In hac solitudine careo omnium colloquio: quumque mane me in syluam abstrusi densam, & asperam, non exeo inde ante uesperum. secundum te, nihil est mihi amicius solitudine: tantum abfuit, ut eum Philosophi facile potuerint conuenire. Multi quidem ut C. Cæsar, Ser. Sulpicius, & M. Brutus, & alij consolatorias epistolas ad eum scripserunt. EGN. Sed nihil profecerunt. COR. Ipse profecit: qui fecit, quod profectò ante nemo, ut ipse se per literas consolaretur, & de luctu minuendo scripsit: quo de libro sic libro secundo de Diuinatione refert: Quid ego de consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi sanè aliquantum medetur, cæteris item multum illam profuturam puto. EGN. Recte dixit, aliquantum medetur: quòd tum, quum libros de Diuinatione scriberet, aliquantum fortasse illi mederetur, quod ante non uidetur fecisse, quum Lactantius ita dicat: Tum, quum amiserit charissimam filiam, uictum se à fortuna turpiter confitetur. COR. Audite, quid in Tusculanis quæstionibus ipse dicat: Aegritudinis sedatio & hesterna disputatione explicata est, &

in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) mœrore, & dolore conscripsimus: quodque uetat Chrysippus*, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus, naturæq́; uim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris magnitudo concederet. Quòd si magnitudini medicinæ doloris magnitudo concessit, ipsa consolatio multum profecit: quod in epistolis ad* Atticum *sic etiam testatur: Quòd me ipse per literas consolatus sum non pœnitet me, quantum profecerim. mœrorem minui, dolorem nec potui, nec, si possem, uellem.* EGN. *Vt supra, quoquo modo potuisti, probaris in exilio Ciceronem præter modum non doluisse, hic tamen non probabis, ut opinor, eum modice, uel intra modum doluisse, qui se tam ualde doluisse, & à fortuna uictum fuisse fateatur.* COR. *Fatetur item sapientem se non fuisse.* EGN. *His tamen temporibus, ut quum maxime philosophatus est, & ad* Papirium Pætum *scribens, se* Philosophum *non dubitauit appellare.* COR. *Respondere quidem possum, omnes, qui* Philosophi *uocantur, non esse sapientes, sed, illud ut mittam, malo repetere,* Ciceronem*, quamuis eo ipso tempore philosopharetur, tum tamen, quum doleret, sapientem non fuisse: ut* Herculem*, quem poetæ nobis ut hominem sapientissimum describunt, tum, quum fureret, aut seruiret, sapientem negamus appellari potuisse.* EGN. *Noli nos ad fabulas reuocare.* COR. *Ad historiam reuocabo, quam* Plutarchus *etiam refert: Solonem, quum, quod etiam* Thales *finxerat, audisset, filium, quem reliquerat* Athenis*, esse mortuum, prorsus concidisse. Illúmne nos hominem, qui sibi caput percusserit, & omnino muliebriter doluerit, tum sapientem fuisse dicemus?* EGN. *Nos uero dicemus, qui sciamus eum inter septem sapientes numerari.* COR. *Si sapiens ille, qui, quæ diximus, fecit, fuit: Cicero, qui nihil*

eorum fecit, sapientißimus merito debet appellari. EGN. *At ipse se tum sapientem fuisse negat.* COR. *Fortaße negat, ut modestius loquatur: uel in* Tusculanis *quæstionibus negat, quas post Cæsaris cædem scripsit: quo quidem tempore Stoicos potißimum secutus uidetur, ad quorum normam, qui dolent hoc modo, sapientes eße non poßunt: sed antea Cicero quum eßet Academicus, quamuis doleret, sapiens tamen eße poterat Academicorum more, qui mediocritates in perturbationibus probabant, & permotiones istas animis nostris utiliter à natura datas eße dicebant. Hinc Crantor Academicus dixit: Minime aßentior ijs, qui istam nescioquam indolentiam magnopere laudant, quæ nec potest ulla eße, nec debet. Meminerat etiam Cicero, quamuis Philosophus eßet, se tamen & hominem, & oratorem eße, & sic hominis, & oratoris, qui sæpe dolent, personam sustinere. Quin uerebatur fortaße, ne, quemadmodum* Demosthenes *ab* Aeschine*, sic ipse ab aduersarijs accusaretur, nisi filiam talem quasi de more luxißet.* EG. *Si de more luxißet, ferri poßet: sed ille neque morem, neque modum seruauit.* COR. *Eodem tempore patriam lugebat. Itaque dolor ille duplicatus omnem consolationem uincebat: quanquàm sum ueritus interdum, ne Cicero, quem uel Atticus in* Bruto *uocat* εἴρωνα*, se plus dolere, quàm re uera doleret, simularit, ut per eam causam liberius abeße poßet: quod tamen in epistolis ad Atticum sic indicat: Quòd me in forum uocas, eò uocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam: Quid enim mihi cum foro sine curia? in oculos incurrentibus ijs, quos æquo animo uidere non poßum? Quòd autem homines à me postulare scribis, ut Romæ sim, neque mihi, ut abßim, concedere, aut quatenus eos concedere, iampridem scito eße, quum unum te pluris, quàm omneis illos putem. ne me quidem contemno, meoq; iudicio multo stare malo, quàm omnium re-*

liquorum. neque tamen progredior longius, quàm mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solum (quod ipsum erat fortis ægroti accipere medicinam) sed in mea etiam scripta transtuli: quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. Idem sæpe refert adeo, ut illum nos quidem doluiße concedamus, sed quod de exilio supra diximus, idem propemodum de Tulliæ morte dicendum iudicemus. EGN. Vereor, ne tuum iudicium rescindatur, si quis alios iudices appellet. COR. Nullos ego iudices reijciam, aut recusabo, dum ne Græci iudices sedeant, aut testimonium dicant. Nam Ciceroni Græcos omneis iam nunc iniquos eiuro: quum dedita opera mentiri uoluiße uideantur: ut Plutarchus, qui Ciceronem nouæ uxori nuncium, quòd Tulliæ morte lætari uisa fuißet, statim remisiße contendit: quam nos in epistolis ad Atticum multo post tempore cum Cicerone uixiße uideamus: ut Dion, qui scribit ita: Ne illam quidem retinuisti, ut Cerelliam licenter habere poßes, quã tanto te ipso maiorem natu, quanto minorem puellam duxeras, stuprasti: ad quam tales epistolas scribis, quales scurra dicax ad fœminam septuagenariam mordens scriberet. Nõ puduit hominem Græcum hæc ipsa de Cicerone mentiri: qui non modo Popiliam Cerelliæ causa non repudiauit, sed etiam Cerelliam à Popilia, ut ex libro decimo quarto ad Atticum collegimus, legatam missam non inuitus audiuit. Quòd si qua suspicio fuisset, non ea potißimum legata Popilia, uel mater eius uti uoluisset: quanquàm ne suspicio quidem esse potuit, ne Cicero mulierem uetulam puellæ diuiti, quam nuper uxorem duxisset, anteferret: præsertim quum uir is esset, qui uere sic ad Papirium Pætum scribere potuerit: Me uero nihil istorum ne iuuenem quidem mouit unquàm, nedum senem. Et sanè non legimus Ciceronem iuuenem rebus hisce delectatum fuisse, tantum abest, ut

credere debeamus, illum iam senem cum muliere uetula consuetudinem habere uoluisse: qui ne uxorem quidem iuuenem rus eo tempore uenire uolebat, ne cum illa esse cogeretur. Ille tamen Cerelliam non ut amicam, sed ut necessariam, quemadmodum scribens ad Seruilium uocat, dilexit, & quòd ei nescioquid debebat, & quòd eã studio philosophiæ flagrare cognoscebat, quod in epistolis ad Atticum testatur. EGN. Tu uide, ne potius ipse rerum naturalium studio flagraret. COR. Ille quidẽ libro secũdo de Diuinatiõe scribit ita: Ad reliqua acri ten debamus animo sic parati, ut, nisi quæ causa grauior obstitisset, nullum Philosophiæ locum pateremur, qui non Latinis literis illustratus pateret: sed ita iam senex, itaq; planè frigidus erat: ut, quamuis ad ignem accederet, ne calescere quidem poßet, quum præsertim non eßet ignis ille tantus, ut de suo lumine lumen alterius ita facile poßet accendere: nec omnes præterea, qui ueniunt ad ignes huiuscemodi, semper calescunt, quamuis hominibus, qui credunt omnia, calescere uideantur. EG. Illi fortasse sunt ex Hirpijs familijs oriundi. COR. Vnde sint oriundi, nos quidem nescimus: sed multos certe nouimus, & uos, qui seniores estis, plures, ut puto, nostis, qui frequenter ad ignes taleis accedant, neque tamen unquàm calescant. EGN. Et si difficile uidetur, ne tamen amplius hac in re tecum pugnemus, hoc ipsum concedemus, si prius ita quæsiuerimus: Cur igitur ad eam tales epistolas scribebat, in quibus Ausonius etiam petulantiam notauit? COR. Vir aptißimus ad iocandum iocari uoluit: quod in illis epistolis ita fecit, ut Quintilianus, & alij, qui melius, quàm Græculus ineptus, & Gallus non satis aptus, iudicare poterant, in ea re Ciceronem laudarint, non etiam turpes amores, aut petulantiam notarint. EGNAT. Per nos ex hoc loco iam potes exire. COR. Ego uero libenter exibo, si, ut ueni, licet exire.

EGN. *Iocare, uel etiam, si lubet, lude, & rimas omnes quære, nullam tamen hodie reperies, nisi numos omnes dederis, ut illud seruetur: si quis habet numos, ueniens, exibit inanis.*
COR. *Fatcor. Nam quum plenus huc ego uenerim, inanis, ut uideo, cogar exire: quanquàm operam dabo, ne prorsus inanis reuertar, quod eße turpißimum* Cicero, *mutuatus ab* Homero, *in libris de officijs ad filium, qui tunc erat* Athenis, *scripsit.* PIE. *Filium Ciceronis Athenis eo tempore fuisse sciunt omnes, sed quo tempore mißus eò fuerit, uideo poße dubitari, nisi tu pluribus uerbis ordinem, quem dicebas, explicaris.* COR. *Explicabo; quum prius dixero, quod etiam* Plutarchus *affirmat: Ciceronem perfeciße, ut* Cratippus *Peripateticus à Cæsare iam Remp. tenente ciuis* Romanus *fieret: item perfeciße, ut Areopagitæ illum decreto rogarent, ut Athenis maneret, & disputando iuuenes erudiret, ut qui urbem ipsam eßet exornaturus.* Id igitur Cicero *quum effecißet, Athenas filium* Cal. April. C. *Cæsare,* Q. *Maximo Consulibus ita misit, ut annuum tempus* Cal. Apr. M. *Antonio,* P. *Dolabella Consulibus libro decimo quinto ad* Atticum *confectum esse dicatur.* Hinc *libros de officijs quum scriberet, dixit, illum annum iam audientem* Cratippum, *idque* Athenis *abundare præceptis oportere.* Illi Cicero *ex* Argileti, *&* Auentini *mercedibus octuaginta sestertia; hoc est, ut nunc subducunt, aureorum numorum duo millia suppeditabat: quod in epistolis ad* Atticum *demonstrat.* Tum Cicero *literas, ut* Plutarchus *refert, alias ad* Hærodem, *alias ad filium scripsit: in quibus mandauit, ut & cum* Cratippo *philosopharetur, & à consuetudine* Gorgiæ Rhetoris, *qui uoluptatibus, & compotationibus illum corrumpebat, prorsus abstineret.* Hinc Cicero *sic ad* Atticum *scribit: Leonidæ epistola, quam ad me misisti, quid habet quæso, in quo magno pere lætemur? nunquàm*

ille mihi satis laudari uidebitur, quum ita laudabitur: quo modo nunc est. Non est *fidentis hoc testimonium, sed potius timentis.* Herodi *autem mandaram, ut mihi* κατὰ μίτον *scriberet: à quo adhuc nulla litera est.* Vereor, *ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognossem, iucundum putaret fore.* De *Cratippo uero, de erratis ætatis, & de* Gorgia *Cicero filius ad* Tironem *plura scripsit: quæ uidere quiuis poterit.* Catonis *etiam laudationem, quamuis aliquot fortasse diebus ante, sed certe post Africum bellum, in quo* M. *Cato se interfecit, scripsisset, his tamen temporibus ita libro duodecimo ad* Atticum *nominauit:* Q*ualis futura sit* C*æsaris uituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem* Hircius *ad me misit, in quo colligit uitia* Catonis*, sed cum maximis laudibus meis: item,* Hircij *epistolam si legeris, quæ mihi quasi* πρόπλασμα *uidetur eius uituperationis, quam* C*æsar scripsit de* Catone, *facies me, quid tibi uisum sit, si tibi erit commodum, certiorem: item libro decimo tertio:* Legi C*æsaris epistolam: multa de meo* Catone*: quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum:* Bruti Catone *lecto, se sibi uisum disertum.* Nam M. Brutus, & Fabius Gallus *etiam de* Catone *scripserunt.* Quin Cicero *rogatus à* Bruto *suum scripsit, ut sic in* oratore *docet:* Hoc *sum aggressus statim* Catone *absoluto, quem ipsum nunquàm attigissem, tempora timens inimica uirtuti, nisi tibi hortanti, & illius memoriam mihi charam excitanti, non parere nefas esse duxissem.* Quòd *autem tum* φιλοσοφούμενα *potissimum scripserit, ut in ordine nostro supra posuimus, & postea* C*æsarem ex* Hispania *reuersum hospitio acceperit, ipse libro decimo tertio ad* Atticum *demonstrat.* Neque Cicero *tum primum, ut* Plutarchus *putat, historiam scribere cogitauit: quum, quod libro secundo ad* Atticum *legimus, uel ante exilium se historiæ daret, & multa* Theo-

pompino genere pangeret: & ipse libro primo de legibus ita prius etiam scripserit: Postulatur à te iamdiu, uel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studijs, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea, quæ salua per te est, per te eundem sit ornata. Abest enim historia literis nostris, ut & ipse intelligo, & ex te persæpe audio. Potes autem tu profectò satisfacere in ea: quippe quum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime. Sed iam tempus est, ut ad Plutarchum reuertamur: Coniurationis, inquit, in Cæsarem particeps non fuit, quamuis Bruti amicißimus esset, & iniquo animo præsentem statum ferret, ac, ut qui maxime, ueterem desideraret. Sed illi uiri quum illius naturam ut minus audacem, tum tempus, in quo robustißimis naturis audacia deesse solet, timuerunt. M. tamen Antonius dixit, Cæsarem consilio Ciceronis interfectum fuisse. EGN. *Id in Philippicis ipse negat.* COR. *Negat ille quidem, sed in Bruto sic ipso Bruto præsente ciuitatis cladem deplorat, ut illum prorsus ad liberandum Remp. inuitare uideatur. Quòd si uel in scriptis id ipsum faciebat, quanto magis illum, quum secreto loqueretur, id fecisse putare debemus? Non sine causa interfecto Cæsare statim cruentum extollens alte M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamauit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus.* EGN. *Nunc Ciceronem, quem semper defendere soles, accusas.* COR. *Ego uero, ne scriptor Græcus eum timidum, quòd inter coniuratos numeratus non sit, appellet, defendo, & laudo, quum Bruto, ut libertatem recuperaret, autorem fuisse contendo.* EGN. *Si fuisset, ut erat gloriæ cupidus, aliquando diceret.* CO. *Non*

erat stultus, ut illi, qui quum in ea societate non fuissent, se tamen fuisse iactabant. EGN. Stultus dici non posset, si se facti uel autorem, uel participem fuisse diceret, quod ille pulcherrimum, gloriosissimumq; solet appellare. COR. Minus prudens certe uideri potuisset, si diceret, quod ipsi, & Reip. damni multum, sed utilitatis aut nihil, aut parum poterat afferre. Nam si dixisset, ueteranos milites, cæterosq; Cæsarianos inimicos haberet, & ita non posset de pace tractare: quod tamen ipsum uix ita potuit uitare: ut ad C. Caßium postea scribens, ostendit: M. Antonius cædis initium quærit, nullamq; aliam ob causam me autorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me ueterani incitentur. Si quis tamen aliter sentit, is credat, quod uelit, dum ne Græcis assentiatur, Ciceronem timidum fuisse; quem nos nec antea timidum, & temporibus illis fortißimum fuisse uideamus. Quum igitur, inquit Plutarchus, Brutus, Caßius, & reliqui rem peregissent: &, amicis Cæsaris conuenientibus, periculum esset, ne ciuitas in bellum ciuile rursus incideret, Antonius Consul senatum conuocauit, & de concordia pauca uerba fecit: Cicero uero pluribus uerbis, ut tempus postulabat, amice locutus, senatui persuasit, ut Athenienses imitatus, eorum, quæ propter Cæsarem facta fuerant, obliuionem decerneret, & prouincias Caßio, Bruto, & reliquis diuideret. Sed horum nihil est perfectum. Ciues enim, qui sua sponte misericordia commoti fuerant, ut cadauer per forum uiderunt efferri, quum M. Antonius illis uestem sanguine refertam, & gladijs perforatam ostenderet, ira, & furore correpti, percussores in foro quærebant: & habentes ignem, ad domos, ut incenderent, cucurrerunt. Illi uero periculum hoc diligentia uitarunt: & alia multa, & magna quum timerent, urbem reliquerunt. Post Cæsaris interitum multa sunt

prætermissa, quæ uidemus in epistolis ad Atticum, & ad Brutum potissimum referri: ne nos hic ponamus, & historiam pro Quæstura referamus. Liberalibus autem, idest post diem tertium M. Antonius Consul, ut in Philippicis, & in epistolis ad Atticum legimus, in ædem Telluris uenit, & senatum conuocauit, ubi facta sunt, quæ Plutarchus hoc loco refert: qua de re sic in Philippica prima scriptum uidemus: à Rep. non deijciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris conuocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumq; renouaui uetus exemplum, Græcum etiam uerbum usurpaui, quo tum in sedandis discordijs erat usa ciuitas illa: atque omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censui. De die, quo prouinciæ diuisæ sunt, hic, & in Bruto secum Plutarchus ipse dissentit: ne, quæ Dion, & Appianus hisce de rebus scribunt, conferamus. satis est, quod ad Atticum Cicero scribit, referre: Liberalia accusas: quid fieri tum potuit? iampridem perieramus. meministine te clamare, causam perisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus, laudatusq; miserabiliter: seruiq;, & egentes in tecta nostra cum facibus immissi: quæ quidem omnia multis uerbis in Philippicis explicantur. In ijsdem Philippicis, & epistolis, cur ex urbe, & quò Brutus, Cassius, & reliqui coniurati discesserint, demonstratur. Statim igitur, ut ait Plutarchus, Antonius elatus, ut regnaturus quum reliquis omnibus, tum potissimum Ciceroni terrori esse cœpit. Nam quum illius in Rep. potentiam rursus esse confirmatam uideret, & illum Bruti studiosum esse sciret, & illum tunc oderat, & prius etiam nescioquid suspicionis inter eos propter uitæ dissimilitudinem, & differentiam fuerat. Hæc Cicero ueritus, primum quidem Dolabellæ legatus in Syriam nauigare uoluit: deinde, quum Hircius, & Pansa, qui post

Antonium futuri Consules erant, uiri boni, & Ciceronis æmulatores, illum, ne se desereret, rogarent, pollicentes, se M. Antonium ipso præsente depressuros, ille neque diffidens omnino, neque fidens, Dolabellam quidem dimisit, sed Hircio, & Pansæ pollicitus Athenis æstate se mansurum, & quum illi magistratum iniissent, reuersurum, solus ipse nauigauit. Facta uero nauigationi mora, nouisq; Roma sermonibus, ut fieri solet, allatis, M. Antonium pœnituisse, mirabilem mutationem facere, omnia de sententia senatus administrare, sed ipsius præsentiam, quo minus optimum statum res habeant, deesse: ille suam ipsius multam cautionem detestatus, Romam rediit: nec spes eum primo fefellit, tanta hominum multitudo ei obuiam processit, & ita totum pene diei tempus ante portas, & in introitu dextræ iunctæ, & complexus consumpserunt. Postero uero die M. Antonio senatum conuocante, & ipsum uocante, non uenit, sed iacuit, ex labore se fingens ægrotare. Nam uere periculum in senatu ex suspicione quadam, & indicio, quod illi in uia factum fuerat, esse uidebatur. Id Antonius propter contumeliam grauiter tulit, & milites misit, quibus imperauit, ut eum ducerent, uel domum euerterent. Verum multis instantibus, & rogantibus, pignora quum cepisset, quieuit. Sic illi deinceps inter se non admodum turbulente, sed caute dissenserunt. Hæc ipsa Cicero scribens ad Brutum, complexus est ita: Post interitum Cæsaris, & uestras memorabiles Idus Martias Brute quid ego prætermissum à uobis, quantamq; impendere Reip. tempestatem dixerim, non es oblitus. Magna pestis erat depulsa per uos, magna populi Romani macula deleta, uobis uero parta diuina gloria, sed instrumentum regni delatum ad Lepidum, & Antonium: quorum alter inconstantior, alter impurior, uterque pacem metuens, inimicus otio. His ardentibus pertur-

bandæ Reip. *cupiditate, quod opponi posset, præsidium, non habebamus.* Erexrat *enim se ciuitas in retinenda libertate consentiens.* Nos *tum nimis acres, nos fortasse sapientius excessistis urbe ea, quam liberaratis. Italiæ sua uobis studia promittenti remisistis. Itaq; quum teneri urbem à parricidis uiderem, nec te in ea, nec* Caßium *tuto esse posse, eamq; armis oppressam ab* Antonio, *mihi quoque ipsi esse excedendum putaui. Sed animus idem, qui semper infixus in patriæ charitate, discessum ab eius periculis ferre non potuit.* Itaque *in medio* Achaico *cursu, quum etesiarum diebus auster me in* Italiam, *quasi dissuasor mei consilij retulisset, te uidi* Veliæ, *doluiq; uehementer. Cedebas enim* Brute, *cedebas; quoniam* Stoici *uestri negant fugere sapientis.* Romam *ut ueni, statim me obtuli* Antonij *sceleri, atque dementiæ.* Sed *quoniam possunt hæc è* Philippicis, *& epistolis, ubi describuntur, peti, pauca tantum conferemus.* Insolentiam M. Antonij *Consulis quum alibi sæpe, tum ad* L. Plancum *scribens, ostendit: de* M. Bruti, *& aliorum coniuratorum discessu præter* Ciceronem Paterculus, *& alij multa scribunt: de suspicione, siue causa inter* Ciceronem, *&* Antonium *in* Philippicis *plura dicuntur.* An *uero* Cicero Dolabellæ *legatus in* Syriam *nauigare uoluerit, uiderit* Plutarchus, *qui scribit: nos in epistolis ad* Atticum *sic scriptum uidimus:* Dolabella *me sibi legauit ad* IIII. Non. Apr. *id mihi heri uesperi nunciatum est.* EGN. *Id etiam* Plutarchus *uiderat, ut apparet, ne tu nunc dicas, uiderit.* CO. *Ille quidem fortasse uiderat, sed, ut in rebus hisce parum diligens fuit, non uidetur intellexisse, quam legationem* Cicero *significaret.* EGN. Quum Dolabella *Consul* Syriam *prouinciam sortitus esset, quam potuit aliam legationem, quàm* Syriacam *significare?* COR. *Vt mittam, uerisimile non esse,* Ciceronem, *qui neque* Cæsaris, *neque* Pompeij *legatus*

in prouincijs esse uoluisset, tunc Dolabellæ *legatum in Syriam nauigare uoluisse, si legationem Syriacam significasset, à* M. Antonio *nihil erat cur eam peteret: & tamen in epistolis ad* Atticum *se petisse sic ostendit:* Scripsi *ad* Antonium *de legatione, ne, si ad* Dolabellam *solum scripsissem, iracundus homo commoueretur, & prius à* Cæsare *petierat.* Legationem *uero liberam significat, de qua sic ad* Atticum *scribit, ubi de* Dolabella *loquitur: habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege* Iulia*, nec facile addi potest: idque adeo genus legationis, ut, quum uelis, introire, exire liceat. hinc in prima* Philippica *dixi.: quum haberem ius legationis liberum, discessi ea mente, ut adessem* Cal. Ian. *quod initium senatus cogendi fore uidebatur.* Quæ Plutarchus *de* Hircio*, &* Pansa *refert, ea uellem diligentius scripsisset, nec eos uiros bonos appellasset, nec eos dixisset pollicitos fuisse, se* M. Antonium *depressuros: quum semper antea* Cæsariani *fuissent, & tunc ocium timerent ita, ut neque bene audirent, neque* M. Antonium *se depressuros pollicerentur; ut in epistolis ad* Atticum Cicero *demonstrat, quicquid in* Philippicis*, & alibi, scenæ seruiens, dicat.* In Græciam *uero* Cicero *proficiscebatur, quum ut cædis impendentis periculum uitaret, tum ut in studijs filium confirmaret; quæ fuit à principio sola causa profectionis, quum consilium cepit à* Cæsare *legari, quod in epistolis ad* Atticum *scribit, quoquo modo in prima* Philippica *consilium profectionis, & reuersionis exposuerit. Ac præter ea, quæ de reuersione refert ibi pluribus uerbis, quàm ut sint referenda, sic ad* Atticum *scribit:* VIII. Id. Sext. *quum à* Leucopetra *profectus (inde enim transmittebam) stadia circiciter* CCC. *processissem, reiectus sum austro uehementi ad eandem* Leucopetram. *Ibi quum uentum expectarem (erat enim uilla* Valerij *nostri, ut familiariter essem; & li-*

benter) Rhegini quidam illustres homines eò uenerunt Roma, sanè recentes, in his Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. hæc afferebant, edictum Bruti, & Cassij, & fore frequentem senatum Cal. à Bruto, Cassio literas missas ad Consulares, & Prætorios, ut adessent, rogare. summam spem nunciabant, fore, ut Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quæ quum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, quò mehercule ne antea quidem delectabar. Atque inde, ut ad Cornificium scribit, uentis, remisq; in patriam omni festinatione properaui, postridieq; in summa reliquorum seruitute liber unus fui. Sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret. Quod si Cicero postridie, quàm uenit, in Antonium inuectus est, Antonius non postero die, sed eodem die, quo Cicero uenit, senatum conuocauit: et si M. Antonius eodem die senatum conuocauit, & tam multa dixit, & fecit, quàm multa in prima Philippica referuntur, non est ille dies iungendis dextris, & complexibus consumptus, ut Plutarchus affirmat. EGN. Res admodum leues notas, & Ciceronis laudem minuis. COR. Ego uero res admodum graues noto, & Ciceronis laudem cumulo. Nam fateor, ei plures obuiam prodisse, quàm quos uno die complecti potuerit: & scriptoris prudentiam requiro, qui quod fieri neque soleat, neque possit, scribat. EGN. Venetijs quidem fieri neque solet, neque potest: quum uiris magnis in urbem uenientibus ita cymbis, alijsq; nauiculis obuiam procedamus, uix ut eos occurrentes salutare, nedum complecti, possimus: sed Romæ fortasse fieri solebat, & poterat. COR. Plutarchus, & Appianus ita uidentur credidisse: sed neque fieri solebat, ut ad Atticum Cicero de suo reditu ab exilio scribens, ostendit: neque poterat, nisi, qui ueniebant,

ex equis,

ex equis, aut lecticis, aut rhedis, quibus ueherentur, descendissent: quod Cicero tum senex, & de uia languens, uix facere potuisset. Verum, quod uult Plutarchus, fecerit, ille quo pacto defendet, Antonium milites misisse, quibus imperarit, ut uel Ciceronem ducerent, uel domum eius euerterent: quum milites non miserit, sed in senatu, cum fabris se domum Ciceronis esse uenturum dixerit? Id in prima Philippica Cicero scribit, & ita repetit in quinta.: Huc etiam nisi uenirem Cal. Septemb. fabros se missurum, & domum meam disturbaturum esse dixit. Et Plutarchus quum hæc male considerauit: tum, quod sequitur, etiam peius coniunxit. nam coniungit hoc modo: Post Ciceronis reditum, M. Antonius, & ipse Cicero dissenserunt, donec Cæsar iuuenis Apollonia uenit: qua si uero post reditum Ciceronis, hoc est post Cal. Septemb. Apollonia Cæsar uenerit, qui libro decimo quarto ad Atticum uel ante Id. Apr. uenisse dicatur. Quæ præterea Plutarchus ibi de Cæsare scribit, ea nos iccirco non uertimus, quod ad Ciceronis uitam parum, uel nihil pertinere uideantur, nisi forte somnium, quod refert de ipso Cæsare, pertineat: de quo tamen ille non minus, quàm de Cæsaris Octauiani matre uoluit à Suetonio, qui scripserat ante, dissentire. At Plutarchus, credo, putauit, Ciceronem, quem multi solent hac in parte uehementer accusare, posse defendi, si diceretur ei tantum fauisse, quem uidisset in somnijs finem bellis ciuilibus impositurum. Sed somnium est, nec Cicero somnio defendi debet, qui somnia contemnebat, & id fortasse nunquàm somniauit, certe non credidit, quum sic ad Atticum scripserit: Nobiscum hic perhonorifice, & amice Octauius: quem quidem sui Cæsarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem: quem nego posse bonum ciuem. Item: Octauiano, ut perspexi, satis ingenij, satis animi: uidebaturq; erga nostros ἥρωας ita fore, ut

R

nos uellemus, animatus: sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hæreditati, quid κατηχήσει, *magni consilij est. & ne quis dicat, cur igitur ipse postea credidit, sic addit: sed tamen alendus est, &, ut nihil aliud, ab* Antonio *seiungendus.* Nam *uir prudentissimus, quum uideret* Brutum, *Cassium, reliquosq́; coniuratos post Cæsaris interitum nihil eorum, quæ debuerant, in urbe gessisse, ex urbe discedisse,* Italiæ *sua studia remisisse, nec eos quicquam facere, sed* Brutum, *Cassiumq́; quod in epistolis ad* Atticum *queritur, ad* Eurotam *sedere, uerebatur, ne, si* M. Antonius, & Octauianus *coniungerentur,* Resp. *cui nemo succurrebat, opprimeretur.* Itaque M. *Antonium ructantem, & nauseantem in Cæsaris Octauiani plagas, ut scripsit ad* Cornificium, *coniecit. Plutarchus tamen, quum somnium narrasset, & posuisset etiam, adolescenti fauere cœpisse, quòd in eius* Consulatu *natus esset, sic addere non dubitauit: Primum* M. *Antonij odium Ciceronem, deinde natura, quæ facile uinceretur ab honore, Cæsari conciliauit, existimantem, se in* Rep. *potentia illius usurum. nam sic adolescenti se subiecit, ut adolescens illum patrem uocaret.* Vnde Brutus *stomachans, in epistolis ad* Atticum *Ciceronem reprehendit, quòd Antonij metu Cæsarem foueat, & ostendat, se patriæ non libertatem, sed dominum sui studiosum quærere. Ille uero non Antonij odio potius, quàm libertatis studio, nec honore, sed amore patriæ uictus, Octauianum cœpit adiuuare: nec illi se subiecit, sed ab eo sæpe rogatus,* Reip. *causam suscepit.* Nec *alteri se subijcit, qui pater uocatur, & ut pater imperat, & regit, ut ad* Brutum Cicero *scribens ostendit: Cæsaris pueri mirifica indoles uirtutis. Vtinam tam facile eum florentem, & honoribus, & gratia, regere, ac tenere possimus, quàm facile adhuc tenuimus. Alibi quoque sæpe Cæsarem suis consilijs gubernatum fuisse testatur. Quare*

multo prudentius Brutus *scripsit, quàm* Plutarchus *descripsit: Licet ergo patrem appellet* Octauius Ciceronem, *referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit, uerba rebus esse contraria.* Quanquàm Brutus *ipse quoque* Ciceronem *reprehendit, nec uidet, omnem se culpam sustinere.* Nam *multa prætermisit, quæ si fecisset ille,* Resp. *in id periculum non incidisset.* Itaque Cicero *sic ad* Atticum *scribens, queritur:* Itáne *uero? hoc meus, & tuus* Brutus *egit, ut* Lanuuij *esset? ut* Trebonius *itineribus deuijs proficisceretur in prouinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata* Cæsaris *plus ualerent, quàm si ipse uiueret? meministine me clamare, illo ipso primo capitolino die, senatum in* Capitolium *à* Prætorlbus *uocari?* Dij *immortales, quæ tum opera effici potuerunt, lætantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus?* Item Caßius *querebatur, amissas occasiones: & illud addebat: oportuisse senatum uocari, populum ardentem studio uehementius incitari, totam suscipere* Remp. *Hæc, & alia multa, quæ* Cicero *solet in epistolis ad* Atticum *significare,* Brutus *in urbe prætermisit: deinde quum deberet urbem, quam liberarat, defendere, ueluti* Pompeius *alter, eam reliquit: ut* Antonius, *ueluti* Cæsar *alter, in ea potentior fieri posset.* Quumque Brutus *urbe ceßisset, ut* Pompeium *prorsus imitaretur, nec delectum habuit, &* Italiæ *sua studia promittenti remisit, nec ita multo post ex* Italia *disceßit, & quidem quo tempore* Resp. *illius opera iuuari multum, uel fortasse liberari potuisset.* Nam *quum* Cicero M. Antonium, & Cæsarem Octauianum *quasi commisisset, utrunque uel alterius auxilio præsens opprimere, & ita patriam liberare potuisset.* Hinc Cicero *sic ad* Atticum *scribens, exclamat: ò* Brute *ubi es? quantam* εὐκαιρίαν *amittis? Sed ille disceßit, nec unquàm postea, quamuis eum* Cicero *sæpe reuocarit, in* Italiam

uoluit reuerti. Quòd si Ciceroni paruisset, & exercitum, quē pararat, in Italiam duxisset, nunquàm triumuiri Remp. quem admodum postea fecerunt, occupassent. Ille tamen epistolas scripsit: quas qui legunt hodie, putant, & assentiuntur Bruto Ciceronem, quòd Octauianum fouerit, si Dijs placet, esse reprehendendum. sed illas, opinor, Cicero discidisset, si, quæ scribuntur in illis, à quoquam probatum iri putasset: uerùm quum uideret ea nullo negotio posse confutari, uoluit illas epistolas inter suas reponi: ut posteri possent, quàm bene scripsisset ille, iudicare. EGN. Ergò multi bene scripsisse iudicant. COR. Vos, ut puto, non ita iudicatis: ego certè, quæ scribit ille, uel hoc ipso loco facile confutarem, nisi res ipsa, quæ penè loquitur, confutaret. EGN. Non ita loquitur, ut omnes audiant. COR. Ita certe loquitur, ut quiuis intelligat, eum, qui sit ipse Brutus, operam dare, ut etiam Ciceronem brutum faciat: sed ille purus est ita, ut nullis sordibus poßit inquinari. At M. Brutus uir bonus fuit. Auunculus eius etiam M. Cato uir bonus fuit, sed tamen ille animo optimo utens, & summa fide, nocebat interdum Reip. ut ad Atticum Cicero scripsit: sic Brutus uir quidem bonus fuit, sed tum Stoicos, & Catonem nimis imitari uoluit. Itaque quum Ciceroni, quem uel ipse omnium prudentißimum uocabat, parere noluisset, Remp. cui non succurrit, ut debebat, perdidit. Ille tamen Ciceronem, qui Remp. mordicus, ut aiunt, tenebat, ac defendebat, non dubitauit accusare: quòd ad Octauianum suppliciter, ac demisse nimis scriberet. Illi Cicero, si posset, id, ut puto, responderet, quod Attico de Cæsare tale quid obijcienti rescripsit: Quum ad pacem hortarer eum præsertim hominem, non uidebar ullo modo facilius moturus, quàm si id, ad quod eum hortarer, conuenire eius sapientiæ dicerem: eam si admirabilem dixi, quum eum

ad salutem patriæ hortabar, non sum ueritus, ne uiderer assentari, cui tali in re libenter me ad pedes abiecissem. Id Aiax non faceret, scio, sed faceret Vlysses, qui tamen in bello Troiano non minus laudis, quàm Aiax, uidetur esse consecutus. Cicero certe, qui Reip. ut qui maxime, studiosus fuit, iuuenem, qui tunc ei multum prodesse posset, suppliciter, ac demisse, quemadmodum Brutus ait, inuitare non dubitauit. At eum nimis extulit. Si Brutus ei paruisset, illum, recuperata Rep. curasset, ut etiam credunt illum dixisse, tollendum. sed alias hac de re fortasse plura dicemus, nunc ad Plutarchum redeamus. Filium Ciceronis Athenis operam Philosophis dantem quum Brutus accepisset, ei ordinem ducẽdum dedit: eumq; multis in rebus opera illius usus, instituit. Tunc in urbe Ciceronis potentia maxima fuit. nam, quæcunque uolebat, assecutus, Antonium per factionem uictum eiecit: & duos Consules Hircium, & Pansam, qui bellum cum illo gererent, emisit. Senatui præterea persuasit, ut Cæsari lictores, & imperatorum ornamentum tanquàm pro patria pugnanti decerneret. De filio Ciceronis ita Brutus scripsit: Cicero filius tuus sic mihi se probat industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquàm dimittere uideatur cogitationem, cuius sit filius. Quare, quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est charißimus, illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Item, filius ualet, & in Macedoniam cum equitatu præmissus est, quod alibi quoque repetit. Hinc in Philippica decima Cicero dixit ita: Legio, quam L. Piso ducebat legatus Antonij, Ciceroni se filio meo tradidit. Sed de patre loquamur, qui quàm potens eo tempore fuerit, in Philippicis ostendit, ne nos hic plura recitemus: quanquàm tacere illud non possumus: XIII. Cal.

Ian. primum Quirites fundamenta iacta sunt Reip. fuit enim longo interuallo ita liber senatus, ut uos aliquando liberi essetis: quo quidem tempore, etiamsi ille dies uitæ finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam fructum, quum uos uniuersi una mente, atque uoce iterum à me conseruatam esse Remp. conclamastis. Nam Cicero quum libere locutus est, tum curauit, ut Octauianus Antonium Brundusio reuertentem ab urbe auerteret, quod in Philippicis sæpe testatur. hinc ad M. Brutum scribit ita: *Dico, Cæsarem hunc adolescentem, per quem adhuc sumus, si uerum fateri uolumus, fluxisse ex fonte consiliorum meorum. huic habiti à me honores nulli quidem Brute, nisi debiti, nulli, nisi necessarij. Vt enim primum libertatem reuocare cœpimus, quum se nondum ne Decimi quidem Bruti diuina uirtus ita commouisset, ut iam id scire possemus, atque omne præsidium esset in puero, qui à ceruicibus nostris auertisset Antonium, quis honos ei non fuit decernendus? quanquàm ego illi tum uerborum laudem tribui, eamq; modicam. Decreui etiam imperium: quod quanquàm uidebatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitũ habenti necessariũ. Quid enim est sine imperio exercitus?* Sed de Cæsare Octauiano, item de Hircio, & Pansa Cõsulibus, de Ciceronis periculo, de legatiõe ad Antoniũ ab eo recusata, deq; alijs huiuscemodi rebus, in Philippicis & epistolis plura scribũtur. Quare nos ordinẽ Plutarchi sequamur: Quũ, uicto quidẽ Antonio, sed Cõsulibus mortuis, omnes milites ad Cæsarem ex pugna conuenissent, senatus iuuenem, & bona fortuna usum ueritus, milites ipsos honoribus, & præmijs reuocare, ipsiusq; potentiam minuere tentauit, tanquàm propugnatoribus, Antonio fugato, non indigeret. Hac de re Cicero sic ad M. Brutum scripsit: *Consules duos, bonos quidem, sed dúntaxat bonos, amisimus. Hircius quidem in ipsa uictoria occidit, quum paucis diebus magno*

prælio ante uicisset. nam Pansa fugerat uulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hostium Brutus persequitur, & Cæsar. hostes autem omnes iudicati, qui M. Antonij sectam secuti sunt. Item, Ciuitas recreata ad XII. Cal. Maij te huc uenire, quàm se ad te ire malebat. quo quidem die magnorum meorum laborum, multarumq; uigiliarum fructum cepi maximum, si modo est aliquis fructus ex solida, ueráq; gloria: nam tantæ multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. à qua usque in Capitolium deductus, maximo clamore, atque plausu in rostris collocatus sum. Hæc Plutarchus omisit, & illud item, quod de Decemuiris ad D. Brutum Cicero scribit: Quod Segulius ait, ueteranos queri, quòd tu, & Cæsar in Decemuiris non essetis: utinam ne ego quidem essem: quid enim molestius? Plutarchus igitur de Ciceronis Decemuiratu tacet, & id, quod considerabimus, refert: Ciceronem cum Cæsare Consulem fieri uoluisse: quod ei Cæsar ipse persuasisset, fore, ut, si Consules ipsi fierent, quum se, tum res omnes ad arbitrium suum regeret: sed ab eo deceptum, tum demum congouisse, se, populiq; libertatem concidisse. Idem propemodum Dion, & Appianus affirmant, quamuis Dion sibi parum constare uideatur: dum postea scribit, Ciceronem, ei, qui, stricto gladio, dixerat, si uos Cæsari Consulatum non dabitis, hic dabit: respondisse: si uos ita rogabitis, ipsum capiet: idquæ etiam postea causam necis illi fuisse. Sed nos ostendemus, Ciceronem & in ea re Cæsari semper aduersatum fuisse, & nihil eo tempore de Consulatu cogitasse. E GN. M. tamen Brutus audiuit, illum Consulem factum fuisse. COR. Audiuit, quia Romæ sermo fuerat, de quo Cicero sic in Philippicis ait: Scitis per hos dies creberrimum fuisse sermonem, me per Idus Quint. qui dies hodie est, cum fascibus descensurum. Deinceps ita defendit, ut ostendat, eum ser

monem fictum fuisse: quem tamen Græci scriptores sequi maluerunt, quàm referre, quod tunc una uoce cuncta concio declarauit, nihil esse ab eo unquàm de Rep. nisi optime, cogitatum. Quòd uero tunc in ea re Cæsari Octauiano sit aduersatus, sic ad M. Brutum scribens ostendit: Cæsarem meis consilijs adhuc gubernatum præclara ipsum indole, admirabiliq; constantia, improbißimis literis quidam, fallacibusq; interpretibus, ac nuncijs impulerunt in spem certißimam Consulatus: quod simul atque sensi, neque ego illum absentem literis monere destiti, nec accusare præsentes eius necessarios, qui eius cupiditati suffragari uidebantur: nec in senatu sceleratißimorum consiliorum fontes aperire dubitaui: nec uero ulla in re memini aut senatum meliorem, aut magistratus. Nunquàm enim in honore extraordinario potentis hominis, uel potentißimi potius (quandoquidem potentia iam in ui posita est, & armis) accidit, ut nemo Tribunus plebis, nemo alio magistratu, nemo priuatus autor existeret. Item: Cæsarem, ut spero, tenebo multis repugnantibus. Videtur enim in eo esse bona indoles, sed flexibilis ætas, multiq; ad deprauandum parati, qui splendore falsi honoris obiecto, aciem boni ingenij præstringi posse confidunt. Quin ei Cicero sic in hisce rebus aduersatus uidetur, ut illi D. Brutus timuerit, quod in epistolis apparet. Cæsar tamen Consul factus, X. Cal. Octob. cum Q. Pedio Consulatum iniuit, ut Paterculus ostendit: & Ciceronem, quum diu repugnasset, tandem passus est proscribi: quod Plutarchus quidem, Dion, Appianus, & alij scribunt, sed Paterculus ita refert: Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæsar aliquem proscribere coactus est, aut ab illo Cicero proscriptus est: abcisaq; scelere Antonij uox publica est, quum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos & publicam ciuitatis, & priuatam ciuium defenderet. Sed

quoniam nemo unquàm melius, quàm Liuius, *eam rem scripsit, ut adhuc in Senecæ scriptis inuenitur, huc transferemus:* M. *Cicero sub aduentum triumuirorum urbe cesserat, pro certo habens id, quod erat, non magis* Antonio *eripi se, quàm* Cæsari Caßium, *&* Brutum, *posse.* Primo *in* Tusculanum *fugerat: inde transuersis itineribus in* Formianum, *ut ab* Caieta *nauim conscensurus, proficiscitur: unde aliquoties in altum prouectum, quum modo uenti aduersi retulissent, modo ipse iactationem nauis cæco uoluente fluctu pati non posset, tædium tandem eum & fugæ, & uitæ cepit.* Regressus *ad superiorem uillam, quæ paulo plus mille paßibus à mari abest, moriar inquit, in patria sæpe seruata.* Satis *constat seruos fortiter, fideliterq; paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, & quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iußisse.* Prominenti *ex lectica, præbentiq; immotam ceruicem, caput præcisum est: nec satis stolidæ crudelitati militum fuit: manus quoque, scripsisse aliquid in* Antonium *exprobantes, præciderunt.* Ita *relatum caput ad* Antonium, *iussuq; eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille* Consul, *ubi sæpe* Consularis, *ubi eo ipso anno aduersus* Antonium, *quanta nulla unquàm humana uox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: uix attollentes lachrymis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.* Vixit *tres & sexaginta annos, ut si uis abfuisset, ne immatura quidem mors uideri posset: ingenium & operibus, & præmijs operarum felix: ipse fortunæ diu prosperæ, & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus uulneribus, exilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tam tristi, atque acerbo: omnium aduersorum nihil, ut uiro dignum erat, tulit, præter mortem: quæ uere æstimanti minus indigna uideri potuit, quòd à uictore inimico crudelius passus erat, quàm quod eiusdem fortunæ composito*

fecisset. si quis tamen uirtutibus uitia pensarit, uir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cuius laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit. EGN. Vt est noster candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator T. Liuius, plenissimum testimonum Ciceroni reddidit. COR. Illa uerba nollem dixisset: omnium aduersorum nihil, ut uiro dignum erat, tulit, præter mortem. In illis enim uidetur opinionem secutus, quam nos ante confutauimus: cætera uero sic probamus, ut digna putemus, quæ, quemadmodum Ciceronis, & Plutarchi uerba solemus, explicemus. Florus igitur sic apud eundem Liuium scribit: C. Cæsar pacem cum Antonio, & Lepido fecit ita, ut tres uiri Reip. constituendæ quidem per quinquennium præessent. Ipse, Lepidus, Antonius statuerunt, ut, suos quisque inimicos proscriberent. In qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerunt, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæsaris Antonij auunculi, M. Ciceronis, cuius occisi à Popilio legionario milite, quum haberet annos LXIII: caput quoque cum manu dexra in rostris positum est. M. Lepidus L. Paulum fratrem, & M. Antonius L. Cæsarē auunculum uiros Consulares, quos Octauianus petebat, ut Ciceronem liberaret, proscribi passi, ut Cicero proscriberetur: quod omnes penè scriptores affirmant, & Cornelius Hispanus sic apud Senecam refert: Proscriptus est ille, qui tuam sententiam secutus est: tota tabula tuæ morti præluditur: alter fratrem proscribi, alter auunculum patitur, quid habes spei? Vt Cicero periret, tot paricidia facta sunt. Hac in parte Plutarchus, & Appianus, de locis, ad quæ Cicero uenit, à Liuio, de coruis, qui auspicium fecerunt, à Valerio Maximo dissentiunt. Nos, ne tam multa referamus, uel conferamus, illud tantum dicemus: mortem Ciceronis ut hominis magni non solum per aues tunc,

sed per per simulachrum Palladis etiam paucis ante mensibus ui fulminis dissipatum significatam fuisse, quod Dion, *&* Iu*lius* Obsequens *ostendunt. Quin eam sibi uidetur ipse prædixisse, quum sic ad* Atticum *scripsit:* Mi Attice *fortiter hoc ue lim accipias, ut ego scribo: genus illud interitus, quo casurus es, fœdum duces, & quasi denunciatum nobis ab* Antonio: *uel potius in* Philippicis *quum dixit:* Vt *omittam res aui tui prosperas, acerbissimum eius diem supremum malim, quàm* L. Cinnæ *dominatum, à quo ille crudelissime est interfectus.* Nam Cicero *quod hic optauit, est assecutus, ut in* Bruto *diximus, et infra dicemus.* Ciceronem *patrem patriæ* Cn. Popilius *Lænas, qui patrem prius interfecerat, & ab ipso* Cicerone *defensus fuerat, interfecit, ut omnes pene scriptores, ut* Liuius, Va*lerius* Maximus, Seneca, Dion, *&* Appianus *affirmant, præter* Eusebium, *&* Plutarchum, *qui* Popilium *quidem, sed* He*rennium tamen nescioquem magis interfectorem* Ciceronis *fuisse probant.* Verum Senecæ *declamatio repugnat, & quod* Appianus *refert, & recentiores ratiocinantur,* Popilium Ci*ceronis caput* Antonio *uiginti quinque millibus aureorum uendidisse.* Mortem Cicero *forti animo tulit, ut omnes, præter* Asinium Pillionem, *qui* Ciceroni *fuit iniquus, affirmant, & apud* Senecam *sic* Aufidius Bassus *ostendit:* Cicero *paulum remoto uelo postquàm armatos uidit, ego uero consisto, ait: accede ueterane, & si hoc saltem potes recte facere, incide ceruicem.* Trementi *deinde, dubitantiq́; , quid si ad me, inquit, primum uenissetis?* Idem *pene de militibus, qui fuerant missi, ut* M. Antonium *oratorem interficerent, scribitur, ut illius, &* Ciceronis *interitus omnino similis fuisse uideatur.* Accedit, *quod in libris oratorijs ita scriptum uidemus:* M. Antonij *in his ipsis rostris, in quibus ille* Remp. *constantissime* Consul *defenderat, quæque* Censor *imperatorijs manubijs ornarat, post-*

tum caput illud fuit, à quo erant multorum ciuium capita seruata: quod idem de Ciceronis capite retulimus: quod inter duas manus in rostris positum fuisse Liuius ostendit; quamuis Florus ab eo, quē refert, in ea re dissentiat, qui caput cū manu dextra tantū in rostris positum fuisse dicat: quod, ut apud Senecam legimus, etiam Cremutius Cordus dixit: sed alij pene omnes duas manus dixerunt. Antonius uero caput in mensam iussit afferri, eoq; spectaculo per diem fuit oblectatus ante, quàm in rostris poneret: quod Appianus refert: nec Dion aliter sentit, qui scribit etiam Fuluiam M. Antonij uxorem linguam Ciceronis extractam multis cum contumelijs acu pupugisse. Capite Ciceronis in rostris posito, quantus in urbe moeror, & luctus excitatus fuerit quum Plutarchus, & alij scriptores ostendunt, tum Cremutius Cordus apud Senecam docet ita: Soluit pectora omnium in lachrymas, gemitusq; uisa ad caput eius deligata manus dextra diuinæ eloquentiæ ministra: cæterorumq; cædes priuatos luctus excitauerunt, illa una communem. Cicero, quod apud Cornelium Tacitum legimus, Hircio, & Pansa Consulibus, ut Tiro libertus eius scripsit, VII. Idus occisus est: quo anno Diuus Augustus in locum Pansæ, & Hircij se, & Q. Pedium Consules suffecit. Quamuis autem Cornelius Tacitus mensem non ponat, intelligimus tamen, quum Cæsar Octauianus X. Cal. Octob. inierit Cōsulatum, Nouembrem, uel Decembrem significari. Vnde cognoscimus Ciceronem sexaginta quatuor annos uixisse, ut Arelius Fuscus apud Senecam testatur, quamuis alij tres & sexaginta tantum scribant. Sunt, qui putent, Ciceronis corpus à L. Lamia, qui semper illi fuit amicus, sepultum fuisse: quod etiam scriptum uidemus in uersibus, quos iuri duodecim scripsise dicuntur. Nam multi, quod apud Senecam uidere licet, quum uersibus, tum soluta oratione Ciceronis mortem deplorauerunt, ut Paterculus ita: Nihil

tā indignum illo tempore fuit, quàm quod aut Cæsar aliquē pro scribere coactus est, aut ab illo Cicero proscriptus est: abscisaq; scelere Antonij uox publica est, quum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos & publicam ciuitatis, & priuatam ciuium defenderat. Nihil tamen egisti M. Antoni: cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo, ac pectore indignatio: nihil, inquam, egisti, mercedem coelestißimi oris, & clarissimi capitis abscisi numerando, autoramentoq; funebri ad conseruatoris quondam Reip. tantiq; Consulis irritando necē. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem solicitam, & ætatem senilem, & uitam miseriorem te principe, quàm sub te Triumuiro mortem: famam uero, gloriamq; factorum, atq; dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Viuit, uiuetq; per omnē seculorum memoriam: dumque hoc uel forte, uel prouidentia, uel utcunq; constitutum rerum naturæ corpus, quod ille penè solus Romanorum animo uidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminabit, manebit incolume, comitem æui sui laudem Ciceronis trahet, omnisq; posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur: citiusq; in mundo genus hominum, quàm nomen huius cadet. EGN. Iam situs est, & laudatus. COR. Nec situs, ut debuit, nec laudatus, ut meruit: qui dignus fuit, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio cœlestium, ut Herculem, ut Castorem, & Pollucem, ut Aesculapium, ut Liberum, collocaret. Quanquàm uidetur collocasse: cuius Consulatum C. Curio ἀποθέωσιν, P. Lentulus P. F. mentem diuinam, Cornelius Nepos prudentiam diuinationem uocarit. Illum certe cœlestem uirum Quintilianus appellauit. EGN. Sed in dicendo. COR. Nihil mea refert, dum cœlestem uocarit eum, cuius imaginem uel inter Diuos Alexander Seuerus Imperator Romanus, qui latina quum legeret, non alia magis,

quàm de officijs Ciceronis, *& de* Rep. *legebat, postea collocauit.* EGN. *Quin igitur illi nos uota facimus?* CO. *Nos uero illi uota faciamus, oculis ut nostris ille medeatur.* EG. *Oculis ut nostris ille, cui lippitudo tam sæpe molesta fuit, medeatur?* COR. *Diui morbos, quibus, dum uiuerent, affici solebant, in cœlum sublati sæpe curare creduntur.* Aquæ *certe* Ciceronianæ, *quas* Tullius Laurea *carmine celebrauit, oculis, ut* Plinius *affirmat, medebantur.* Diuus Augustinus *se* Ciceronis Hortensio *lecto* Christianum *factum fuisse confitetur. Sed iam tempus est, ut numos omneis, quos dedi, mihi uos acceptos referatis.* PIE. *Singulos deinceps, ut dedisti, retulimus.* COR. *Video, sed habere uelim, qui prouincialibus præsertim curiosis possem, me soluisse, demostrare.* EGN. *Tuas perscriptiones habebis, quas ipsi probabimus, & te in hoc fano pecuniam nostro iussu deposuisse, quum tamen deposueris, ascribemus.* COR. *Pecuniam, quam certis & locis, & temporibus exegi, iam deposui, nunc, si placet, reliqua deponam.* EGN. *Nobis uero placet.* COR. *Nunc igitur ea, quæ* Dion Calenum *dixisse finxit, non omnia quidem, sed quæ digna putabo, quæ confutentur, deponam. Sunt enim quædam ita parum uerisimilia, uel potius ita prorsus falsa, ut facile demonstrent, quod etiam diximus,* Græcum *scriptorem* Ciceroni *semper iniquum fuisse.* Nonne, *inquit, hic ille est, qui* Cæsarem, Pompeiumq; *quasi commisit, & prohibuit, ne* Pompeius *cum* Cæsare *reconciliaretur: qui uobis persuasit, ut ea contra* M. Antonium *decerneretis, quibus* Cæsar *est commotus: qui* Pompeio *persuasit, ut* Italiam *relinqueret, & in* Macedoniam *transiret, quod omnium malorum, quæ postea consecuta sunt, causa fuit?* Hic *quot sunt uerba, totidem pene sunt mendacia.* EGN. Antonius *tamen, quod hic referre* Dion *uidetur, dixit* Cicero-

nis opera Pompeium à Cæsaris amicitia esse distunctum, ob eamq; causam Ciceronis culpa ciuile bellum esse natum. COR. Dixit ille quidem, sed in Philippicis id ipsum nullo negotio confutauit, & sic addidit: Quum inferri patriæ bellum nefarium uiderem, pacis, concordiæ, compositions autor esse non destiti, meaq; illa uox est nota multis: Vtinam Cn. Pompei cum C. Cæsare societatem aut nunquàm coisses, aut nunquàm diremisses. Et ad Cecinam sic etiam scripsit: plurimi sunt testes, me & initio, ne coniugeret se cum Cæsare, monuisse Pompeium, & postea, ne seiungeret. coniunctione frangi senatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari uidebam. EGN. Hic Dion, quæ Ciceroni quoquo modo sunt obiecta, refert. COR. Referat: illud, opinor, nullus obiecit, eum, qui tunc esset imperator ad urbem, nec in senatum ueniret, senatui persuasisse, ut ea contra M. Antonium decerneret, quibus ipse Cæsar sit commotus: nemo certe potuit obijcere, illum Pompeio persuasisse, ut Italiam relinqueret: quum Pompeium semper ipse reprehenderit, quòd urbem primum, deinde Italiam reliquisset: quod in epistolis ad Atticum sic aperte scribitur, ut Dion, si non uidit, negligentißimus, si uidit, & aliter scribere uoluit, mendacißimus esse uideatur. Et sanè quum ferè semper, ut Græcus, est mendax, tum uero, quum de Cicerone loquitur, ita sæpe mentiri solet, ut facile morbum, quo laboret, ostendat. En, cui credas cætera, quum, quæ dicere nullus unquàm Ciceronis inimicus est ausus, ea Græculus homo post tam multos annos finxerit: ut illud etiam finxit: ea, quæ Cicero Consul geßisset, ita senatui postea displicuisse, ut ab eo pœnam sumpserit: quum uel ipse Dion alibi, nihil ab eo, nisi consilio senatus, gestum fuisse testetur: & omnes præterea scriptores affirment, & omnes homines, qui literas discunt, sciant, senatum Ciceronis causa

uestem mutasse, nec eo diu carere potuisse. PIE. *Mendaces oportet esse memores.* COR. *Ille certe memor non est, qui dicat: Ciceronem* Roma *seditionibus sedatis profectum fuisse, & rursus excitatis* Athenas, *& filium reliquisse,* Romamq; *reuersum,* M. *Antonio cœpisse aduersari, quem prius amare simulasset: alibi uero scribat: eum propter inimicitias, quas cum* M. *Antonio gerebat,* Octauiano *fauere cœpisse, quamuis ex urbe discessisset, ut* Athenas *filium deduceret.* Hic *enim tã secũ, quã cũ* Cicerõe *pugnat.* EG. *Pugnat* Calenus, *qui calumniatur.* COR. *Pugnat potius ipse* Dion, *qui res ita contrarias, ita leues, ita planè falsas scribat, ut facile quiuis intelligat, eas ne dignas quidem esse, quæ confutentur.* Nos *certe quamuis eas nullo negotio poßimus, nolumus tamen confutare, ne tempus ipsum frustra conteramus.* Alia *potius, quæ uel scripta sunt, uel dici solent, quantum potest refellamus, ut à* Cicerone Tironem *turpiter amatum fuisse: quod multi uel ob id credunt, quòd* Plinius *in epistolis scribat, se, quum librum* Asinij Galli *de comparatione patris, &* Ciceronis *legeret, in epigramma* Ciceronis *incidisse, ubi queritur, quòd fraude mala frustratus amantem, paucula cœnato sibi debita sauia* Tiro *tempore nocturno subtraxerit.* Nec *uidit* Plinius *ab* Asinio Gallo, *qui Ciceronem deprimebat, ut patrem extolleret, illud epigramma fingi potuisse, præsertim quum fuerit unus ex illis, qui, quod ait* Gellius, *ea, quæ neque dictu, neque auditu digna essent, dicerent.* Cicero *uero, quod in* Quinto *fratre, qui* Statium *diligeret, tam sæpe reprehendit, id nunquàm, ne frater par pro pari referret, ipse fecisset: nisi forte more* Platonis, *quem semper imitatus est,* Tironem, *quem uel ob id* Alexim *uocet, amauit.* Nam Plato, *quo nemo castior fuit,* Alexim *non turpiter dilexit, quamuis carminibus luserit: quem* Pomponius Atticus, M. Cicero, *&* P.

Virgilius

Virgilius imitati, suos pueros Alexides appellarunt. Quòd si Cicero hac in re male audisset, aduersarij, qui tunc uiuebant, id illi aliquando, quod tamen ipsi non legimus, obiecissent: ut in dicendo timiditatem non semel obiecerunt: quòd ille tamen non modo nõ refellit, sed in orationibus etiam frequenter agnouit. Ita Deos, inquit, mihi uelim propitios, ut, quum illius diei mihi uenit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoueor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Nam summus est timor, quem mihi natura, pudorq; meus attribuit. & si natura, pudorq; timorem non attribuisset, se tamen ille timere, quemadmodum præcepit in libris oratorijs, simulare debuisset, tantum abest, ut ob eum timorem reprehendi poßit, aut debeat. EGN. Reprehendi potius solet ob eum timorem, quo solebat in rebus, non in uerbis affici. COR. Et nos idipsum suis locis confutauimus, & Quintilianus ita scribit: Cicero parum fortis uidetur quibusdam, quibus optime respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in prouidendis periculis, quod probauit morte quoque ipsa, quam præstantißimo suscepit animo. Sanè post Cæsaris cædem Cicero sic ad Tironem scripsit: De Seruilio tu uideris, qui senectutem non contemnis: & si Atticus noster, quia quondam me commoueri πανικοῖς intellexit, idem semper putat, nec uidet, quibus præsidijs Philosophiæ septus sim. & hercle, quòd timidus ipse est, θορυβοποιεῖ. Virum certe fortißimum Ciceronem M. Brutus in epistolis appellauit. Quod quidem testimonium grauißimum uideri debet, ut à M. Bruto uiro grauißimo, & eo, qui Ciceronem reprehendere soleret, profectum. PIE. Reprehendit in primis, quòd in ore frequenter suas Nonas Decembres haberet. COR. Hoc est, quòd se laudaret. Vt enim Quintilianus ait reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero: quanquàm is quidem rerum

à se gestarum maior, quàm eloquentiæ fuit in orationibus utique iactator. ac plerunque illud quoque non sine aliqua ratione fecit. aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adiutoribus in opprimenda coniuratione, aut respondebat inuidiæ: cui tamen non fuit par, seruatæ patriæ pœnam passus exilium, ut illorum, quæ egerat in Consulatu, *frequens commemoratio posßit uideri non gloriæ magis, quàm defensioni data. Id in oratione de respõsis ostẽdit:* Nõ ego de meis, sed de factis uestris loquor, nec uereor, ne hæc mea uestrorũ beneficiorũ prædicatio, non grata potius, quàm arrogans uideatur: quanquàm si me tantis laboribus perfunctum efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum hominum tamen animi quidam dolor, quis non ignosceret? *Et in oratione pro domo:* Quoniam hoc reprehendis, quòd solere me dicas de meipso gloriosius prædicare, quis unquàm audiuit, quum ego de me, nisi coactus, ac necessario dicerem? Nam, si, quum mihi furta, largitiones, libidines obijciuntur, ego respondere soleo, meis consilijs, periculis, laboribus patriam esse conseruatam, non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quàm de obiectis non confiteri. *Res igitur ille suas laudat, ut aduersarijs potißimum respondeat: nec tamen ipse negat, sed ad* Atticum *scribens, fatetur, se laudis auidißimum esse, & in se nescioquid subinane, & non* ἀφιλόδοξον *esse testatur: quod qui reprehendunt, maximos quoque uiros, ut* Themistoclem, Alexandrum Magnum, Africanum, Pompeium, *& alios reprehendunt: qui nec minus ambitiosi fuerunt, quàm* Cicero, *nec minus, quàm ille, res suas celebrari cupierunt, quum multi scriptores ad id faciendum uel præmijs inuitarint. At de se scripsit, quod in primis* Plutarchus *accusauit, fortasse, quòd iniquo ferret animo, tam docte, tamque eleganter hominem* Romanum *græce scripsisse, ut, quod in epistolis ad* Atticum

legimus, Græcam nationem conturbarit: quanquàm non ἐγκωμιαστικὰ, *sed* ἱστορικὰ*, quæ scripsit, erant, ut in ijsdem epistolis ostendit: & Xenophon, Aratus, Scaurus, Catulus, Cæsar, Adrianus, & alij res suas etiam scripserunt: ne quidam Ciceronem tam grauiter, ut faciunt, accusent, quòd uel aliquid de se scripserit, uel à Luceio, ut res suas scriberet, postularit: Quare si Ciceronem uolunt accusare, illos etiam, quos diximus, & M. Varronem, C. Treboninm, qui à Cicerone, Plinium iuniorem, qui à Cornelio Tacito, ac alios innumerabiles, qui ab alijs idem propemodum postularunt, accusent. Nam si contentio fiat, uideant omnes, ex ijs multos, qui res etiam leues celebrari cupiebant, reprehendendos: Ciceronem uero, qui res magnas scribi uolebat, esse laudandum. Res enim, quas gesserat, si scriberentur, non sibi solum, sed omnibus etiam hominibus quum præsentibus, tum futuris etiam profuturas putabat: & icciro, ut scriberentur, & extarent, laborabat: sed de seipso modeste loquebatur: eloquentiam quidem, ut ait Quintilianus, quum plenißimam diuersæ partis aduocatis concederet, sibi nunquàm in agendo immodice arrogauit. Illius sunt enim: si quid est in me ingenij iudices, quod sentio quàm sit exiguum: &, nam quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui. Quinetiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamuis multum esset in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus ueniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quàm sibi arrogauit, seque non consecutum, sed omnia fecisse, ut posset eam consequi, dixit. Sed, inquit Lactantius, quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit, uoluit quoque hominem canino modo uiuere, ut remordeat lacesitus. Si canina fuit eloquentia, cur eam Lactantius ipse, quantum potuit, imi-*

tari uoluit? quanquàm canina dici potuit eloquentia, qua Cicero uir bonus, & ciuis Reip. studiosus improbos homines, quasi canis fures, insectaretur. Nam si canina dicatur aliter, tum Sallustius, & Appius Ciceronis inimici testes iniqui sint existimandi. EGN. Quid si Sallustius, & Appius id nunquàm de Cicerone dixerunt? COR. Lactantius igitur illam, quam facundiam caninam uocat, exercuit ipse, qui ne Ciceronem quidem, quem semper, quantum potest, imitatur, mordere dubitauit. Et si mordet, beneficijs affectus, quid faceret, iniuria lacessitus? Et tamen id in Cicerone negat ferendum: qui nec Christianus fuit, &, si quid in eo peccauit, non ipse potius, quàm Panætius, quem secutus est, culpam debuit sustinere. EGN. Panætius, qui Stoicus erat, nec iniuriam putabat in sapientem cadere, id, opinor, nunquàm scripsisset. COR. Scripserit nec ne, quum libri non extent, nemo potest affirmare: quia tamen, ut ait ipse Cicero, uiuitur non cum perfectis hominibus, planeq; sapientibus, & ob id tam Panætius, quàm Cicero de medijs officijs scripserunt, credere possumus id utrunque scripsisse: nec Ciceronem, etiamsi solus id scripsit, esse ualde reprehendendum, quum temporibus illis id ipsum non lege modo Talionis, sed etiam diuina, quod in sacris libris legimus, liceret: ne dicam, Solonem, Menandrum, & alios homines sapientissimos existimasse, ciuitatis illius optimum esse statum, in qua iniuriarum autorem non solum qui passi essent iniuriam, sed etiam qui passi non essent, ulciscerentur. Plura dicerem, nisi Ciceronem ueterum dicta, sententiæ, leges, & mores excusarent. EGN. Quid excusabit, si nos eum mendacem fuisse dicamus? COR. Illud, quod in Bruto scripsit: concessum Rhetoribus esse uel in historijs mentiri. EGN. Quasi dicas, in caussis, ubi cum Cretensi κρητίζειν oportet, id multo magis esse concessum.

Verum quum de domo mentitus est, neque causas, ut puto, dicebat, neque historias referebat. COR. Viuebat inter homines, quos omneis esse mendaces etiam sacræ literæ docent. quanquàm melius ille, quod etiam Gellius refert, excusauit: prudentis, & cauti patrisfamiliàs esse, quod emere uelit, empturum sese negare propter competitores emptionis. Quod autem Plinius scripsit, & Calenus apud Dionem calumniatus est, Ciceronem uelendarum uaricum gratia togam ad calceos usque demittere solitum fuisse, Quintilianus id ea ratione confutat, quòd omnes eo tempore togam, ut Græci pallium, ita demittebant. Non negamus tamen Ciceronem uarices, ut Macrobius, & Sidonius ostendunt, habuisse: sed illa duo negamus, quæ sic Dion obiecit: Quid ausus est M. Antonio conuiuium obijcere, ipse quidem aquam, ut ait, bibens, ut pernoctans orationes contra nos scribat: filium uero in tanta ebrietate nutriens, ut ille nunquàm neque de nocte, neque de die resipiscat? Nam Cicero se uinum bibisse uel sic ad Atticum scribens, ostendit: Putas prætermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delicatum: &, ut filius erudiretur, quàm diligentißime, se curasse docet, quum Dionysium, qui docebat illum, se tanti fecisse demonstrat. Nec Cicero filius ebrietati deditus uiuo patre uidetur fuisse, si, quod Plinius ait, hanc gloriam patris interfectori M. Antonio uoluit auferre. Quum res tam leues, & tam falsas aduersarij persequerentur, multo libentius graues, & ueras, si quæ reprehendi potuissent, persecuti fuissent: sed eum quum mordere non possent, lapidem, quasi canes, mordebant: ut qui Regem uocabant eum, quo nemo libertatis unquàm magis studiosus fuit. PIE. Ille quidem quum L. Torquato, qui Regem: tum P. Clodio cæterisq; Catilinæ gregalibus, qui non regem solum, sed etiam tyrannum uocabant, satis respondit, sed in epistolis tamen ait:

Regnare existimabamur: quod ostendit, idem multos praeterea iudicasse. COR. *Quòd in Rep. multum poterat, aduersarij, qui regium nomen inuisum Romanis sciebant, eum Regem, quod etiam supra diximus, appellabant: sed nec ille Rex unquàm fuit, nec, quum fortasse posset, uoluit regio sanguine natus uideri. Contrà poeta fuit, & uideri uoluit, omnibusq́; qui uere iudicare potuerunt, ita uisus est, ut poetas omnes, qui prius fuerant, longe superasse credatur: aduersarij tamen eius carmina reprehendebant, quibus, ut ante diximus, ille respondit.* EGN. *At Senecae, qui postea scripsit, illum in carminibus ab eloquentia sua destitutum fuisse, respondere non potuit.* COR. *Nos responderemus, nisi uiri docti, quorum scripta leguntur, respondissent, & ostendissent illũ non modo poetam, sed summum etiam poetã fuisse.* EGN. *Si fuisset poeta, fabulas melius fortasse nouisset.* COR. *Ille uero poetarum fabulas optime nouit, ut in eius libris apparet.* EGN. *Apparet etiam, quod omnes uidere possunt, illum, quũ loqueretur in Tusculanis quaestionibus de Ganymede, Laomedontem pro Troe posuisse.* COR. *Ille fortasse non Homerum, sed alios autores secutus ita scripsit: uel id dedita opera fecit, ne minima quaeque consectari uideretur, praesertim quum fingeret ex tempore se uel ambulando, uel sedendo disputare. Sed haec Gellius, & Politianus, qui diligentes hac in parte fuerunt, uiderint: nos id potius uideamus, an Cicero reprehendi possit, quòd mensas sestertijs undecim emptas habuisse dicatur.* EGN. *Nemo reprehendat, si nos apud Plinium, quemadmodum tu refers, legamus.* COR. *Legamus, quando uiri docti sic esse legendum putant: quamuis Caelius Calcagninus noster sestertiũm undecies legere non dubitarit.* EGN. *Is uidetur iniquus Ciceroni fuisse, qui libros etiam de officijs, quos omnes admirantur, ipse reiecit.*

COR. *At homines bene docti M. Antonius Maioragius, et Iacobus Grifolus, unde Cælius ui hominibus armatis deiecerat, eò restituerunt: nec apud ueteres defuerunt, qui quas iniurias Asinius Gallus, Licinius Largus, & Didymus Alexandrinus intulerunt, ab eo propulsarent. Quanquàm Cicero talis, & tantus fuit, ut nullis ipse defensoribus indigeret. Nam Ciceronem uerecundum fuisse nisi res ipsa doceret, nos ipsi probaremus: clementem Ammianus Marcellinus eum describit: apertum Q. Cicero frater in libro de petitione Consulatus ostendit: facilem fuisse Cæsar etiam testatus est: fortem fuisse nos ante demonstrauimus: & omnium prudentissimum M. Brutus appellat. & ad eum Plancus ita scripsit: Omnia tua consilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ summa est, uidentur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quamuis autem iocans in Tusculanis quæstionibus ipse dicat: me tardiorem esse, non moleste fero: constat tamen eum sic ingeniosum fuisse, ut eius ingenium summum, & excellens à Cecina, & à Plinio ipse extra omnem ingenij aleam positus esse dicatur. Quanta porrò fuerit industria, quamuis ipsius scripta demonstrent, ipse tamen ad Appium scribens ostendit. Iam uero Quintilianus Ciceronem uirum bonum fuisse uel oratoris, ne plura dicam, definitione defendit: sed ille suspectus esse posset, nisi prius optimum uirum M. Brutus eum uocasset. Verum enimuero C. Matium, qui Ciceronis bonitatem singularem fuisse dixit, & alios innumerabiles, qui Ciceronem semper ut uirum bonum commendarunt, mittamus: quum M. Cato, qui Ciceroni unus pro centum millibus erat, integritatis ei, iustitiæ, clementiæ, fidei testimonium dederit: & res ipsa loquatur, eum semper omnibus, quibus potuit, profuisse. Nec id Plinius, Suetonius, uel etiam scriptores Græci, qui cætera solent insectari, negant: quum libera-*

lem, pacis, otij, concordiæ studiosum, non inuidum, sed ingenuum, & apertum fuisse testentur. Quòd si Cicero nostram religionem cognouisset, nihil in eo possemus desiderare, quum præsertim nec de Deo admodùm male senserit, & in oratione de responsis ita scribat. Is ego non sum, qui, si cui forte uideor plus, quàm cæteri, qui æque, atque ego, sunt occupati, uersari in studio literarum, his delecter, aut utar omnino literis, quæ nostros animos deterrent, atque auocant à religione. EGN. Suum Platonem, quem semper admiratur, ut etiam sacri scriptores admirantur, est imitatus. COR. Ille uero Platonem sic est imitatus, ut illum Philosophis omnibus antepofuerit: eius sententias, & uerba, quoadeius fieri potuit, expresserit: eius instituto suos libros inscripserit: eius Academiæ nomen in suum Tusculanum, quod antea L. Syllæ Dictatoris fuerat, ut Plinius ostendit, & Cumanum transtulerit: eius statuam Romæ, quod in Bruto refert, habuerit: eius uerecundiam seruarit: & eum tandem Deum uocarit. Hinc Quintiliano uidetur Cicero, quum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, uim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis effinxisse. Itaque Cicero quum ab illis, quos audiuit, tum ab illis, quos legit, didicit, & semper se didicisse præ se tulit, nec unquàm, ut M. Antonius dissimulauit: tantum uero profecit, ut à Iulio Cæsare non solum princeps, atque inuentor copiæ, quæ fuit magna laus, sed etiam de populi Romani nomine, & dignitate bene meritus: ab Aquilio Gallo Rhetoricæ omnium peritissimus: à Quintiliano in omnibus, quæ in quoque oratore laudantur, eminentissimus: à Plinio doctrinarum lux: à Lactantio perfectus orator, & summus Philosophus: & à Diuo Augustino sapiens etiam sit appellatus. EGN. Ad summam sapiens uno minor est Ioue, diues, liber, honoratus, pulcher, Rex denique Re-

gum. COR. Quamuis tu ioceris, in Cicerone tamen hæc omnia nos ipsi, si uos uelletis, reperire possemus. EGN. Si uellemus, dicis, qui te, numorum quicquid habes, huc primo quoque tempore transferre uellemus? COR. Multo magis, ut puto, uelletis, si diuitias, quas Ciceroni Ser. Sulpicius tribuit, haberem. Sed ego nec illas habeo, nec eas, quas M. Cælius ei dedit, quum inter senes diuites illum numerauit. EGN. Aliud agens, Ciceronem non solum, ut Stoici dicebant, sed etiam Romano more diuitem fuisse testibus etiam uideris probasse. COR. Id etiam supra probaui, nec semel, quàm fuerit honoratus, ostendi. Omnes enim honores populus Romanus illi ipsi homini detulit. Nam primus ex hominibus nouis, ut nunc alios honores mittamus, Consul est factus sine repulsa: Primus pater patriæ fuit nominatus: illi togato senatus, non ut multis bene gestæ, sed ut nemini, conseruatæ Reip. singulari genere supplicationis Deorum immortalium templa patefecit: illius causa senatus, & hominum uiginti millia uestem mutarunt: illum senatus exteris nationibus, legatis, magistratibus autoritate sua, Consularibus literis, ut ciuem conseruatorem Reip. commendauit: illius domum senatus unam post urbem constitutam ex ærario ædificandam, à Pontificibus liberandam, à magistratibus defendendam, à iudicibus puniendam putauit. hinc in Oratore dixit: De meis meritis tanta senatus iudicia fecit, comprobante populo Romano, quanta de nullo. EGN. Id probas, quod nemo negat: et id, quod ante dicendum fuit, omittis, quòd fortasse te probare posse diffidas, eum liberum fuisse. COR. Omittebam, quòd scirem, neminem prorsus unquàm fuisse, qui dubitarit, an, qui talis, & tantus ciuis esset, liber fuerit. EGN. Fuerit liber, ut tu nunc dicis, & ut olim Stoici scripserunt, illum certe Gallus liberum non putauit. COR. Audi, quid illi

rescripserit: Me, propter quem cæteri liberi sunt, tibi liberum non usum, demiror. Ad Cornificium uero *scripsit ita: In summa reliquorum seruitute liber unus fui: & in* Philippicis: *Si consuetudinem meam, quam in* Rep. *semper habui, tenuero, idest si libere, quæ sentiam, de* Rep. *dixero: deprecor, ne irascatur.* Quid *uerbis opus est? Omnes scimus, ei libertatem nõ semel fraudi fuisse.* EG. *Fuerit* Cicero *diues, fuerit liber, fuerit honoratus: sed pulcher, ut ordo positus postulat, an fuerit, à te cupimus audire: quanquàm ueremur, ne, si tu pulchrum fuisse contendes, nobis* Silenos Alcibiadis, *aut hominem pulchrum* Stoicorum *more describas.* COR. *Talem supra, nisi fallor, descripsi, sed nunc* Asinij Pollionis, *qui illi fuit iniquus, uerbis, quo testimonium sit grauius, hominem pulchrum* Peripateticorum *potius, quàm* Stoicorum *more describam:* Ciceroni *quidem facies decora ad senectutem, prosperáq; permansit ualetudo.* EGN. *Hac igitur in parte quoque suo* Platoni *similis fuit, cuius* εὐεξίαν Diogenes *commendauit. Tu uero iam mihi tria bonorum genera, quæ* Peripatetici *ponunt, uideris esse complexus.* COR. *Id tu uerius dices, quum potentiam* Ciceronis *addidero, quæ tanta fuit, ut merito* Rex, *ut supra dictum est, posset appellari.* Hinc *ad eum* Brutus *ita scripsit: Tuam tantam autoritatem senatus, ac populus* Romanus *non solum esse patitur, sed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate unius esse potest: quam tu non solum bene sentiendo, sed etiam prudenter, tueri debes.* Q. *autem* Caßius *omnium maximum ciuem illum uocare non dubitauit, & eius togam omnium armis feliciorem.* EGN. *Hic* Caßius *nescioquo modo uidetur adulari.* CO. *Id de* M. Bruto *dici non potest: qui tamen existimauit, eius uirtutes cum quolibet antiquorum posse comparari.* EG. *Illum certe* Plutarchus *cum* Demosthene *comparauit.* CO. *At*

eundem Georgius Trapezuntius homo & ipse Græcus in eloquentia cum Demosthene, in Philosophia cum Platone, in prudentia cum Themistocle, in iustitia cum Aristide, in liberanda patria cum Thrasibulo contulit. EGN. Nemo tamen illis, aut alijs omnibus, ut tu sæpe facis, illum prætulit. CO. Res ipsa multis illorum prætulit, nec omnibus ego, sed singulis ita præfero, ut audeam pene dicere, à condito orbe neminem fuisse, quem prorsus cum Cicerone conferre poßimus. Nam quum sæpe singuli singulas artes ita didicisse legantur, ut in his etiam excelluerint: ipse sic eas didicit, ut à M. Bruto artibus instructißimus appelletur. Quod si M. Cato tres, ut ait Plinius, summas in homine res præstitisse existimatus, optimus orator, optimus imperator, optimus senator, laudatur, quanto magis est Cicero laudandus: quem uideamus, si minus eam, quæ pertinet ad imperatorem, reliquas certe & multo melius, & alias multo plures præstitisse? EGN. Vt rem bellicam, sic etiam senatoriam, uellemus, excepisses. CO. Ne illam quidem libens excepi: quòd uerear, ne quis ægre ferat, in ea re Ciceronem parcius laudari, quam ille, qui παιδείαν κύρου totam in imperio explicauit, & res magnas geßit, scientia, & usu: M. uero Cato, & alij ueteres imperatores, qui literas Græcas ignorabant, usu potius, quàm scientia comprehendisse uideantur. Quia tamen excepi, non contendam: sed illud nunquàm concedam, M. Catonem, uel alium quempiam Ciceroni, qui πολιτικὴν, cui scientias ciuiles Aristoteles subiecit, optime didicit, scriptis diuinitus expreßit, & annos ferè triginta septem exercuit summa cum laude, debere præferri. Fuit, inquam, sic ille Reip. peritus, sic studiosus: ut nos, quum mures politiam Platonis apud illum corroserunt, Reip. quam pene solus ipse sustinebat, interitum significatum fuisse credamus. Non solum uero Catonem, cuius

orationes Atticus, ut temporibus illis, in Bruto laudat, sed omnes etiam Romanos, & , si uos concedetis, etiam Græcos dicendi laude superauit. EGN. *Vt nos concedamus, nunquàm Græci concedent.* COR. *Concedent Latini, ut apud Senecam uir magnus ita concesit: Iniuriam illum facturum populo Romano, cuius linguam in ciuem extulisset, ut insolentis Græciæ studia tanto antecederet & eloquentia, quãto fortuna. Non admodum disimile testimonium fuit, quod Apollonius illi iuueni, quemadmodum supra retulimus, dedit, multo grauius, & magnificentius, si postea uirum talem, & tantum, qualis, & quantus fuit, audisset, daturus.* EG. *Noster tamen poeta dixit: Orabunt alij melius causas.* CO. *Credunt eum, quem certe Ciceronis studiosum fuisse scripta demonstrant, ita dixisse: uel etiam nomen, ubi de Catilina loquitur, tacuisse: ne Cæsarem Augustum, cui uel in primis gratificari cupiebat, offenderet. Verum, si quis eum rogasset, ut quasi iuratus ea de re testimonium diceret, ut fuit Latini nominis, & ueritatis amator, eum Græcis omnibus, ut ego puto, prætulisset.* PIE. *Demosthenem, quem Cicero ferè semper imitatus est, ut arbitror, excepisset.* COR. *Ne Græci quidem solent alium, uel etiam possunt, excipere: quum uolunt illum cum Cicerone conferre: quod Plutarchus, etiam nescioquem Cecilium secutus, quum fecisset, illa dixit: Duos alios oratores posse reperiri non puto: qui ex obscuris, & paruis, potentes, & magni facti sint: Reges, ac tyrannos oppugnarint: filias amiserint: è patria eiecti, honorifice sint reuocati: rursus fugerint, & ab hostibus capti, unà cum ciuium libertate uitam amiserint.* EGN. *Vterque uidetur ouo prognatus eodem* COR. *Cicero tamen nunquàm nec è bello, nec è carcere fugit: nec* ἀργυράγχην *est passus, quanquàm nemo, qui sapiat, audebit unquàm mores cum moribus,*

res gestas cum rebus gestis, honores cum honoribus, opes cum opibus, patriam cum patria, gloriam cum gloria, uel res alias, quibus Cicero longe superior fuit, comparare. Illum certe, qui græce tantum sciuit, nec illa, quæ à Platone didicerat, tenuit, nec pronunciare uoluit, Cicero, qui semper cum Græcis Latina coniunxit, artes omnes ingenuas didicit, & de Philosophia tam docte scripsit, qui, quod ait Cornelius Tacitus, suorum temporum eloquentiam anteponebat, nec ulla re magis eiusdem ætatis oratores præcurrit, quàm iudicio: qui primus excoluit orationem, primus ex uerbis delectum adhibuit, & compositioni artem, locosq; altiores attentauit, & quasdam sententias inuenit: qui primus tam multa, quæ ponit in Bruto, complexus est, longe, multumq; superauit. Nobis, inquit in Oratore, non satisfacit ipse Demosthenes: qui quanquàm unus eminet inter omneis in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas, ita sunt auidæ, & capaces, & semper aliquid immensum, infinitumq; desiderant. Vnde Quintilianus ait: Nec ipsi Ciceroni Demosthenes satis uidetur esse perfectus, quem dormitare interim dicit. at Cicero perfectus est, nec ullus est, cui dormitare uideatur: & in libris de officijs ipse docet, ea, quibus ipse fuit ornatus, omnia nemini Græcorũ, nisi forte Demetrius Phalareus excipiatur, contigisse. EG. Eum tamen Cornelius Tacitus ostendit, à Caluo solutum, & eneruem, à Bruto fractum, & elumbem uocatum fuisse. COR. Nihil in ea re neque Caluo, neque Bruto credet ille: qui uel in epistolis ad Atticum legerit, à Cæsare Brutum disertum potius, quàm copiosum iudicatum fuisse: quòd in alio genere uoluerit esse, ut epistolæ, quæ nunc etiam reperiuntur, ostendunt: apud Senecam uero uiderit: Caluus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, uiolentus accusator fuit: cuius dicendi ra-

tionem ne Seneca quidem probauit, & Cicero semper ualde reprehendit, ut mirum non sit, si Caluus ei, quoquo modo potuit, par pro pari uoluit referre. Nec Adriano quisquam credet, ut puto: qui Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salustio Cælium præferebat. Multo uero minus Asinio, cæterisq; obtrectatoribus est credendum, quos, præter alios, Seneca, Quintilianus, & ueritas ipsa confutarunt. PIE. Quintilianus quidem semper egregie Ciceronem defendit, & sic in uirtutibus oratorijs cum Demosthene confert, ut in salibus eum, commiseratione, & epistolis præferat. COR. In epistolis, inquit, quanquàm sunt utriusque, nulla contentio est. Iam salibus Cicero, de quibus doctißime scripsit, & commiseratione, quæ solet in peroratione potißimum commoueri, non Demosthenem modo, sed omnes etiam homines, & seipsum superasse iudicatur. Hinc in oratore scripsit ita: Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quòd etiamsi plures dicebamus, perorationem mihi tamen relinquebant: in quo ut uiderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. & in Bruto Brutus ita loquitur: De te ipso nonne quid optarent rei, quid ipse Hortensius iudicaret, uidebamus? qui quum partiretur tecum causas, sæpe enim interfui, perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. EGN. Eundem locum nos quoque tibi, si placet, iam nunc relinquemus. COR. Bartholomæus etiam Riccius, uir eloquentißimus, & de literis optime meritus, mihi tanquàm filio pater, ut iocatur, relinquit: sed oportet, ut ante digrediamur, & Ciceronis libros, atque adeo scriptiones omneis, præter epistolas, quo scripsit ordine, referamus. PIE. Quod operæpretium sit, feceris: sed cur epistolas, quæ tam multæ sunt, omittas? COR. Non omittam quidem, sed, quum diuersis temporibus scriptæ fuerint, in ordi-

ne, quo cætera scripta sunt, non comprehendam: quod ne possem quidem facere. sed ad rem uenio. Puer igitur adhuc Pontium Glaucum, quod poema Plutarchus etiam nominat, scripsit. PIE. Cur tu Glaucum, quem Græci θαλάττιον δαίμονα uocāt, ipse Pontium potius, quàm marinum uertisti? COR. Quia Mnaseas, ut Athenæus refert, scripsit, Glaucum Anthedonis, & Alcyones filium, quòd nauigandi, natandiq; peritißimus esset, Pontium uocatum fuisse, & nos ob id putamus Ciceronem sic inscripsisse, ut Aeschylus inscripsit: nisi forte multis nominibus appellauit, uel alia multa generis eiusdem scripsit. Ita certe Iulius Capitolinus in Gordiano refert: Adolescens quum esset Gordianus, poemata scripsit, quæ omnia extant, & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio, & Arato, & Alcyonas, & Vxorium, & Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poemata nimis antiqua uiderentur. Scripsit etiam Limonem, ex quo carmina quædam Donatus in uitam Terentij transtulit. Horum nos hodie nihil habemus, præter Arati pauca carmina, quæ Cicero se admodum adolescentulum conuertisse testatur. Nam carminibus, ut etiam Plutarchus ostendit, à primis annis est delectatus: unde postea sic ad Lentulum scripsit: Me refero ad mansuetiores musas, quæ me maxime, sicut iam à prima adolescentia delectarunt: quamuis aliter etiam possemus illud interpretari, quum præsertim nos eum non carmina solum, sed Platonis etiam Protagoram, & Xenophontis Oeconomicum conuertisse, librosq; duos de inuentione temporibus illis scripsisse uideamus. Nam, confirmandi genera compluria, quod in Phormione Donatus refert, dixit, quod postea grandior non dixisset. Oeconomicum certe Xenophontis, quum esset annorum ferè uiginti, conuertit, ut in libris de officiis ita docet: Xenophontis Oeconomicum nos ista ferè ætate quum essemus,

qua es tu nunc, è Græco in Latinum conuertimus. Quot annos autem tunc esset Cicero filius, ex Consulibus colligi facile potest. PIE. Hinc Quintilianus ait: Vertere Græca in Latinum ueteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse. Id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit. Quinetiam libros Platonis, & Xenophontis edidit hoc genere tralatos. EGN. Ille Platonis Timæum uertit. COR. Ille quidem iam senex, ut dicemus, Timæum uertit, sed admodum adolescentulus, ut diximus, & Quintilianus etiam significat, Platonis Protagoram, & Xenophontis Oeconomicum conuertit. EGN. Ob id fortasse Diuo Hieronymo non satisfecit: cuius uerba, quãdo uos Capitolinos, & Quintilianos tãti facitis, nec ipse referre dubitabo: Noster Tullius Platonis integros libros ad uerbum interpretatus est. & quum Aratum iam Romanum hexametris uersibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit. In quo opere ita sæpe aureũ illud flumẽ eloquẽtiæ quibusdã scabris, & turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretatum nesciunt à Cicerone, dicta non credant. COR. Nos, qui tantum caput apud Columellam uidimus, ea de re iudicare non possumus. Ipse quidem non uidetur tunc in scribendo sibi satisfecisse: qui quæ scripsit adolescens, inchoata, atque rudia non dubitarit appellare. PIE. Libros de inuentione, qui sunt inchoati, & rudes, significauit. COR. Ita quidem, ut, qui libros ad Herennium, qui sunt perfecti, significatos, uel à Cicerone scriptos putant, longe decipiantur. EGN. Probares. COR. Ego uero facile probarem, si iam uel amplius quisquam doctus dubitaret, uel hic locus id ipsum postularet. Nunc autem locus postulat, ut de scribendi ratione, qua tunc Cicero est usus, quamque ne ipse quidem postea probauit, dicamus. Quantus, inquit, illa clamoribus

adolescentuli

adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quæ nequaquàm satis deferbuisse post aliquanto sentire cœpimus: sed Molo dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimis redundãtes nos, & superfluentes iuenili quadã dicendi impunitate, & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentes coerceret. Hinc Cornelius Tacitus ita scripsit: Priores Ciceronis orationes non carent uitijs antiquitatis: lentus est in principijs: longus in narrationibus: otiosus circa excessus: tarde commouetur: raro incalescit: pauci sensus optimi: & quum quodam lumine terminatur, nihil ex tempore referre possis: et uelut in rudi ædificio, firmus sané paries, & duraturus, sed non satis expolitus, & splendens. Item: Ciceronem magnum oratorem non P. Quintius defensus, aut Licinius Archias poeta faciunt, Catilina, & Milo, & Verres, & Antonius hanc illi famam circundederunt. EGN. Lentus certe, longus, & otiosus in oratione pro Sex. Roscio Amerino uidetur: quam natus annos sex & uiginti dixit, ut Fenestella, & Quintilianus scripserunt, & tu supra retulisti. COR. Sequitur oratio pro P. Quintio, quam mortuo Sylla, uel certe quum Dictaturam deposuisset, dixit, ut in Bruto collegimus, ne nunc plura dicamus. Tunc etiam Marium, nisi fallor, scripsit. Vt enim Cicero, uiuo Sylla, nihil, quod illum posset offendere, scripsisset: sic, illo mortuo, re tamen adhuc recenti, uidetur Marium uersibus, quibus eo tempore delectabatur, scripsisse. Illum certe se in epistolis ad Atticum, in libris de legibus, & de Diuinatione scripsisse testatur: quanquàm de tempore nihil omnino dicat. Vnde sæpe sum ueritus, ne poema fuerit, quod ad Cæsarem post reditum misit, de quo postea nos aliquid dicemus. Nunc illud dicendum uidetur, à Quintiliano tres orationes pro Tullio, pro Oppio, & pro Vareno sæpe nominari: quas ipsi putamus à Cicerone temporibus iisdem scriptas fuisse.

T

Suspicamur enim, quamuis errare poßimus, M. Tullium De-culam, *qui cum* Cn. Dolabella *Consul fuit, significari. Is e-nim post Consulatum potuit accusari, & à* Cicerone *defendi.* Illum *certe, quem* Cicero *defendit*, Priscianus *ita* M. Tulli-um *uocat*: Cicero *pro* M. Tullio: *hoc iudicium sic expecta-tur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur. &* Quintilianus *ita scribit*: Cicero *pro* Tullio: *Quis hoc statuit unquàm, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum iure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?* Tale *quid etiam in oratione pro* Sex. Roscio *queritur. Vnde licet etiam coniicere, temporibus non admodum diuersis orationes illas scriptas fuisse. Nec multo post, opinor, pro* P. Oppio *dixit: quem nos apud* Quintilia-num *uidemus ex epistola* M. Cottæ, *qui cum* L. Lucullo *Con-sul fuit, &* Propontidem, Bithyniamq́*;, ut* Plutarchus *refert, obtinuit, reum factum fuisse.* Obijcitur, *inquit* Quintilianus Oppio, *quòd militum cibarijs detraxerit: asperum crimen, sed contrarium ostendit* Cicero: *quia ijdem accusatores obiece-runt* Oppio, *quòd is uoluerit largiendo corrumpere exerci-tum.* Item *paulo post*: *Est enim contrarium, quo aduersarius bene uti potest*: *At enim uerisimile non est, tantum scelus* M. Cottam *esse commentum.* Quid? *hoc uerisimile est, tantum sce-lus* Oppium *esse conatum?* Item *alibi*: Cicero, *qnanquàm e-rat in* Cottam *grauißime dicturus, neque aliter agi* P. Oppij *causa poterat, longa tamen præfatione excusauit officij sui ne-cessitatem.* Iam *credimus orationem, quam pro* Vareno *dixit, ijsdem temporibus scripsisse, quum, quod* Priscianus *refert, ita sit locutus*: *Ea cædes si potißimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, nõ ei, cuia nihil interfuit.* PIE. *Recte colligis: quòd adhuc antiquitatem referret, sed mihi uideor apud* Priscianum Varronem, *non* Varenum *legisse.* CO. *Bene mones.* Nam Va-

venum Quintilianus, & Varronem Priscianus apppellat: sed eodem modo nos apud utrunque legendum putamus. Nam Quintilianus ita refert: Vt pro Vareno: Quum iter per agros, & loca sola faceret cum Populeno, in familiam Anchanam incidisse dixerunt, deinde Populenum occisum esse, ilico Varenum uinctum, asseruatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri uellet. Ita Priscianus: Cicero pro Varrone: C. Ancharius Rufus fuit è municipio Fulginate. Vnde cognoscere quiuis potest, eundem esse, quum C. Ancharius utrobique nominetur. Illis etiam temporibus causam Multius pecuniariam habuit, Tullio defendente, cuius oratio non est edita, ut Asconius ait. Et sanè, quum penè quotidie pro aliquo diceret, orationes omnes, quas dixit, edere nec potuit, nec fortasse uoluit: quòd multas causas ne scriptione quidem dignas putaret. Eas tamen omnes in commentarios, ut puto, referebat: quos ita Quintilianus uidetur significare: Commentarij Ciceronis ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis uideantur compositi. Nam Ciceronis ad præsens modo tempus aptatos libertus Tiro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. Haud equidem scio, an ij fuerint, quos Diomedes causarum libros appellat. Orationes quidem, quas edidit, prius habitas, postea scripsit: quod illi apud Dionem Calenus obiecit: quod laudari debet. Vnde Cicero sic in Bruto scripsit. Pleræque scribuntur orationes habitæ iam, non ut habeantur. Ipse certe scribens ad Atticum, quem suarum orationum uoluit Aristarchum esse, in illis aliquid sæpe se uel mutasse, uel addidisse testatur. Sed, ut ad rem reuertamur, orationem pro Q. Roscio comœdo, quæ nunc extat, eodem anno, quo Verrinas dixit, hoc est Cn. Pompeio, M. Crasso Consulibus uidetur habuisse. Tunc enim C. Piso Prætor erat, qui biennio post anno suo Consul fuit. EG. At

quum Verrinas dixit, M. Glabrio Prætor erat. COR. Vterque Prætor erat, sed alter ius dicebat, alter quæstioni præerat. Vnde postea simul etiam Consules fuerunt. Orationem uero pro M. Fonteio, uel eodem anno, uel certe paulo post habitam putamus: quod non ita multo post Pompeij ex Hispania reditum dicta uideatur. De tempore uero, quo pro A. Cecina dixit, nihil certi constitui potest, quamuis in oratione P. Dolabella Prætor nominetur: sed quibus ille Consulibus Prætor fuerit, ignoratur: eam tamen orationem nos eo loco, quo nunc etiam ponitur, retinendam putamus: nec illas longe fuisse ponendas arbitramur, quas pro C. Fundanio, & L. Coruino uel eodem tempore, uel ante Consulatum certe dixit, ut Q. frater in libro de petitione Consulatus ostendit: ut sint orationes illæ, quas Asconius de Corneliana loquens ita significat: hanc orationem dixit L. Cotta, L. Torquato Consulibus post annum, quàm superiores: nam per superiores Verrinas, quæ multo ante dictæ fuerant, significare non potest. Cicero certe, quum Prætor esset, ut ante retulimus, pro C. Cornelio, pro lege Manilia, & pro Cluentio dixit, ut orationes, Asconius, & alij scriptores ostendunt. PIE. Oratio certe pro C. Cornelio, quæ nulla nunc inuenitur, id ostendere non potest. COR. Ostendunt reliquiæ, quas Asconius conseruauit: Verum Cicero duas orationes pro C. Cornelio scripsit, ut nos in Bruto diximus. Oratio in toga candida, ut Asconius ait, dicta est L. Cæsare, C. Figulo Consulibus post annum, quàm pro Cornelio dixerat. & paulo post Q. Gallium reum ambitus defendit, ut Quintus frater, & Asconius affirmant. Iam Consul orationes eas habuit: de quibus ad Atticum, quod etiam supra diximus, ita scripsit: Curaui, ut meæ essent orationes, quæ Consulares nominarentur: quarum una est in senatu Cal. Ian. altera ad populum de lege agraria:

tertia de Othone: quarta pro Rabirio: quinta de proscriptorum filijs: sexta, quum prouinciam in concione deposui: septima, qua Catilinam emisi: octaua, quam habui ad populum postridie, quàm Catilina profugit: nona in concione, quo die Allobroges indicarunt: decima in senatu Non. Decemb. sunt præterea duæ breues, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Inter eas orationem pro Muræna non posuit: quod eam, quamuis Consul esset, ut patronus tamen dixit, & quidem quum iam Catilinam emisisset, sed ante, quàm coniuratos comprehenderet, ut in oratione cognosci potest. Finito uero Consulatu Metellinam scripsit, ut in Bruto nos, & supra demonstrauimus: sed iam D. Silano, L. Muræna Consulibus P. Syllam defendit: quum Q. Metellus Nepos adhuc Tribunus plebis esset, ut in oratione cognosces. Tunc etiam duas orationes alteram de coniuratione, alteram de Consulatu suo scripsit, ut in Crasso Plutarchus affirmat: ubi negat, alteram, in qua Crassum, & Cæsarem coniurationis autores uocabat, ab eo, uiuis illis, editam fuisse: ut fortasse fuerit liber ille, quem Dion βιβλίον ἀπόῤῥητον appellat, ut infra dicemus: De Consulatu certe suo commentarium græce, & tres libros uersibus latine Q. Metello, & L. Afranio Consulibus scripsit. Hæc in epistolis ad Atticum uidere licet. nam quum de commentario locutus esset, sic addidit: tertium poema expectato: & alibi: Me κατάκλεισις mea illa commouet, quæ est in libro tertio, in quo Calliope loquebatur, ut in secundo Vrania pronunciabat illa, quæ libro primo de Diuinatione scribuntur. Iisdem Consulibus etiam prognostica scripsit, ut sic ad Atticum scribens, ostendit: Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta: & libro primo de Diuinatione: his rerum præsensionibus prognostica tua referta sunt. Hæc sua uocat, ne quis Aratea, quæ iuuenis conuertit, esse putet, præsertim

quum similia sint ita, ut ipse libro secundo de Diuinatione uel ob id Aratea uocare uideatur. Tunc etiam credimus orationem pro Archia poeta, quæ legitur, illum dixisse: quum sic ad Atticum M. Messala, M. Pisone Consulibus ille scripserit: Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo posuisti, contenti erimus, præsertim quum & Chilius nos reliquerit, & Archias nil de me scripserit: in oratione uero dicat ita: Quas res nos in Consulatu nostro uobiscum simul pro salute huius urbis, atque imperij, & pro uita ciuium, proque uniuersa Rep. gessimus, Archias attigit uersibus, atque inchoauit: quibus auditis, quòd mihi magna res, & iucunda uisa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nam si Messala, & Pisone Consulibus nihil adhuc scripserat, Metello, & Afranio Consulibus uidetur inchoasse, quo tempore nos illum defensum putamus. PIE. *Orationem pro Flacco uideris omisisse.* COR. *Omisimus quidem, sed ita fecimus, ut nunc illam nos, unde prius quasi ui deiecta fuit, eò restituamus. Nam M. Bibulo, C. Cæsare Consulibus dicta fuit: quod ex orationis ipsius uerbis ita colliges: Damnatus est is, qui Catilinam signa patriæ inferentem interemit. Item, oppressus est C. Antonius. Ille uero Bibulo, & Cæsare Consulibus est damnatus, Cicerone defendente, quod in oratione pro domo scribitur. Itaque post illum damnatum Flaccus est accusatus, & ab Hortensio, & Cicerone defensus. Hinc epistola, quam Cicero Consulibus illis ultimam scripsit ad Atticum, sic ait: Tuus familiaris Hortensius quàm plena manu, quàm ingenue, quàm ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci Prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret. Postea Cicero fuit eiectus ita, ut Gabinio, & Pisone Consulibus orationem nullam dicere potuerit. Nam, quæ nunc inuenitur, ut ante, quàm in exilium iret, dicta, digna non est, quæ Ciceronis esse credatur. Vt*

enim multi defendant, Ciceronem, *ut dolorem melius exprimeret, ita dedita opera locutum fuisse, nos tamen, nisi breuitati studeamus hac in parte, nec minus multis, nec minus firmis argumentis eam, quàm duas illas, de quibus antea dictum est, confutare poßimus*. Sed Cicero *restitutus*, P. Lentulo, Q. Metello *Consulibus orationibus, quæ nunc extant, populo, & senatui gratias egit*. Orationes *enim deinceps ita collocantur: sed uiri docti putant, eas ordine conuerso collocandas fuisse: quum* Cicero *semper in alijs orationibus senatum populo soleret anteferre*. Nos *tamen eas, ut nunc positæ sunt, conseruandas arbitramur*. Nam Cicero *quum* Romam Prid. Non. *Sept. ut antea dictum est, uenisset, postridie in senatu, qui fuit dies* Non. *Sept. primum senatui, deinde populo, postremo magistratibus in senatu gratias egit, ut in ipsa oratione sic ostendit:* Vobis P. C. *singulis & egi, & agam gratias uniuersis. egi initio, quantum potui: satis ornate agere nullo modo possum. & paulo post: hodierno autem die nominatim à me magistratibus statui gratias esse agendas, & de priuatis uni, qui pro salute mea municipia, coloniasq; adisset*. Hinc in *oratione pro* Plancio *sic ait:* Nónne *etiam illa testis est oratio, quæ est à me prima habita in senatu? nam dixit, in senatu, ut ostenderet, non fuisse primam, quæ* Romæ *post reditum sit habita*. Egit *igitur senatui primum gratias, sed orationem non scripsit, deinde populo, postremo senatui, & magistratibus simul, & orationes scripsit*. Iisdem C*onsulibus* Prid. Cal. Octob. *ut in epistolis ad* Atticum *refert, orationem pro domo dixit: quam nos omnium pulcherrimam esse iudicamus*. EG. Id *ante* Quintilianus *de* Miloniana *iudicauit*. COR. *Omnium quas ante dixerat, pulcherrimam dico: quanquàm sperem, me, si reliquas etiam complectar, id esse probaturum, sed non est hic locus: quare dicamus, eum tunc orationem, quam de*

Rege Alexandrino, ut Fortunatianus, & Aquila docent, inscripsit, dixisse. Nam, quæ de Aruspicum responsis appellatur, eam post Megalesia Cn. Lentulo, L. Philippo Consulibus, ut in ipsa oratione legimus, dixit: quibus etiam temporibus poema scripsit, quod, ut ante significauimus, Marium uideri potest inscripsisse. Tunc enim Cicero de uetere, diuturnaq; sententia depelli, ac popularis esse cœpit: & ob id Marium, qui popularis fuit, ad Cæsarem, qui Marianus, & popularis fuit, uidetur misisse. Ad Atticum certe scripsit ita: Ain tu? existimas ab ullo malle mea legi, probariq;, quàm à te? Cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, & non habebam exemplar. Quid? etiam (dudum enim circunrodo, quod deuorandum est) subturpicula mihi uidebatur esse παλινῳδία, sed ualeant recta, uera, honesta consilia. non est credibile, quæ sit perfidia in istis principibus, ut uolunt esse, & ut essent, si quicquam haberent fidei. Illi uersus etiam fuerunt in Mario: Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuq; uolantem conspexit Marius diuini numinis augur, faustaq; signa suæ laudis, reditusq; notauit, partibus intonuit cœli pater ipse sinistris, sic Aquilæ clarum firmauit Iuppiter omen. In quibus quidem uersibus, & alijs Cicero uideri potest reditum Marij cum suo reditu, ut alibi quoque, comparasse. Oratio pro P. Sestio, & interrogatio in P. Vatinium sequi, uel potius orationi de responsis præponi debent. Nam P. Sestius ad III. Id. Mart. Cn. Lentulo, L. Philippo Consulibus est absolutus, ut ex epistolis ad Q. fratrem cognoscimus: oratio uero de responsis post Megalesia, quæ Non. Apr. fiebant, est habita. Iisdem Consulibus Cn. Domitius, ut in epistolis ad Q. fratrem uidere licet, Prætor fuit: apud quem M. Cælium defendit. Orationem quoque de prouincijs Consularibus iisdem Consulibus dictam fuisse, quum ipsi nos credimus, tum

Asconius affirmat. Nec ego ualde repugnem, *si quis eodem tempore pro L. Cornelio Balbo dixisse contendat*. Cn. enim *Pompeius*, & M. *Crassus eum defenderunt: quod illi fortasse postea, quamuis possent, non ita facile tamen fecissent*. Post *Consulatum certe* M. *Crassus in prouinciam profectus est*. O*ratio uero in* L. P*isonem dicta est, ut ait* A*sconius*, Cn. Pom*peio* Magno *iterum*, M. *Crasso iterum* Con*sulibus ante paucos dies, quàm* Cn. Pompeius *ludos faceret, quibus theatrum à se factum dedicauit*. A*sconius idem sic etiam scribit*: Oratio*nem pro* M. S*cauro eisdem* C*onsulibus dixit, quibus pro* Va*tinio*, L. Domitio A*enobarbo*, & Ap. *Claudio* P*ulchro*. Et *de* V*atinio quidem, præter ea, quæ nos ad* P. L*entulum scripta uidemus, ad* Q. *fratrem sic etiam scribit*: Ego *eodem die post meridiem* V*atinium aderam defensurus* : & *ibidem de* S*cauro: comitia in mensem* S*eptembrem reiecta sunt*. S*cauri iudicium statim exercebitur*. Item, *orationes efflagitatas pro* S*cauro*, & *pro* Pl*ancio absolui*. V*nde nos ipsi coniecimus*, Cn. P*lancium post* M. S*caurum, ut ibi ponitur*, L. Domi*tio*, & Ap. Claudio C*onsulibus defensum fuisse*. EGN. Le*uis est coniectura, quum sæpe nomina utrorum uel ut sub acumen styli subeunt, uel, ut oratio crescat, ita soleant, ordine sæpius etiam conuerso, collocari*. COR. Nec *illa grauis admodum*: Cn. P*lancium, qui* M*arcellino*, & Philippo Con*sulibus* Tribunus *plebis fuit, postea, quum factus esset* Aedilis, *accusatum fuisse, quum tamen inter* T*ribunatum*, & Aedili*tatem aliquot anni solerent intereſſe: sed illa grauißima*, C. A*lfium tum* Q*uæsitorem fuisse: de quo* C*icero* L. Domitio, & Ap. *Claudio* C*onsulibus sic ad* Q. *fratrem scripsit*: Hodie *hora octaua quum edicto* C. A*lfii* G*abinium adesse oporteret, concursu magno*, & *odio uniuersi populi pene afflictus est*. Item, Q*uæris quid fiat de* G*abinio? sciemus de maiestate tri*

duo: quo quidem in iudicio odio premitur omnium generum, maxime testibus cæditur, accusatoribus frigidißimis utitur, consilium uarium, Quæsitor grauis, & firmus Alfius. EGN. *Hæc ipsa nobis facile probas.* COR. *Facilius, opinor, probabo, quod nemo negat, libros oratorios iisdem* Consulibus *absolutos fuisse: quum sic, ad* Lentulum *scribens, ipse dicat: scripsi* Aristotelico *more, quemadmodum quidem uolui, treis libros in disputatione, ac dialogo de oratore. & in epistolis ad* Atticum: *de libris oratorijs factum est à me diligenter, diu, multumq; in manibus fuerunt, describas licet. Sed de libris oratorijs, siue de oratore nemo potest dubitare, nunc uideamus, quod ad eundem scribit:* Scripsi *etiam uersibus tres libros de temporibus meis, quos iampridem ad te misissem, si esse edendos putassem.* Hic *ego sæpe dubitaui, an ille sit liber, quem* βιβλίον ἀπόῤῥητον *, ut supra diximus,* Dion *appellat, & ut scriptum temporibus illis agnoscit, sed editum uiuo* Cicerone *negat.* Quem *quidem librum uidetur expositionem suorum consiliorum uocasse, ut* Asconius *ostendit: si modo liber idem fuit.* Cicero *certe quædam scripsit* ἀνέκδοτα, *quod in epistolis ad* Atticum *non semel ostendit, & nos alibi retulimus.* Eodem *tempore sex illos libros de* Rep. *scripsit, ut in epistolis ad* Q. *fratrem, & ad* Atticum *uidere possumus.* Iisdem Consulibus *etiam* Dion Gabinium *putat à* Cicerone *defensum: sed ipse aliquanto post diem* IIII. Cal. Decemb. *illius anni scribens ad* Q. *fratrem demonstrat, se ne tum quidem id ipsum cogitasse.* Quare *nos putamus, illud iudicium, in quo* Gabinins *à* Cicerone *defensus fuit, & condemnatus, uel in fine* Consulatus L. Domitij, & Ap. Claudij, *uel in principio illins anni, quo postea* Cn. Domitius, & M. Messala *Consules fuerunt, factum fuisse, nec ita multo post* C. Rabirium Posthumum *ab eodem* Cicerone *defensum.* Nam *sic in*

oratione pro Rabirio scriptum legimus: Posthumi causa, quæcunque est, seiuncta à senatu est: quòd si item à Gabinio seiunctam ostendero, certe, quod dicas, nihil habebis. & infra: Tu, inquit, Gabinium, ut Regem reduceret, impulisti. Non patitur mea etiam fides de Gabinio grauius agere. Quem enim ex tantis inimicitijs receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum uiolare non debeo: quocum stante si me Cn. Pompeij autoritas in gratiam non reduxisset, nunc iam ipsius fortuna reduceret. Quin uero pro Milone, Pompeio tertium Consule dixerit, nemo dubitat: sed quo tempore libros Augurales, quos Charisius, & Seruius uiderunt, & libros etiam de legibus scripserit, omnes possunt dubitare, quum de libris illis ipse nusquàm, quod ego uiderim, meminerit: nisi forte credimus, eum, quum in Cilicia Proconsul esset, utrosque scripsisse: alteros, ut cum libris de Rep. coniungeret: alteros, ut Appium, qui libros Augurales ad eum scripserat, remuneraretur: sed postea neutros ante libros, quos deinde scripsit, edidisse. Atticus enim sic in Bruto loquitur: Vt illos de Rep. libros edidisti, nihil à te sanè postea accepimus. EG. Ne orationes quidem, quas tu multas etiam numerasti? CO. Vel eas nondum ediderat; uel in eo numero non ponebat. Sed ad libros Augurales reuertamur: quos ille, nisi fuisset Augur, nunquàm scripsisset: ne, quod in oratione pro domo se facturum negat, Augurum libros, & res scrutari uideretur. Augur uero paulo ante, quàm in Ciliciam proficisceretur, est factus, ut ante diximus. Augur etiam, quum libros de legibus scripsit, erat, ut in ipsis libris apparet: in quibus etiam sic Atticus in principio loquitur: Si queres, ego quid expectem, quoniam scriptum est à te satis de optimo Reip. statu, cõsequens etiã esse uidetur, ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse uideo Platonem illum tuum, quem tu admiraris, Scripsit igitur de

legibus Augur ipse, quum Ser. Sulpicius adhuc incolumi Rep. *iuris ciuilis scientiam, quod in ipsis libris dicitur, sustineret.* Eos *ipse fortasse nunquàm, quòd essent inchoati, quod etiam nunc apparet, edidit.* Nam *si libros absoluisset, nunqàum* Quintilianus, *ut puto, dixisset, illum componere aliqua de iure cœpisse. Sed, ut in libris de officijs ait, plura breui tempore euersa, quàm multis annis stante* Rep. *scripsit.* Nam, *quo tempore* Cæsar Africum *bellum gessit,* Cicero *partitiones oratorias, &* Brutum *scripsit.* Et *de* Bruto *quidem nos in* Bruto *diximus: sed de partitionibus oratorijs, quia dubitari posse uidemus, aliquid dicendum uidetur: quamuis nihil habeamus, quod pro certo possimus affirmare.* Quare *coniectura nobis est utendum ea: uideri nobis eas ante scriptas fuisse, quàm* Cicero *filius* Athenas Cal. Apr. C. Cæsare, Q. Maximo *Consulibus, ut supra dictum est, mitteretur.* Nã *præsens in eo dialogo cum patre ruri loquitur. porrò dialogus ille uix inter* Tulliæ *mortem, &* Ciceronis *filij profectionem uideri potest institutus. quum pater eo tempore sic filiam lugeret, ut de rebus hisce nihil, aut parum cogitaret.* Quin *ex epistolis ad* Atticum *cognoscimus, eo tempore patrem ruri, & in solitudine, filium* Romæ *fuisse. Sequitur igitur, ut putemus, eos ante* Tulliæ *mortem de rebus illis inter se locutos fuisse.* Atq; *ipsum inter bellum* Africum, *&* Hispaniense *factum fuisse crederemus: nisi sciremus, & tempus illud breuius, &* Ciceronem *occupatiorem fuisse, quàm ut tam multa complecti potuerit: quàm multa nos infra dicemus.* Africi *uero belli tempore magis otiosus fuit, ut in ipsis partitionibus se tum fuisse demonstrat, & rus interdum, ut in* Tusculanũ *se conferebat, ut in principio libri duodecimi ad* Atticum *docet: quamuis longius abire non auderet, ut ad* Varronem *scribit.* Tunc *etiam* Cicero *filius annum decimũ octauum agebat ita, ut ea*

possent quærere: quod antea fortasse facere non potuisset. A*frica certe bello finito pro.* M. Marcello*, & pro* Q. Ligario *dixit:* Brutum*, quem prius, ut opinor, inchoauerat, absoluit:* Catonem*,* Oratorem*, & libellum de optimo genere oratorum scripsit, atque* Demosthenis*, &* Aeschinis *duas nobilissimas orationes inter se contrarias conuertit.* Tum Tullia*, sicut ante diximus,* Hispaniensis *belli tempore mortua seipse per literas est consolatus: quem librum de luctu minuendo, uel consolationis inscripsit.* EGN. *Tu supra post hanc consolationem,* Catonis *laudationem posuisti.* COR. *Posui quidem, sed ut absolutam. nam prius inchoatam fuise tunc etiam dixi: quod ad* Atticum *sic ante scripsisset:* De Catone *πρόβλημα ἀρχιμήδειον est: item,* Cato *me quidem delectat: & de* Oratore*:* T*antumne ab re tua est otij tibi, ut etiã* Oratorem *legas?* EGN. *Si* Pomponius Atticus Oratorem *prius etiam, quàm* Tullia *moreretur, legit: &* Cicero*, quod ipse refert,* Oratorem*,* C*atone absoluto, est aggressus, non* Cato *solum, sed* Orator *etiam ante* Tulliæ *mortem scriptus uidetur.* COR. *Videtur, sed neuter editus.* Nam Cicero *quum cætera sua scripta uellet ab* Attico *non legi modo, sed etiam emendari, tum duos hosce libros uoluit, ut arbitramur, ab eo diligenter considerari: in quorum alterum, quicquid habuit iudicij de dicendo, contulisset: alterum ne attigisset quidem, tempora timens inimica uirtuti, nisi* Bruto *hortanti, &* Catonis *memoriam charam excitanti, non parere nefas esse duxisset:* Itaque *uerisimile est,* Ciceronem *libros hosce, sed præsertim* Catonem*, de quo scripsit ad* Gallum*, uereor ne in* Catonium Cato *nos, in manibus multũ tẽporis habuisse.* Nos *autẽ cum* Oratore *librum de optimo genere oratorum coniunximus, quòd in utroque opere de* Atticis *disputat, & iudicium* Milonis *nominat: quod ostendit, illud opusculum tarde scriptum fuisse.* Hi-

ſpanienſis etiam belli tempore Hortenſium, & libros quatuor Academicos ex duobus confecit, & quinque de finibus bonorum, & malorum ſcripſit, ut libro decimo tertio ad Atticum ſæpius oſtendit, ſed ita, ut neſcias, utris utri ſint præferendi, niſi libro ſecundo de Diuinatione doceat ipſe, libros Academicos; libros de finibus, libros de Tuſculanis quæſtionibus, libros de natura Deorum, librum de ſenectute, libros de Diuinatione deinceps eſſe collocandos. EGN. Sic etiam nunc collocantur, ſed tu librum de ſenectute, qui Cato maior etiam dicitur, interiecisti. COR. Ipſe Cicero potius interiecit, qui libro ſecundo de Diuinatione ſic etiam ſcripſit: Interiectus etiam eſt nuper liber is, quem ad noſtrum Atticum de ſenectute miſimus. Pro Deiotaro Rege non multo ante Cæſaris cædem dixit: Nam Cicero literas, quas Cæſar ad Deiotarum Tarracone Bleſamio dedit, in oratione nominauit. Ea res oſtendit, orationem, quum Cæſar ex Hiſpania Romam poſt Saturnalia, quod in epiſtolis ad Atticum uidere licet, ueniſſet, habitam fuiſſe. De tempore, quo Lælius, ſiue de amicitia liber ſcriptus, & Timæus, ſiue de uniuerſitate liber eſt conuerſus, dubitamus: quòd uti Lælium poſt Catonem maiorem, & ante libros de officiis ſcriptum uidemus: ita neſcimus, utrum ante Cæſaris cædem, an poſt ſcriptus fuerit: de Timæo nihil habemus, quod dicamus, niſi libet ita ratiocinari: Liber ille certe poſt Academicos libros, quos ibi nominat, eſt conuerſus: in cuius quidem exordio P. Nigidium iam deceſſiſſe demonſtrat. Ille uero, quemadmodum ſcribit Euſebius, Cæſare Dictatore deceſſit. Vnde liber ille temporibus hiſce uidetur eſſe conuerſus. EGN. Vidi, qui dubitarent, an illud opus fuerit à Cicerone conuerſum. COR. At Nonius Marcellus, & cæteri Grammatici ueteres non dubitarunt, qui Timæum Ciceronis appellant: nec Diuus Auguſtinus dubitauit, qui

multos etiam uersus inde descripsit. Videtur autem Cicero duo bus fere mensibus post Cæsaris mortem librum de fato scripsisse. Nam sic in eo refert: Quum essem in Puteolano, Hircius que noster Consul designatus ijsdē in locis, uir nobis amicissimus, & ijs studijs, in quibus nos à pueritia uiximus, deditus, multum unà eramus, maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quæ ad pacem, & ad concordiam ciuium pertinerent. Quum enim omnes post interitum Cæsaris nouarum perturbationum causæ quæri uiderentur, hisque esse occurrendum putaremus, omnis ferè nostra in his deliberationibus consumebatur oratio. Deinde sermonem illum habitum fuisse testatur. In epistolis autem ad Atticum sic ait: Ego perspexi, quum à me XVII. Cal. Iun. de Puteolano Neapolim Pansæ conueniendi causa proficisceretur Hircius, omnem eius sensum: seduxi enim, & ad pacem sum cohortatus: Ego tamen non ualde repugnem, si quis contendat, eum sermonem tunc habitum, sed aliquanto post à Cicerone literis fuisse mandatum: dum mihi concedat, duos de gloria libros à Cicerone quatuor propè mensibus post Cæsaris interitum fuisse confectos. Id ex epistolis ad Atticum probari facile potest. Nam ante Non. Quint. ita scribit: librum tibi celeriter mittam de gloria: Alibi uero post VI. Id. Quint. ita: De gloria misi tibi. Item post IX. Cal. Sext. ita: de gloria librum ad te misi. & in eo procemium id est, quod in Academico tertio. Id euenit ob eam rem, quòd habeo uolumen procemiorum: ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα institui. EGN. Gellius hosce libros legit. COR. Franciscus etiam Petrarcha legit, sed hodie desiderantur: non desiderantur uero Topica, quæ diebus ijsdem penè scripsit, ut in epistolis ad Trebatium scriptis ostendit. Verum quæri posse uideo, an libros de officijs ante librum de gloria, & Topica scripserit: quum paulo post VIII.

Cal. Iun. ad Atticum scribens, ita dicat: Nos hic φιλοσοφοῦμεν: quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμεν ᾗ Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? Sed nos ita respondemus: Libros de officijs ille quidem citius inchoauit, sed tardius absoluit: quum libros de gloria in hisce nominet: & in epistolis ad Atticum post Cal. Sept. quum de medio Achaico cursu reuocatus, Romam uenisset, & rursus ex urbe discessisset, ita scripserit: Quod de inscriptione quæris: non dubito, quin τὸ καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, de officijs. προσφωνῶ autem Ciceroni filio. uisum est non ἀνοίκειον. Item postea: Mihi non est dubium, quin, quod Græci καθῆκον, nos officium. Id autem quid dubitas, quin etiam in Remp. præclare caderet? Nonne dicimus, Consulum officium, senatus officium? præclare conuenit, aut da melius. Conuenit etiam, ut nos cum libris hisce de officijs, in quibus tam multa de uirtutibus disputantur, cõmentarium de uirtutibus à Cicerone scriptũ cõiungamus: quãuis de illo libro nihil scriptũ nisi apud Charisium, legamus. Ex his autem, quæ dicta sunt, intelligimus, præter poemata, quæ nos quindecim libris complectimur, orationes sexaginta duas, & libros octo & quinquaginta Ciceronis numerari. Quare libro primo de officijs ita uidetur scripsisse: Te hortor, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui se iam illis ferè æquarunt, studiose legas. Id enim uiri docti putant ad numerum potius, quàm uel ad dicendi rationem, uel ad magnitudinem esse referendum. In Oratore sic etiam dixit: hæ res si erunt perfectæ, profectò forensibus nostris rebus & domesticæ literæ respondebunt. Quòd si causarum commentarios in tredecim libros Diomedem secuti, diuidemus; libri hoc genere scripti plures erunt, quàm orationes: quanquàm scimus, non orationes solum mul-

tas

tas, sed orationum etiam nomina multa desiderari. Nec nos omnia uel orationum, uel librorum nomina colligere, uel etiam recordari potuimus. Post aliquot Philippicas, ut opinor, τὰ παράδοξα conscripsit. Nam secundo τῶ παραδόξω in Antonium uidetur inuehi: quamuis in procemio de Catone quasi uiuo loquatur: quum tamen addit: Illud maiorum uigiliarum munus in tuo nomine apparuit: uidetur Brutum significare: quem nos ut concedamus uiuo Catone scriptum fuisse, non ita facile tamen eodem uiuo concedemus apparuisse. Philippicas autem partim M. Antonio, P. Dolabella, partim Hircio, Pansa Consulibus non multis mensibus ante mortem dixit, quarum libros sexdecim Nonius Marcellus in uerbo, manere, nominauit. Supersunt epistolæ: quarum nos apud Grammaticos uidimus libros circiter octuaginta poni: earum, quæ familiares appellantur, libros sexdecim, epistolarum ad Atticum libros totidem, ad Cornelium Nepotem libros totidem, ad Pompeium libros quatuor, ad Q. fratrem libros tres, ad M. Brutum libros septem, ad Pansam libros quatuor, ad Hircium libros octo, ad Caluum librum unum, ad filium librum unum, ad Marcellum, & Hostilium libros nescioquot, ad Octauianum libros tres. PIER. Octauianum ultimo loco posuisti, ut epistolam, quæ nunc ut ad eum scripta legitur, ultimam nobis ostenderes à Cicerone scriptam fuisse. CO. Iocaris tu quidem, sed tamen alibi nos ostendemus non modo non à Cicerone, sed ne à uiro quidem, qui literas sciret, scriptam fuisse, quamuis eam Franciscus Petrarcha, maioresq; nostri penè omnes Ciceronis fuisse iudicarint. Iam uero quis non intelligit, Ciceronis ingenium planè diuinum fuisse, qui tam multa, tam ualde ferè semper occupatus scripserit? Hinc in Oratore, nemo, inquit, orator tam multa, ne in Græco quidem otio scripsit, quàm multa sunt nostra, eaq; hanc ipsam

habent, quam probo, uarietatem. Id eo magis est mirandum, quo plus industriæ ille solebat adhibere. Profectò, inquit ad Appium scribens, non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari) tantum industriæ ponam, committere, ut negligens uidear. Hinc in epistolis ita Seneca scripsit: Compositio Ciceronis una est, pedem seruat, curata, lenta, & sine infamia mollis. Multa uero Cicero subsiciuis temporibus scripsit, ut ita libro primo de legibus ostendit: Subsiciua quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior, ut si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quæ scribimus: & in oratione pro Plancio: Orationes ego scripsi ludis, & ferijs, ne omnino unquàm essem otiosus: & in Philippicis: Dico me nec Reip. nec amicis unquã defuisse: & tamen omni genere monimentorum meorum perfecisse operis subsiciuis, ut meæ uigiliæ, meæq; literæ & iuuentuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid afferrent. Ob id in libris de Diuinatione sic ait: Quærenti mihi, multumq;, & diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere Reip. nulla maior occurrebat, quàm si optimarum artium uias traderem meis ciuibus, quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. PIER. Ille non solum scribebat, ut prodesset, sed etiam docebat: quod ita Quintilianus ostendit: Quid porrò est honestius, quàm docere, quod optime scias? Sic ad se Cælium deductum à patre Cicero profitetur: sic Pansam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensq;. COR. Inde factum est, ut Franciscus Philelphus, & maiores nostri putarint, Ciceronem ludum, quo tempore Cæsar omnia tenebat, aperuisse: præsertim quum ipse scribens ad Volumnium, & ad Papirium Pætum, se ludum, & discipulos habere testetur: nec uiderunt, cum particulam, qua-

ſi, ponere, & in illis epiſtolis ſemper ferè iocari: ne dicam, Ciceronis etiam diſcipulos eos potuiſſe uocari, qui Ciceronem, ut Sulpicius, & Cotta Craſſum, & Antonium, ſequerentur: & apud eum dicerent, ut corrigerentur: uel eum declamantem, quod ſæpe faciebat, audirent. Horum Quintilianus utrumque uerbis, quæ tu Pieri paulò ante recitaſti, complexus eſt: quòd utrumq; legerat in epiſtola quadam, quam Cicero ad Volumnium ſcripſit, eſſe comprehenſum: ne, quæ uel ipſe, uel Suetonius in Rhetoribus ſcribit de Panſa, & Hircio, qui coegerunt illum declamare, referamus. Ille certe ſi ludum aperuiſſet, nunquàm ſic in Oratore ſcripſiſſet: At dignitatẽ docere non habet, certe ſi quaſi in ludo, ſed ſi monendo, ſi cohortando, ſi percontando, ſi communicando, ſi interdum etiam unà legendo, audiendo, neſcio cur non docendo etiam aliquid aliquando, ſi poſſis, meliores facere nolis. Hoc igitur modo Cicero docebat, uel dicebat, quum iam dicendi genus mutaſſet, ut Philippicæ nobis oſtendunt: quanquàm non ſemel mutauit. Nam iuuenis ex Græcia non modo exercitatior, ſed etiam, quod in Bruto refert, propè mutatus ſe domum recepit: & paulo ante bellum ciuile, quum iam oratio caneſceret, remiſſius, & lenius, ut L. Craſſus primus oſtendit, dicebat: ut Atticus ita libro primo de legibus affirmat: Vereor, ne iſtam cauſam nemo noſcat, tibique ſemper dicendum ſit, & eo magis, quòd te ipſe mutaſti, & aliud dicendi inſtituſti genus: ut, quemadmodum Roſcius familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu ceciderat, ipſaſq; tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, ut iam oratio tua non multum à philoſophorum lenitate abſit: quod ſuſtinere quum uel ſumma ſenectus poſſe uideatur, nullam tibi à cauſis uacationem uideo dari. EGN. *Ob id eum fortaſſe Seneca gradarium uocauit.* COR. *Ob id etiam, &*

quòd, ut libro primo de legibus ait, ad dicendum nunquàm, nisi apparatus, & meditatus accedebat, poterat eodem die accusatori respondere, & tribus horis perorare. PIE. *Id ipse libro tertio de finibus refert.* COR. *Et hoc in* Bruto: *Maxime perspecta est utriusque nostrum exercitatio paulo ante, quàm perterritum armis hoc studium* Brute *nostrum conticuit subito, & obmutuit, quum lege* Pompeia *ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, uel potius easdem noui ueniebamus quotidie.* Nec *uiuos modo* Cicero *uel dicendo, uel docendo; ut ostendimus; sed mortuos etiam scribendo correxit.* EGN. *Quid ais?* COR. *Lucretij poetæ, qui perierat, libros, ut* Eusebius *refert, emendauit: quod in epistolis ad* Q. *fratrem uidetur ipse significare. Vtinam, quod instituerat de* Geographia, *perfecisset: de qua sic ad* Atticum *scripsit:* De Geographia, *dabo operam, ut tibi satisfaciam: sed nihil certi polliceor. magnum opus est: sed tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis tibi opus extet. Item,* γεωγραφικὰ, *quæ constitueram, magnum opus est: ita ualde* Eratosthenes, *quem mihi proposueram, à* Serapione, *& ab* Hipparcho *reprehenditur. Vtinam, quod etiam magis optamus, historiam scripsisset.* EGN. *Ille, quod multi putant, hac in parte non satisfecisset.* COR. *Ille, quod plures putant, optime satisfecisset: quem ad omnia summum, atque excellens ingenium, quod* Cecina *dixit, armauit: quique primus, ut arbitror, apud nos ea de re præcepta tradidit, & ei se* Bibulo, *&* Cæsare *Consulibus dedit.* Nihil *dico, quòd nemo melius, quàm* Cicero, *memoriam rerum* Romanarum *tenebat: ex qua, si quando opus esset, ab inferis, ut ait in* Bruto, *locupletißimos testes excitaret.* Romani *porrò, qui tunc uiuebant, &* Ciceronem *melius, quàm nos, norant, id ab eo nunquàm, quod ille præstare non posset, postu-*

lassent. Libro tamen primo de legibus Atticus ita loquitur: *Postulatur à te iandiu, uel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studijs, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus: ut ea, quæ salua per te est, per te eundem sit ornata. Abest enim historia literis nostris, ut & ipse intelligo, & ex te persæpe audio.* Potes *autem tu profectò satisfacere in ea: quippe quum sit opus, ut tibi quidem uideri solet, unum hoc oratorium maxime.* Atticus *autem, qui* Ciceronis *ingenium uel unus optime norat, & illius laudis, ut qui maxime, studiosus erat, ad id illum nunquàm, quod ille præstare non posset, esset hortatus: nec* Cicero*, qui se melius etiam norat, id aggredi tantopere desiderasset: quod ex epistolis ad* Atticum *colligi potest: hortaris me, ut historias scribam.* Item, *Ardeo studio historiæ: incredibiliter enim me commouet tua cohortatio.* Nec *uero semel ille, sed sæpius uel in* Verrinis*, uel alibi, quid in ea re præstare posset, ostendit.* Nec *in historiam Græcorum fabulas, & orationes transferre, quod* Plutarchus *ait, cogitarat: qui neutras, ut in libris de legibus, & in* Bruto *uidere licet, in historia probaret. Sed ille postea negotijs quum priuatis, tum publicis impeditus, & quo modo dictum est, etiam sublatus, nec historiam, quemadmodum cupiebat, scripsit: nec* Philosophiam*, quemadmodum cœperat, absoluit.* Quòd *si potuisset absoluere, quod cœperat, uerum fuisset, quod ita libro secundo de* Diuinatione *scripsit:* Ad *reliqua acri tendebamus animo sic parati, ut, nisi quæ causa grauior obstitisset, nullum philisophiæ locum pateremur, qui non latinis literis illustratus pateret. ô uirum dignum, qui non modo trecentos annos, ut* Nestor*, sed semper etiam uiueret: quum dies, & noctes*

aliud nihil, nisi quo pacto posset hominibus quàm plurimum prodesse, cogitaret. Verum, *quum prius ipse literis, & moribus ornatus,* Quæstor, Aedilis, Prætor, *Consul fuisset, eosq; magistratus sanctißime geßisset: quum curiam cæde, urbem incendijs,* Italiam *bello liberasset: quum ex defensionibus, exilio, prouincia, bello ciuili, scriptis, & omnibus quum priuatis, tum publicis actionibus immortalem sibi gloriam comparasset: quum* Græcos *etiam laude superasset:* M. Antonij *iussu necatus, in eum locum, quem scripserat, omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, in cœlo certum, ac definitum esse, in illum quasi domum suam, ubi beatus æuo sempiterno fruetur, commigrauit.* EGN. *Iam tu quidem, quod ad* Ciceronis *uitam pertinet, ut uideo, perorasti: sed, quod* Spartianus *scribit, non dixisti:* Tullio *soli melius fuerat liberos non habere.* COR. *Diximus, quod ad pecunias in prima prouincia signatas pertinebat: nunc autem numos, qui sunt in ciuitatibus attributis exacti, dabimus: in quibus hunc ipsum, in quo* Cicero *filius est expressus, numerari uolumus.* EGN. *At hic ita similis est illis, quos ante dedisti, ut in eodem loco, & ex eodem argento factus esse uideatur.* COR. *In prima quidem prouincia ille fuit inchoatus, sed in attributa ciuitate, quod certo scimus, exactus. De argento uos, quorum interest, uideritis.* EGN. *Bene dicis,* Quare Pieri, *qui melius uides, inspice.* PIE. *Plumbeus est numus.* COR. *In* Britanniam *mittetur. Nam uos quidem numos, qui probentur usquàm, per legem recusare non potestis: quanquàm uix plumbeus esse totus potest, quum* Cicero *non argentum modo, sed aurum etiam, quo quàm optimus fieret, præbuerit.* EGN. *Id nemo pro certo potest affirmare: sed ut præbuerit, qui numos tamen excudunt, sæpe fraudant, & plumbum pro argento supponunt, uel ita cum illo*

miscent, ut à principio nemo quidem, sed omnes postea cognoscant. COR. *Hunc numum nos quidem esse talem fatemur, sed tamen ostendemus ipsum plus argenti, quàm plumbi uel nũc habere: de quo Cicero sic ad Atticum scribit:* L. Iulio Cæsare, C. Martio Figulo Consulibus filiolo me auctũ scito salua Terentia. *Is annum septimum quum ageret, patris exilio doluit: & quod ad Terentiam Cicero scripsit, quum primum sapere cœpit, acerbißimos dolores, miseriasq; percepit.* Hinc *ad Q. fratrem ita scriptum legimus:* Quid filium uenustißimum, mihiq; dulcißimum, quem ego ferus, ac ferreus è complexu dimisi meo, sapientiorem puerum, quàm uellem: *& in orationibus:* Quid paruus filius, quem, quandiu abfui, nemo nisi lachrymantem, confectumq; uidit, quid fecerat, quòd eum toties per insidias interficere uoluisti? *Id alibi quoq; testatur: sed hunc Cicero reuersus, à Dionysio, quem uirum doctißimum semper describit, erudiendũ curauit. Ob id ad Atticum* L. Domitio, Ap. Claudio Consulibus, *quibus annum decimũ filius attingebat, ita scripsit:* Dionysium uelim saluere iubeas, & eum roges, & hortere, ut quàm primum ueniat, ut poßit Ciceronem meum, atq; etiam meipsum erudire. *Quin interdum solebat ipse docere, ut sic in epistolis ad Q. fratrem refert:* Mihi curæ erit, ut Ciceronem tuum, nostrumq; uideam scilicet quotidie, sed inspiciam, quid discat, quàm sæpißime: &, nisi ille contemnat, etiam magistrum me ei profitebor: cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore perdocendo. *In prouinciam postea duxit, ubi Dionysius illum docuit, & exercuit: sed in Italiam quum redijssent, Dionysius penè defecit. Quare Cicero dolens ita scripsit ad Atticum:* Dionysio qui noster bonos, quod obsequium, quæ etiam ad cæteros commendatio contempti cuiusdam hominis defuit? ut meum iudicium reprehendi à Q. fratre, uulgoq; ab

omnibus mallem, quàm non illum efferre laudibus, Ciceronesq; *nostros meo potius labore subdoceri, quàm me ijs magistrum quærere*. *Cicero filio, quum iam esset annorum sexdecim*, C. *Marcello*, L. *Lentulo Consulibus* Arpini, *iam* Pompeio *ex* Italia *pulso*, *&* Cæsare *in urbem reuerso, togam puram dedit, ut libro nono ad* Atticum *testatur*. Is *eo tempore tractabilis erat, & patrem, ut* Pompeium *sequeretur, hortabatur, ut ex uerbis illis ad* Atticum *scriptis intelligimus*: Ego *meum filium facile teneo. nihil est enim eo tractabilius: cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi: & quo ille me fortiorem uult esse, eo magis timeo, ne in eum existam crudelior*. Ad *bellum ciuile postea patrem secutus est, & à* Pompeio *alæ præfectus fuit, ut in libris de officijs ostendit: & reuersus multum temporis etiam literarum studijs operam dedit: nam pater curabat, ut non minus græce, quàm latine diceret, quod in partitionibus oratorijs ostendit*. Ille *postea, ne socrum ferret*, Romæ *domum conducere cogitauit, & alia fecit, quæ scribens ad* Tironem *suæ ætatis errata uocat*. EGN. *Hac in parte numus est plumbeus*. COR. *Et in ea, quæ iuncta est*. Nam *missus, ut supra dictum est*, Athenas, *à* Gorgia Rhetore *uoluptatibus, & compotationibus est corruptus*. Hinc *ebrietas illius à* Seneca, *&* Plinio *celebratur*. PIE. *Eum tamen* M. Brutus, *ut ante retulisti, commendauit*. COR. Messala, Trebonius, *& alij prius etiam commendarunt: sed* Cicero, *quod in epistolis ad* Atticum *uidere licet, timebat, ne fingerent, ut sibi gratificarentur*. EGN. *Ita certe* Plutarchus *postea commendauit, ut id dici non posit*. COR. *Consul etiam postea cum* C. Cæsare Octauiano *fuit, ut* Seneca, Plinius, *&* Plutarchus *affirmant*. PIE. Seneca *quidem ita*: Ciceronem *filium quæ res* Consulem *fecit, nisi pater?* CO. *Et* Appianus *ita latine*: Cicero *à* Cicerone *parente eius in* Græ-

ciam præmissus, quum fortunam huiuscemodi futuram timeret, è Græcia ad Brutum peruenit. Defuncto deinde Bruto ad Pompeium pertransiuit, cum utroque Præturæ functus est officio. Hunc Cæsar, quo se à traditione Ciceronis excusaret, Pontificem statim declarauit, nec multo post Consulem instituit, & Syriæ Prætorem. EGN. Et Plutarchus ita: Octauianus Consul Ciceronis filium collegam delegit: sub quo senatus imagines Antonij sustulit, & alios honores antiquauit: ac decreuit, ne quis Antoniorum Marcus appellaretur. Sic Deus in Ciceronis domum finem Antonij ultionis contulit. COR. Hæc omnia defendi possunt, præter illud, quod refert Appianus, ab Octauiano Ciceronem filium Syriæ Prætorem factum fuisse: Seneca certe scribit ita: Erat Cestius nullius quidem ingenij, Ciceroni etiam infestus: quod illi non impune cessit. nam, quum M. Tullius filius Ciceronis Asiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit præter urbanitatem, cœnabat apud eum Cestius. M. Tullio & natura memoriam dempserat, & ebrietas, si quid ex ea supererat, subducebat: subinde interrogabat, quis ille uocaretur, qui in imo recumberet: &, quum sæpe subiectum nomen Cestij excidisset, nouissime seruus, ut aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille esset, qui in imo recumberet, ait, hic est Cestius, qui patrem tuum negauit literas scisse: afferri protinus flagra iussit, & Ciceroni, ut oportuit, de corio Cestij satisfecit. Atque hæc quidem sunt, quæ de Ciceronis filio referenda uideantur. Epistolas quidem, quæ nunc extant, ad Tironem scriptas nos alibi cogitamus interpretari. De Tullia uero, & Terentia, præter ea, quæ dicta sunt, nihil amplius dicendum uidetur, nisi libet addere, quod nonnulli scripserunt, Terentiam à Cicerone dimissam primum Sallustio, deinde Messalæ nupsisse: & eam, quod Plinius af-

firmat, annos centum decem, & septem uixisse. nam quod apud Dionem legimus uxorem Ciceronis Vibio Rufo nupsisse, utram significet, nemo diuinare potest: quum Cicero duas uxores, ut ante diximus, habuerit. Sed de Cicerone, de Ciceronis *liberis, & uxoribus satis dictum uidetur. Quare tempus est iam, ut aliquid de fratre, & filio fratris dicamus: quamuis ea, quae dicta sunt, communia multis in locis esse uideantur. Q. igitur* Tullius Cicero M. *Tullij* Ciceronis *frater germanus fuit, ijsdem parentibus natus, & ijsdem doctoribus eruditus. Id in libris oratorijs ostenditur: ubi* Cicero *docet, eum, quamuis ornate & diceret, & scriberet, oratorem tamen esse noluisse.* Nam *sic ait:* Nec *uero te charissime frater, atque optime,* Rhetoricis *nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam. Quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? sed quoniam siue iudicio, ut soles dicere, siue, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore à dicendo, & timiditate ingenua quadam refugisti: siue, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse non modo in una familia* Rhetorem, *sed pene in tota ciuitate: non tamen arbitror, & quae sequuntur. In eadem uilla non uidetus esse natus. nam* Cicero *libro secundo de legibus ita dixisset. Hoc ipso in loco, quum auus uiueret, & antiquo more parua esset uilla, ut illa* Curiana *in Sabinis, nos scito esse natos. Erat, inquit* Cornelius Nepos, *soror Attici nupta Q.* Tullio Ciceroni: *easq; nuptias* M. Cicero *conciliarat. Illa* Pomponia *dicebatur, ex qua* Quintum *filium paulo ante* M. Ciceronis *Consulatum suscepit.* Nam Q. Cicero *filius* M. Cicerone *filio maior natu fuit, ut in epistolis ad Q. fratrem legimus, & togae purae suis temporibus utrique datae demonstrant. Quum uero filium suscepisset, non ita multo post ad Marcum fratrem librum de petitione Consulatus scripsit, & in* Consu-

latu postea Ciceronis omnium laborum, & periculorum particeps fuit, quod in epistolis ad ipsum scriptis legimus. EG. *Eum tamen ad se Cæsar traduxit.* COR. *Id efficere potuit amicitia, quæ uetus illi cum Cæsare fuit.* PIE. *Hoc in epistolis ad Lentulum Cicero scribit, illud Suetonins affirmat.* COR. *Verum dicis: sed in epistolis ad Atticum, & in orationibus idem Cicero demonstrat: Quintum fratrem Prætorem M. Messala, M. Pisone Consulibus ante Idus Martias Asiã prouinciam sortitum, & ante Non. Decemb. profectum L. Flacco successisse.* EGN. *Nihil de cæteris eius magistratibus dixisti.* COR. *Nihil inueni: sed suspicor, illum, præter Consulatum, magistratus omnes, quos frater habuit, assecutum fuisse. In epistolis ad Atticum sic certe scribitur: Satyrus fuit & mihi, & Quinto fratri magno usui in nostris petitionibus. Item, obieris Quinti fratris comitia: & in oratione pro Plancio: Me cum C. Virgilio uel maxime tum uetusta amicitia, tum mei fratris collegia, tum Resp. sociarat. Hic enim cognoscimus, non uno tantum in magistratu C. Virgilium Q. fratris collegam fuisse. In prouincias etiam uidentur eodem tempore profecti: quum sic ad ipsum Quintum fratrem scribat: Et mediocri me dolore putas affici, quum audiam qua sit existimatione Virgilius, qua tuus uicinus C. Octauius? Hinc in Augusto Suetonius ita scribit: Octauius ita socios tractauit, ut epistolæ M. T. Ciceronis extent, quibus Quintum fratrem eodem tempore parum secunda fama Proconsulatum Asiæ administrantem hortatur, & monet, imitetur in promerendis socijs uicinum suum Octauium. Quanquàm Suetonius nec parum secunda fama, nec Proconsulatum fortasse dicere debuit. Vt enim concedam Proconsulatum, ut Consulatum, dici, Quintus Cicero certe Proconsul non fuit, quum Prætor, non Proconsul, Asiam prouinciam prætoriam sortitus esse di-*

catur, & à Cicerone, & Cornelio Nepote Prætor, non Proconsul appelletur: nisi forte, quemadmodum, qui Proconsul sit, sæpe Prætor uocatur: ita, qui Prætor sit, Proconsulem dici posse credamus. Nec parum secunda fama dici potest administrasse Proconsulatum: quem nemo, quum redijsset, accusarit: quemque Cicero quum in orationibus, tum in epistolis ad ipsum scriptis tantopere commendatum, totque, & tantis honoribus ornatum fuisse testetur. EGN. Cur igitur eum Cicero tam longis epistolis hortabatur? COR. Quia uolebat eum sine exceptione laudari. Omnes enim, qui ex Asia ueniebant, ita de Quinti fratris uirtute, integritate, humanitate commemorabant, ut in eius summis laudibus exciperent unam iracundiam. Hinc ad eum Cicero scripsit ita: Si omnium mearum literarum præcepta repetes, intelliges, nihil esse à me, nisi orationis acerbitatem, & iracundiam, &, si forte, raro literarum indiligentiam reprehensam: quibus quidem in rebus si apud te plus autoritas mea, quàm tua siue natura paulo acrior, siue quædam dulcedo iracūdiæ, siue dicendi sal facetiæq; ualuissent, nihil sanè esset, quod nos pœniteret. Erat autem Quintus frater iracundus: & ob id uxori sæpe, quod postea dicemus, irascebatur: & Attico Roma discessit iratus, fortasse quòd legatus ire noluisset, ut Cicero, & Cornelius Nepos ostendunt. Sed ille Tuberonem, Allienum, & Gratidium legatos habuit, Quæstorem nescioquem, nomenclatorem Syllam, præfectos, uel contubernales Cæsium, Chærippum, & Labeonem. Verum quum treis annos Asiam gubernasset, Romam Gabinio, & Pisone Consulibus redijt, quum iam frater eiectus fuisset: &, ut in oratione post reditum in senatu scribitur, in eum pietate filius, consilijs parens, amore, ut erat, frater inuentus est. Iccirco sic in oratione pro domo Cicero scripsit: Frater meus, quum aliquan-

to post meum discessum ex prouincia uenisset, neque sibi uiuendum, nisi me restituto, putaret: quum eius mœror, squalor, incredibilis, & inauditus omnibus mortalibus miserabilis uidebatur, quoties ex uestro ferro, ac manibus est elapsus? Sed hæc, & alia sunt à nobis etiam supra relata. Is igitur quum Pompeio pro fratre spopondisset, illum reuocandum curasset, & reuocatum multum sua liberalitate iuuisset, in Sardiniam Pompeij legatus, ut arbitror, loco fratris est profectus. Eum certe Pompeius in Sardinia conuenit, & ad eum Cicero multas epistolas in Sardiniam misit. Atque hæc quidem usque ad L. Domitium, & Ap. Claudium Consules facta sunt. Tunc enim, uel certe paulo ante Cæsaris legatus in Galliam uenit: ubi Cæsar eum, quod in epistolis ad ipsum scriptis, & ad Atticum legimus, plus quotidie dilexit, & honore, dignitate, gratia, non secus, ac si Cicero fuisset imperator, tractauit. Et sane prudenter, & fortiter, ut ipse Cæsar affirmat, in bello se gessit: quamuis esset tenuissima ualetudine, nec facile militiæ labores ferret. Iam Marcello, Sulpicio Consulibus illum Cicero reuocatum ex Gallia sibi legauit: quicum proficiscens in Arcanum suum fundum uenit: ubi cum Pomponia uxore litigauit. EGN. Qui non litigat, cœlebs est. CO. Quintus quidem Cicero sæpe cum Pomponia litigabat: quæ morosa mulier uidetur fuisse: quanquàm fortasse causam habuit: quòd Statium uideret à uiro nimis amari: quem etiam scribens ad Atticum, & ad ipsum Quintum fratrem Cicero, doluit, manumissum, & tam gratiosum fuisse. Sed & illa difficilis fuit ita, ut Quintus Cicero uel absens eam repudiare cogitarit: idque fortasse fecisset, nisi fuisset à Quinto filio reconciliatus: quum adhuc esset in Cilicia, ubi se præclare gessit, &, quum frater eum prouinciæ præficere uellet, assentiri noluit. Romam igitur uenienti Pomponia ne in Arcanum quidem obuiam uenit:

quod etiam Cicero ualde miratus est. Bellum ciuile secutum est, in quo fratrem secutus ille, se ad Pompeium contulit: nec ab eo Cicero potuit impetrare, ut maneret. Dicebat enim, quicquid Ciceroni placeret, id rectum se putare: Cæsar tamen existimabat, eum Ciceronis profectionis lituum fuisse. Quare Cicero sic ad illum scripsit: De Quinto fratre meo non minus laboro, quàm de me ipso: sed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. Illud dúntaxat tamen audebo petere abs te, quòd te rogo, nequid existimes ab illo factum esse, quo minùs mea in te officia constarent, minúsue te diligerem, potiusq; illum semper autorem nostræ coniunctionis fuisse, meique itineris comitem, non ducem. Quare cæteris in rebus ei tantum tribues, quantum humanitas tua, amicitiaq; uestra postulat. Ego ei nequid apud te obsim, id te uehementer etiam, atque etiam rogo. Atque hæc ipsa Cicero faciebat, quum tunc ei Quintus frater esset inimicissimus: quippe quum de ipso ad multos multa scripsisset, & multa præsens in præsentem acerbe dixisset, & fecisset: & Quintus filius P. Terentio uolumen orationis ostendisset, quam apud Cæsarem contra ipsum Ciceronem esset habiturus. Nam Quintus, inquit, misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. Dictitat, se à me apud Cæsarem oppugnari: quod refellit Cæsar ipse, omnesq; eius amici. Neque uero desistit, ubicunque est, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi unquàm tam incredibile accidit: nihil in his malis tam acerbum. Qui ex ipso audissent, quum Sicyone palàm multis audientibus loqueretur nefaria quædam, ad me pertulerunt. nosti genus: etiam expertus es fortasse: in me est omne conuersum. Et sanè Quintus Cicero nõ solũ iracundus, sed maledicus etiã, & contumeliosus erat, ut in epistolis ad ipsum scriptis uidere possumus. Postea uenit, qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarem

uidisse Quintum filium cum Hircio: eos de Quinto, quæ uoluissent, impetrasse nullo quidem negotio: quanquàm Cornelius Nepos ita scribit: Attici quies tantopere Cæsari fuit grata, ut uictor, quum priuatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium, & Quintum Ciceronem ex Pompeij castris concesserit. Domum postea Quintus frater, & Cicero quum rediissent, sunt reconciliati: sed Quintus filius, qui iampridem corruptus fuerat, in Hispaniam profectus, patruo, patri, & fratri patrueli maledicebat: quod in epistolis ad Atticum quum alijs uerbis, tum illis ostenditur: Balbus minor mecum locutus est: Hircium cum Quinto acerrime pro me litigasse: omnibus eum locis facere, maximeq; in conuiuijs: quum multa de me, tum redire ad patrem: nihil autem habeo ἀξιοπίστως dici, quàm alienißimos nos esse à Cæsare: fidem nobis habendam non esse: me uero etiam cauendum: φοβερὸν ἦν, nisi uiderem scire Regem, me animi nihil habere: Ciceronem uero meum uexari, sed id quidem arbitratu suo. Sed nec ille de matre pie scripsit: quam tunc oderat ita, ut scripserit, se domum, in qua esset illa, uidere non posse. Ea uidetur fuisse causa, quòd, dum dubitabat, quam duceret, nec matri, nec auunculo satisfaciebat. Pomponiam uero post Cæsaris cædem uel amisit, uel, ut ante cogitarat, dimisit: & Aquiliam uel duxit, uel ducere cogitauit. In epistolas ad Atticum sic certe legimus: Scribis esse rumores, me, ad lacum quod habeo, uenditurum: minusculam uero uillam utique Quinto traditurum uel impenso pretio, quo introducatur, ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquilia. Ego uero de uenditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, inuenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore: satis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit. à ducenda autem uxo

re sic abhorret, ut quicquã libero lectulo neget esse iucundius. Item, Quintus filius ad patrem acerbißimas literas misit: quæ sunt ei redditæ, quum uenißemus in Pompeianum: quarum tamen erat caput, Aquiliam nouercam non esse laturum. sed hoc tolerabile fortasse: illud uero? se ab Cæsare habuisse omnia, nihil à patre, reliqua sperare ab Antonio. ò perditum hominem. Tunc enim Cæsarianos sequebatur: & ob id accusatus à patre, quòd coronatus fuisset, rescripsit, se coronam habuisse honoris Cæsaris causa, posuisse luctus gratia: postremò se libenter uituperationem subire, quòd amaret etiam mortuum Cæsarem. Illum Cicero M. Antonij dextellam uocat. Consilium tamen postea mutauit, ut sic ad Atticum Cicero scribens, ostendit: Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem ualde asseueranter, se hæc ferre non posse: certum sibi esse ad Brutum, & Caßium transire. Item, Narro tibi: Quintus pater exultat lætitia: scripsit enim filius, se iccirco profugere ad Brutum uoluise, quòd quum sibi negotium daret Antonius, ut eum Dictatorem efficeret, præsidium occuparet, id recusasset. Quum uero non ita multo post ex urbe exisset, ostendebat, se Fauonium, Asinium, & Catonem fore: quem Cicero planè commutatum Bruto commendauit. Ille uero paucis post diebus ad fratrem suum patruelem scripsit, se ex Nonis Decemb. ædem Opis explicaturum. Ob id, opinor, illum postea M. Antonius edicto compellauit: quod in Philippicis ita legimus: M. Antonius Q. Ciceronem fratris mei filium compellat edictò, nec sentit amens commendationem esse compellationem suam. Quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quàm cognosci ab hominibus Cæsaris consiliorum esse socium, Antonij furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris, & patrui parricidio cogitasse. ò admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem,

in eum adolescentem hæc scribere audere: quem ego, & frater meus, propter eius suauißimos, atque optimos mores, præstantißimumq; ingenium, certatim amamus: omnibus horis, oculis, auribus complexum tenemus. Et sane, quamuis antea fuisset impurus, ut à Cicerone dicebatur, pium tamen illum fuisse finis ostendit: siue, quod Appianus refert, petijt, ut ante patrem necaretur: siue patrem, quod Dion scribit, abscondit, nec ullis unquàm tormentis cogi potuit, ut illum, quem potius, quàm se seruari cupiebat, indicaret. Sed pater id ipsum ferre non potuit. Quare quum se prodidisset, à Triumuiris uterque fuit interfectus, & quidem eodem tempore, ut Appianus affirmat. Fuit Q. Cicero M. frater tenuißima ualetudine, ut Cæsar scribit, exiguo corpore, ut Macrobius ostendit, sed ingenio magno: qui uersus optime scriberet, ut in epistolis ad ipsum Cicero sic testatur: *De uersibus, tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quàm mihi.* Item, *Tu, qui omnes isto eloquendi, & exprimendi genere superasti, uersus à me petis?* Item, *Quatuor tragœdias sexdecim diebus absoluisse quum scribas, tu quicquam ab alio mutuaris?* Quum uero tragœdias scriberet, Sophoclem, quem tragicorum principem constituunt, admirabatur, eoque delectabatur. Dedit etiam operam Philosophiæ: quippe cui in doctrina, cui in uirtute, atque humanitate percipienda plurimum à pueritia studij fuit, & temporis, ut in epistolis ad ipsum legimus. Hinc in libris de finibus Peripateticos ita laudat, ut Peripateticus fuisse uideatur: quamuis in libris de Diuinatione stoice Stoicorum sententiam defendisse dicatur. Atque ille quidem multa quum scripsisset, ut tragœdias, & annales, epistolas tamen aliquot tantum nos hodie, libellumq; de petitione Consulatus habemus: sed illas aliàs, hunc autem nunc operam dabimus: ut, quemadmodum polliciti sumus, quàm diligentißime, &

breuißime fieri poterit, explicemus. Neque tamen res singulas, ut interpretes, sed rerum, & uerborum quasi summas ut Quæstores persequemur. In primis igitur occurrit uerbum, consequi: quod in libris manu scriptis positum uidemus: ut à ueteribus ponebatur. Orbilius enim, quod Grammatici referunt, ita dixit: Hæc uix ab hominibus consequi possunt. Ita Quintus etiam Cicero locutus uidetur, si libros ueteres sequimur: sin recentiores, in quibus, homines, uerbum descriptum uidemus, ille, quemadmodum alij nunc, locutus fuerit. Sic in alijs etiam libris illa uerba legimus: Vt ea, quæ in te dispersa, atque infinita uiderentur esse, ratione, & distributione sub uno aspectu continerentur. Quæ uero sit in hisce uerbis, & in alijs, quæ ponemus, dißimilitudo, cognoscet, qui uolet conferre: ne nos conferre cogamur: qui ne illa quidem, quæ de Ciceronis nouitate, Consulatu, Roma, dicendi gloria, patrocinio, rebus sepositis hoc loco dicuntur, quòd nota sint, & alibi sint dicta, conferemus. Ea potius, quæ de Demosthenis studio, & exercitatione scripsit Demetrius, nunc ipsi quoque recordemur: de quibus ita Cicero libro secundo de Diuinatione refert: Multi etiam naturæ uitium meditatione, atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalareus, quum Rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planißime diceret. Mitto, quæ M. Antonius in libris oratorijs, & Valerius Maximus in suis, & Plutarchus in uita Demosthenis retulerunt. Illa uero Demetrius Phalareus optime scire poterat: qui Demosthenem senem iuuenis audiuerat, & illum fortasse uiderat in Phalericum, ut ad fluctum declamaret, descendentem. Quintus igitur Cicero uolebat, ut frater ea, quæ nocere, & impedimento esse uidebantur, studio, & dicendi exercitatione superaret. Addit eum publicanos habere, & totum ferè equestrem ordinem: quòd quamuis publicani equites

essent, omnes tamen equites non erant publicani. Ii porrò sem per Ciceronis studiosi fuerunt, ut sæpe testatur. Iam uerba, quæ sequuntur: multa præterea municipia, sic in ueteribus libris legimus; multa præterea diuina municipia: quod posse defendi putamus. Cætera, quæ deinceps dicuntur, clara sunt, & de nobilium uoluntate, deque Ciceronis competitoribus nos ante diximus ita, ut penè nihil hoc loco supersit, quod explicemus: nisi forte libet, quod antea de Pompeij gra tia tanquàm contrarium positum fuit, explicare. Iurat igitur in oratione Cicero, quod sciebat: hic Quintus scribit, quod fortasse nesciebat, quamuis frater esset, & id ipsum suspicaretur. Vel Cicero populo dabat, apud quem loquebatur: hic uult apud optimates, quod populare uidebatur, excusari. Vel Cicero poterat, ne causæ noceret, aliqua in parte mentiri: hic debet, ad fratrem scribens, quod prorsus uerum sit, referre. Hic item sciebat, quod Cicero postea scribens ad Curionem, significauit, adolescentes nobiles in suffragijs solere esse gratiosos: iccirco fratrem monuit, ut eos teneret. sed quo loco de P. Galba, & L. Cassio loquitur, ueremur, ne legere oporteat: nam P. Galbam, & L. Cassium: ut rationem reddat, quare plus illis nobilitas, quàm Ciceroni uirtus prodesse non debeat: quòd quamuis ex amplissimis familijs, ut ait, essent nati, Consulatu tamen indigni putabantur. Nam P. Sulpicius Galba patricius, & uir sobrius, & sanctus etiam fuit, ut Asconius ostendit, sed ita sine neruis, ut, quod in epistolis ad Atticum legimus, homines ei uulgo negarent. De Cassio uero sic Asconius scribit: L. Cassium Longinum plebeium nobilem, qui iners, ac stolidus tùm magis, quàm improbus uideretur, post paucos menses in coniuratione Catilinæ esse apparuit, ac cruentissimarũ sentẽtiarũ fuisse autorẽ. Iã Quintus Cicero C. Antonium, & L. Sergium Catilinam sicarios appellat:

quòd Catilina uere sicarius fuit; ut infra describitur, & apud Asconium reus inter sicarios post repulsam factus esse dicitur: Antonium uero gladiatorem, & illum, & Catilinam sicas Cicero in oratione in toga candida uocare non dubitauit. Quàm uero essent libidinosi paulo post ipse Quintus, ne Sallustium, & Asconium nunc appellemus, ostendit: nec illorum tacet egestatem, ut indicabimus. Eorum alterius, inquit, bona proscripta uidemus: uocem denique audiuimus iurantis se Romæ iudicio æquo cum homine Græco certare non posse: & ex senatu eiectum scimus. His C. Antonium significat: de quo Cicero sic in oratione in toga candida scripsit: quem clientem habere potest is, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit se iudicio æquo certare posse? Quæ quidem uerba sic Asconius interpretatur: Clientem negat habere posse C. Antonium. nam is multos in Achaia spoliauerat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Deinde Græci, quos spoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum Prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. egit pro Græcis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. &, quum Lucullus id, quod Græci postulabant, decreuisset, appellauit Tribunos Antonius, iurauitq; se ideo iurare, quòd æquo iure uti non posset. Hunc Antonium Gellius, & Lentulus Censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu mouerunt, causasq; subscripserunt, quòd socios diripuerit, quòd iudicium recusarit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia manciparit, bonaq; sua in potestate non haberet. In uerbis Quinti Ciceronis, uidimus, & è senatu, libri ueteres habent. Verum uerba, quæ sequuntur, his, quæ retulimus uidentur esse paulo difficiliora: Optima uero Censorum existimatione in Prætura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, quòd, ad tabulam quos poneret, non habebat. Quin C. Antonium, quem Gellius, & Lentulus Censores, ut retulimus, senatu moue-

rauit, significet, nemo dubitat: sed reliqua sunt dubia: an optimam Censorum existimationem εἰρωνικῶς *appellet: quæ tabula fuerit.* Nam C. Antonium Ciceronis in Prætura competitorem *fuisse constat: an uero Censores eo tempore de* C. Antonio *male existimarint, & illum de senatu eiecerint: an bona illius æstimarint, ut hoc loco legendum sit, æstimatione, ut in alijs etiam libris legitur, haud equidem possumus affirmare.* Tabula *quidem significari potest auctionis, uel argentarij, ubi, quod ex oratione pro Cecina collegimus, & alibi pluribus uerbis ostendimus, ita fiebat auctio, ut licitator statim, post rem sibi addictam, ab argentario pretium solueret.* C. *igitur* Antonius *sic ab amicis erat inops, ut, quum bona ipsius ita uenderentur, præter Sabidium, &* Pantheram *terræ, quod aiunt, filios, habuerit nullos, quos ad tabulam suarum rerum custodes poneret.* Quia *tamen hic de competitore loquitur, ad tabulam suffragij referendum uidetur: de qua* Cicero *sic in* Philippicis *scribit:* Quòd *si comitia placet in senatu habere, petamus, ambiamus, modo tabula detur nobis, sicut populo data est:* De *qua quidem tabula quamuis* Quintus *frater, ut in libris de legibus est scriptum, à Cicerone dissentiret, hic tamen, ut mos erat, loquitur.* Mos *autem fuit, ut in comitijs rogatores, diribitores, & custodes adhiberentur. Sic* L. Piso *Ciceronem comitijs, prærogatiuæ primum custodem præfecit: ut in oratione post reditum in senatu scribitur. Sed* C. Antonius, *quos in comitijs ad tabulā poneret, non habebat.* Quo *tamen in magistratu, inquit, amicam, quam palàm domi haberet, de machinis emit.* Vel, *ut in alijs libris scribitur:* Quo *tamen in magistratu amicam, quàm palàm domi habebat, de machinis emit. Sed cætera quum intelligi, tum defendi possunt: quid uero sit emere de machinis, adhuc qui sciret, inueni neminē. Sunt, qui putēt, esse penè idē quod emere de lapide.*

Alij malunt ad machinas scenicas, de quibus tam multa Pollux *scribit, referre: ut* Quintus Cicero *significet, eam, quam* C. Antonius *emit, tibicinam, uel minam fuisse.* Nec *desunt, qui per machinas credant significari pergulam, in qua res uendi solebant, ut* Vlpianus *libro quinto, & nono digestorum satis ostendit.* Quin *lenones in pergulis olim meretrices prostituebant.* Vnde, *quum* Ballio *sic apud* Plautum *dixisset:* Cras Pœnicium Pœnicio *corio inuises pergulam:* Callidorus *amans ita consuluit seruum,* Quid mihi autor es huic ut mittam: *ne amicam hic meam prostituat? οἰκήματα certe* Græci *uocant, in quibus* Solon *omnium primus, ut* Athenæus *refert, meretrices prostare uoluit.* Verum *nos ad illa pergamus:* In *petitione autem* Consulatus *caupones omnes hic compilare per turpissimam legationem maluit, quàm adesse, & populo* Romano *supplicare: hoc est, hic autem* Catilina *in hac* Consulatus *petitione maluit diuisores mittere, & ita per turpissimam legationem caupones, & homines huiuscemodi mercenarios compilare, hoc est, ut* Sex. Pompeius *interpretatur, cogere, quàm adesse, & populo* Romano *supplicare.* Quum *uero libri ueteres alij aliter habeant, ita fortasse legere possemus;* In *petitione autem* Consulatus *caupones omnes hic compellare per turpissimam largitionem maluit, quàm adesse, & populo* Romano *supplicare.* Nam Catilina *multos homines infimos largitione corrumpebat.* Quare *quum in dies, ut ait* Asconius, *licentia ambitus augeretur, propter præcipuam* Catilinæ, & Antonij *audaciam, censuit senatus, ut lex ambitus etiam cum pœna ferretur.* Alter *uero, inquit,* Dij *boni, quo splendore est?* C. *autem* Antonius *quo splendore est?* Is *uero, qui* M. Antonij *oratoris esset filius, non poterat non esse magno splendore; sed an esset eadem nobilitate, qua* Catilina, *quæri potest, quum* C. Antonius *plebeius,* L. *uero*

Sergius Catilina patricius esset, ut, præter alios, Asconius ostendit: qui tamen Antonium nobilem uocat, ut Sallustius Catilinam nobili genere natum scribit. Quintus igitur Cicero sic ait: Primum nobilitate eadem, qua Catilina: num maiore? non, sed uirtute. Quibus quidem uerbis uidetur ostendere, C. Antonium maiore uirtute, quàm L. Catilinam fuisse: quum tamen hic eum nec laudare uelit, & uerbis, quæ sequuntur, timidissimum describat: quod ad Catilinam referri non potest: cui Sallustius magnam uim & animi, & corporis, ac ferociam tribuit: quemq; Cicero uel audacissimum describit. Quare uerba illa: sed uirtute: uel εἰρωνικῶς dicta sunt: uel cum interrogatione sunt legenda: sed uirtute? ut quærat quidem, sed postea taceat, quod intelligi facile poterat uel ex uerbis, quæ sequuntur ita: Quamobrem qui inanius umbram suam metuit, hunc negliges quidem, natum in patris egestate, educatum in sororis stupris, corroboratum in cæde ciuiũ, cuius primus ad Remp. aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Quæ tamen uerba quum uarie scribantur, nemo, ut puto, poterit interpretari, nisi nos ea, quemadmodum Cratander propemodum descripsit, ita legamus: Quamobrem C. Antonius umbram suam metuit: hic nec leges quidem, natus in patris egestate, educatus in sororis stupris, corroboratus in cæde ciuium, cuius primus ad Remp. aditus in equitibus Romanis occidendis fuit. Nam C. Antonius omnia metuebat, qui ne cum Græco quidem homine Romæ iudicio certare auderet: Catilina uero ne leges quidem metuebat, qui faceret ea, quæ uel hic referuntur. Hinc patria sic apud Ciceronem cum illo loquitur: Nullum iam tot annos facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te: tibi uni multorum ciuium neces, tibi uexatio, direptioq; sociorum impunita fuit, ac libera; tu non solum ad negligendas leges, & quæstiones, uerum

etiam ad deuincendas, perfringendasq; ualuisti. Nos *quidem nihil neque de Catilinæ patris egestate, neque de sororis stupris legimus: sed de Catilinæ ipsius egestate scriptores ferè omnes loquuntur, & de stupris Sallustius ita scribit:* Iam *primum adolescens* Catilina *multa nefanda stupra fecerat cum uirgine nobili, cum sacerdote* Vestæ*; & alia huiuscemodi contra ius, fasq;.* Vnde Cicero *dixit:* Quæ *cædes per hosce annos sine Catilina facta est? quod nefarium stuprum non per illum. & sanè sororis uirum, quod infra dicitur, fortasse sustulit, ut sorore liberius abuti posset.* In *cæde uero ciuium* Catilina *corroboratus esse dicitur: quod multos ciues trucidauit, ut in toga candida* Cicero *dixit: ubi sic Asconius interpretatur:* Catilinam, *quum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse nominatim etiam postea* Cicero *dicit.* Vt *enim dicitur hoc loco,* Gallis *eum Sylla præfecerat: quibus ut immanibus, nec* Romani *nominis admodum studiosis mandarat, ut* Romanos *ciues, quos oderat, interficerent.* Ob *id fortasse* Cicero *in oratione pro Sex.* Roscio *dixit:* Quis *ibi non est uulneratus ferro* Phrygio? *nam* Galli *quum populi sunt, tum sacerdotes etiam Cybeles, & quidem* Phrygij *dicuntur.* Ii, *quod hic dicitur,* Titiniorum, *ac* Vanniorum, *ac* Tanusiorum, *uel, ut in alijs libris legitur,* Titiniorum, *ac* Nanniorum, *ac* Thamisiorum *capita demebant.* Nos *quidem in oratione pro* Cluentio Cn. Titinium *inter equites, & in epistolis ad* Atticum Caluum *nescioquem ex* Nanneianis *inter iudices numerari uidemus: sed de* Tanusijs, *siue* Thamisijs *nihil scriptum uidimus: nisi forte libet legere:* Tantasiorum: *quũ scribat* Asconius *à* Catilina M. Volumnium, & L. Tantasium *necatos fuisse: quo loco nominat etiam* Q. Cæcilium, *quẽ nos hic* Catilinæ *sororis uirum putamus appellari: quamuis in alijs libris,* Q. Caucilium, *in alijs* Q. Catilium *scribi uideamus.* Quæ *uero de*

M. Marij nece dicuntur, ea nos in Bruto multis uerbis explicauimus. Quare nunc addendum nihil putamus, nisi nobis uideri, poetam, quum Priami finem describeret, huc respexisse. Quintus igitur Cicero uult argumentari, Catilinam, qui tot scelera commiserit, & populum tam grauiter offenderit, facile superari posse. Quòd autem dicit: Virgis per totam urbem ceciderit, libri plures habent: Vitibus per totam urbem ceciderit. Et sanè tum, quum Catilina nondum magistratus esset adeptus, & in bello ciuili uersaretur, uitibus potius, quàm uirgis usus uideri debet. Ad bustum uero Q. Catuli traxit, ut Seneca, & Orosius ostendunt: qui de re tali plura scripserunt, quàm ut huc transferenda uideantur: quum præsertim nos singula uerba nolimus interpretari: quæ quiuis per se poßit interpretari. Nam præter alios Cicero, & Sallustius ita Catilinæ mores descripserunt, ut omnes intelligere poßint etiam, quod sequitur: Catilinam cum histrionibus, & cum gladiatoribus uixisse: ut rectè Porcius Latro Catilinæ mollitiem scenicam, & mentem gladiatoriam uocet. Sed illa uerba uideamus: Qui nullum in locum tam sanctum, ac tam religiosum acceßit, in quo non, & si in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret. His illa, quæ Cicero dixit in toga candida, respondent: Ita uixisti, ut non esset locus tam sanctus, quò non aduentus tuus, etiam quum culpa nulla subesset, crimen afferret. Quæ quidem uerba sic Asconius interpretatur: Fabia uirgo Vestalis causam incesti dixerat, quum ei Catilina obijceretur: eratq; absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis. Ideo sic dixit: etiamsi culpa nulla subesset. Ita & suis pepercit, & nihilo leuius inimico summi opprobrij turpitudinem obiecit: quam rem Plutarchus, & Orosius etiam scribunt. Ex curia Curios, inquit, & Annios: hoc est, senatorij ordinis quum alios, tum Q. Curium, & Q. Annium

amicißimos, ut apud Sallustium legimus, comparauit. Quòd uero addit: ab atrijs Sapalas: nos quidem atria, quæ Cicero in oratione pro P. Quintio, Licinia uocat, significari putamus: sed de Sapalis dubitamus: quum de his nihil adhuc scriptum uiderimus, & ita libri ueteres habeant: ab atrijs exsistra palas. Caruilios autem Romæ fuisse quum ueterum monimenta, tum Plinius ostendit: & Suetonius in Grammaticis M. Pompilium nominat: quos tamen hic Q. Cicero per Pompilios, & Cneios significet, ignoramus: nisi forte Popilios, & Vectios, ut etiam scribitur, legere uelimus: ut aliquem Popilium Lænatem, & L. Vectium, qui postea fuit index, significet. Quæ præterea Q. Cicero de Catilinæ audacia, nequitia, libidine, efficacitate, & stupris refert, exponeremus, nisi Cicero, Sallustius, Porcius Latro, & alij scriptores explicarent. Quin ea, quæ paulo post de Africa, & de testium dictis Q. Cicero ponit, sic illa Ciceronis, & Asconij uerbis explicantur: Catilina ex Prætura Africam prouinciam obtinuit: quam quum grauiter uexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt, multæq; graues sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. In iudicijs quanta uis esset, didicit; quum est absolutus: si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est. Ante annum, quàm hæc dicerentur, Catilina, quum redijsset ex Africa, Torquato, & Cotta Consulibus accusatus est repetundarum à P. Clodio adolescente. Item; Quid ego, ut uiolaueris prouinciam, prædicem? nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es: mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestißimæ ciuitatis existimo: mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam. Vidisse puto nescioquid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. Item, Iudicium quoque secutum, à quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut senatorum urna damnaret, equitum,

& Tribunorum absolueret. Hæc ipsa certe testium dicta, quibus Catilina fuerat in iudicio notatus, ea si Cicero sæpe legeret, Q. Cicero sperabat fore, ut is hominem, qui tam turpis esset, & indignus Consulatu, competitorem minus timeret. Itaque nunc hortatur eum, ut ea sæpius legat. Deinde probat eum non esse timendum: qui sic egens è iudicio discesserit, ut in petitione largitione uti non possit: sic infamis, ut aliud in eum iudicium quotidie flagitetur. Contrà docet, Ciceroni fortunam petitionis esse meliorem, quàm C. Cælio fuit: qui nouus homo & ipse quum esset, cum duobus hominibus nobilissimis, & optimis Consulatum petiuit: quum Cicero cum hominibus quidem nobilibus; sed improbis peteret. De C. Cælio porrò nos in Bruto diximus: sed quinam fuerint illi duo, quibuscum C. Cælius Consulatum petiuit, nec inuenire potuimus, nec intelligere, quare Q. Cicero dicat hoc loco: quum deesset alter: quanquàm liber etiam uetus habet: quum diceret alter: In quo quidem libro illa uerba sic etiam leguntur: Quis enim reperiri tam improbus ciuis potest, qui uelit uno suffragio duas in Rep. sicas distringere? Et sanè sic etiam apud Asconium legitur: Qui posteaquàm illo, ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo neruos incidere ciuium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in Rep. sicas distringere. Per sicas autem L. Catilinam, & C. Antonium significat: qui Consules facti, in Rep. sicæ fuissent. Illa uerba: nemo est, qui te non dignum arbitretur: in ueteri libro sic etiam leguntur: nemo est, quin te dignum arbitretur. Iam multos eo tempore Ciceroni inuidisse, quum supra de petitione loqueremur, ostendimus. Quòd uero Q. Cicero dicit, multos ab honoribus nouis alienatos, interpretari soleo, ab hominibus nouis, quibus honores darentur. Quòd autē Cicero multos agēdis caussis offendisset, etiā Dion ostēdit. Quin in Prætura quum se ad Cn. Pompeij gloriam augendam dedisset, mul

tos, ut ante diximus, offenderat: ut illa uerba: num quos tibi putes ob eam causam esse amicos? sic interpretari debeamus: ut ostendat, aliquos non esse amicos: præsertim quum loquatur de his, quos uerisimile sit aduersaturos esse. Quosdam nobiles igitur offenderat, sed urbanam multitudinem sibi conciliarat, ut infra demonstratur. Illud parui quidem momenti est, sed tamen dicendum, in alijs libris legi: causa iustiore: ubi nunc legitur: causa honestiore: item, quisque amplißimum esse te cupiat: & quisque fidelißimus esse re cupiat: ubi uulgo legitur: quique fidelißimum esse te cupiat. Paulo post autem seruitus pro seruis ponitur, nisi, ut in alijs libris, serui tui, non, seruitus, legatur. Illa uerba: Deinde instituendi sunt cuiusq; generis amici ad speciem hominis illustris honore, ac nomine: qui etiamsi suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendam: sic etiam leguntur: Deinde instituendi sunt cuiusque generis amici ad spem nominis illustris honore, ac nomine: qui etiamsi suffragandi studia non iuuant, tamen afferunt petitioni aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendam. leges etiam pro nauant, siue iuuant, moueant, uel nouerint. Sed ad iustitiam obtinendam, oportet, ut opinor, interpretari, ad id, quod iustum est, obtinendum. Verba uero, quæ statim sequuntur, sic scripta uidimus: Tribunos plebis ad conficiendum centurias homines excellenti gratia: qui abs te Tribunitiam, aut centuriam, aut aliquod beneficium aut haberent, aut non habeant, sperent, eos prorsus magnopere compara, & confirma. Sed & hæc uerba perturbata, & illa parum latine dicta uidentur. Hos tu homines quibuscunque rationibus poteris, ut ex animo, atque ut ex illa summa uoluntate tui studiosi sint, laborato. Neque enim dicere solemus: laboro te, ut mihi sis amicus: nec item, omni studio, atque opere laboro. Quare paulo ante, opera, & hic, hi homines, legendum uidetur: & paulo post: parata esse

confido. De orationibus autem, quibus Cicero M. Fundanium, Q. Gallium, C. Cornelium, & L. Corunum defendit, supra diximus ita, ut nihil hoc loco sit referendum, nisi, C. Cornelium, non autem, Cn. Cornelium, esse scribendum. Sunt etiam libri, in quibus, referendæ gratiæ, non restituendæ gratiæ: ad studium nauandum, non ad studium seruandum: maxime munita est, non maxime initiata est, aut maxime nuntiata est, legamus: quos etiam libentius sequimur. Idem fortasse dici possit de libris, qui, in suis uicinitatibus, pro in suis ciuitatibus, paulo post habent: quod ex oratione pro Cn. Plancio facile probari potest. Quòd autem C. Antonius, ut infra dicitur, per se suo nomine ciues appellare non posset, id uidetur causæ fuisse: quòd abfuisset, uel, quum multos in Achaia spoliauit, & postea iudicium recusauit: Vnde Cicero in toga candida dixit: quem clientem habere potest is, qui in sua ciuitate cum peregrino negauit, se iudicio æquo certare posse: quod etiam supra retulimus. Qui uero diutius abfuissent, ij ciues neque nosse, neque suo nomine sine nomenclatore poterant appellare: quod de Scipione legimus: sed illi proderat illa, quam nunc Q. Cicero commendat, eximia gloria, & dignitas, ac rerum gestarum magnitudo: quæ non erat in C. Antonio, qui sic esset iners, sine officio, sine ingenio, cum infamia, nullis amicis septus, ut Ciceronem hominem plurimorum studio, atque omniũ bona existimatione munitum sine magna culpa negligentiæ ipsius Ciceronis præcurrere non posset. Et ita Q. Cicero fratrem monet, ut diligentiam adhibeat: & curet, ut omnes centurias multis, & uarijs amicitijs confirmatas habeat. Post hoc autem in ueteri libro sic illa uerba legimus. Et primum id, quod ante oculos situm est, senatores, equitesq́; Romanos; cæterorum hominum uarios homines, & generosos complectere: & paulo post illa: summo beneficio te affici ostendito: & illa paulo post: Postea totam Italiam fac ut in animo, et

memoria tributim descriptam, comprehensamq; habeas: & illa: Homines municipales, ac rusticani, si nomine tantum noti sunt, in amicitia se esse arbitrantur. Hosce Cicero norat, ut supra nos ex Plutarcho uertimus. Iccirco Quintus hic ait: Tu et nosti, & cognosces, sine queis amicitia esse non potest: in quibus quidem uerbis fortasse scribi debet: sine quo: ut sit, sine qua cognitione. nam talis amicitia non potest esse, nisi cognoscantur illi, quos habere amicos uelis. Quod si dicas: sine queis hominibus municipalibus, & rusticanis, erit absurdum. posses interpretari, sine queis, notione, & cognitione, ut illa duo uerba, nosti, & cognosces, referantur. Iam, Quintus ait, equitum centuriæ multo facilius mihi diligentia posse teneri uidentur. Equites enim primi uocabãtur, ut Liuius docet. Verum, si quis uerba Q. Ciceronis, ut descripta sunt, uolet interpretari, uidebit, ab equitibus equestrem ordinem separari: nisi legat, ut nos in ueteri libro scriptum uidimus: Primum cognoscendi sunt equites, deinde adipiscendi: multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam ætas adiungitur. Deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quenque, & studiosissimum humanitatis. tum, quod equester ordo tuus est, sequentur illi autoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, ut non ordinis illius autoritatem solum uoluntate, sed etiam singulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. Oportet igitur, ut alijs uerbis interpretemur, primum ut equites cognoscas, deinde concilies: quod facile facies: quum equites maiorem partem sint adolescẽtes, et adolescentulorum ætas facilius ad amicitiam adiungatur. Deinde habebis tecum ex iuuentute optimum quenque, & studiosissimum humanitatis. Sic Cicero postea, quum Milo Consulatum peteret, C. Curionem habere uoluit. Equites autem adolescentiores, & reliqui adolescentes, ut partes totum, sequentur ordinem equestrem, qui tuus est, quia natum te scit ea

questri loco, & tuos competitores, præsertim Catilinam, qui temporibus Syllanis, ut in toga candida dixisti, ipsum ordinem trucidauit, odit. Sequentur, inquam, si curabis, ut non ordinis illius autoritatem solum uoluntate confirmatam, sed etiam singulorum amicitijs eas centurias confirmatas habeas. Quòd impensa nulla, quod infra dicitur, per Ciceronem *alij rem honestam, alij salutem, ac fortunas omnes obtinerent, iam supra demonstratum est. Quòd uero dicit: non est huius temporis perpetua illa de hoc genere disputatio, quibus rebus beneuolus, & simulator dijudicari possit: eam disputationem* Plutarchus *in eo libro, qui inscribitur:* πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου, *postea tractauit: & nos illud, quod postea sequitur:* ἐπιχάρμειον *illud teneto, neruos, atque artus esse sapientiæ non temere credere: in epistolis ad* Atticum *explicauimus, ubi sic scribitur:* Crebro *mihi uafer ille* Siculus *insusurrat* Epicharmus *cantilenam illam suam:* νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Illa uerba, quæ postea sequuntur, in ueteri libro sic etiam scripta legimus: Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe, aut significando tuo erga illos studio, dato operam, ut de illa animi prauitate deducas. & illa: nam comitas tibi non deest ea, quæ bono, ac suaui homine digna est. Quanta porrò fuerit in* Cicerone *comitas, non semel ante demonstratum est. Item, nusquàm discedere, pro nusquàm deesse. Illorum uero uerborum: Non committere, ut quisquam possit dicere, quod eius sit, consequi possis, si abs te non sit rogatum, & ualde ac diligenter rogatum: ea uidetur esse sententia: non committere, ut quisquam possit ita dicere: quod meum est, consequi potuisses, si ualde, ac diligenter rogasses: & tum dicere possit, quum tu non rogaris. Id est enim, si abs te non sit rogatum: quod quasi* κατὰ παρένθεσιν *scribi potuit. Ea uero, quæ de benignitate, quæ sit in re familiari, uel in opera, dicuntur hoc*

loco, latius in libris de officijs explicantur. cætera, quæ sequuntur, tam patent, quàm diuturni, atque nocturni aditus patebant ad Ciceronem, quem supra facilem fuisse demonstrauimus. Vt autem Cicero negaret, ex libro octauo ad Atticum cognosci potest. Quum paulo post in alijs libris: tibi homini planè perito: in alijs: tibi homini Platonico: scriptum uideamus, arbitramur, utrunque posse defendi: quum Cicero fuerit homo peritus, & Platonicus: nec facile sit uiris peritis, & Platonicis, ut mentiantur, persuadere. Qui uolunt Platonem, qui ueritatis, ut qui maxime studiosus, fuit, imitari, ut Cicero semper est imitatus, ij certe non facile poterunt induci; ut mentiantur: quod hic Q. Cicero faciendum petitoribus ostendit: & C. Cottam, de quo nos in Bruto diximus, imitandum proponit. Illa uerba sic etiam leguntur: Ideoq; se negare nemini: quòd sæpe accideret causa: cur is, cui pollicitus esset, non uteretur: sæpe, ut ipse magis esset uacuus, quàm putasset. & illa: sin autem id neges, & certe abalienes & statim, & plures. Plures enim multo sunt, qui rogant, ut uti liceat opera alterius, quàm qui utantur. Illa uero nos ita legimus: præsertim quum multo magis irascantur ijs, qui negent, quàm ei, quem uideant ea causa impeditum, ut facere, quod promisit, cupiat, si ullo modo posit. Post hæc ad suā distributionem redit, & ante, quàm faciat epilogum, de rumore loquitur, de quo Cicero sic in oratione pro Milone scribit: Tempore comitiorum (scio enim, quàm timida sit ambitio, quantáq;, & quàm solicita cupiditas Consulatus) omnia non modo, quæ reprehendi palàm, sed etiam obscure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus: ora omnium, atque oculos intuemur. In epilogo, quem postea Q. Cicero facit, sic ex libro ueteri legimus: bene loqui: æstimare, domus ut multa nocte compleatur: ut æstimare ponatur pro spectare, & quasi curare. Sed illa uerba referamus: Iam urbanam multitudinem,

multitudinem, & eorum studia, qui conciones tenent, quæ adeptus es in Pompeio ornando, in Manilij causa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda nobis sunt. In hisce uerbis nos aliquid desideramus, nisi, urbana illa multitudo, legatur: uel dicamus Q. Ciceronem sic, ut ante diximus, non satis latine locutum fuisse. Nam quòd Cicero Pompeium ornarit, oratio, quæ nunc extat, ostendit: & quòd Cornelium defenderit, nos etiam supra demonstrauimus: sed de causa Manilij recepta dubitari potest: quanquàm multi putant, eadem oratione Ciceronem Pompeij laudes, & Manilij causam esse complexum: ut ob id oratio pro lege Manilia, siue de Cn. Pompeij laudibus inscribatur: sed nihil erat, cur hoc loco Q. Cicero separaret, si uoluisset eandem orationem significare, & ipse in oratione, quam pro C. Cornelio dixit, C. Manilium in iudicium uocatũ, & à se defensum uerbis, quæ nunc apud Asconiũ leguntur, ostẽdit: Petiuit à me Prætore maxima contestatione, ut causam Manilij defenderẽ. Et Asconius paulo post ita interpretatur: Dicit de disturbato iudicio Maniliano. nos hac de re supra diximus. Cætera, quæ deinceps in hoc libello continentur, clara sunt: sed illa uerba sic in alijs libris leguntur: Hæc mihi ueniebant in mẽtem de duabus illis commonitionibus matutinis: & sic illa: atq; hæc ita te uolo illis proponere, ut uideare accusationẽ nõ meditari, sed ut hoc terrore facilius hoc ipsum, quod agis, consequare. & sanè nunc de accusatione loquitur, nec, occasionem meditari dicere solemus. A fratre uero se moneri facile patiebatur Cicero: apud quem neque autoritate quisquam plus, quàm frater ualere poterat, neque uoluntate, ut ait in libris oratorijs, quos ad illum scripsit. Sed iam tempus est, ut aliorum uitas, & scripta, quæ sunt in Ciceronis libros congesta, quemadmodum polliciti sumus, explicemus. EGN. Id breuiter, quemadmodum dicebas, facere non poteris. COR. Breuius etiam

fortasse, quàm dicebam, faciam. Nam quum Ciceronis epistolas, inter quas illa scripta continentur, uel iampridem simus interpretati, uel breui simus interpretaturi, nihil erit ex his, quod non sit explicatum. Vitas autem scriptis explicandis etiam persequemur: quanquàm C. Cæsaris, Cn. Pompeij, M. Bruti, M. Antonij, & M. Catonis uitas ita Plutarchus, & alij scripserunt, ut hoc loco nihil nos addendum putemus: quæ uero pertinent ad Q. Pompeij Bithynici, M. Cælij, M. Marcelli, Q. Metelli Celeris, Q. Metelli Nepotis, & Ser. Sulpicij uitas: ea nos in Bruto collegimus ita, ut nihil amplius colligere uelimus, uel etiam poßimus. EGN. Ne tu breuiter admodum facis, qui nihil omnino des, sed te, & alios dedisse, teque etiam esse daturum dicas. Vnde mihi libet illa uerba Ciceronis usurpare: Hoc est rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu Hortensi, aut quisquam hominum retulit? COR. Satis est, ea me, quæ dedi, Reip. dedisse, & daturum, quicquid dabo: nec eum esse, qui, quæ dederunt alij, ipse dare uelim. EGN. Nec nos ij sumus, qui uelimus accepta tibi, quæ uel alij dederint, uel tu alijs dederis, uel etiam daturus sis, referre. COR. Mihi uero satis erit, si quæ uobis hodie dedi, ea mihi iam nunc accepta referetis. EG. Referemus, quum tu, quæ pollicitus es, & debes, ipse retuleris. COR. Quæ sum pollicitus, retuli, nec amplius quicquam debeo: nisi forte uultis C. Asinij Pollionis, C. Caßij, L. Planci, C. Matij, C. Trebonij, D. Bruti, L. Cornelij Balbi, & Oppij, L. Luceij, M. Curij, M. Lepidi, P. Dolabellæ, P. Lentuli F. Q. Caßij, Ser. Galbæ, & P. Vatinij uitas, & epistolas, ut alibi fecimus, uel faciemus, explicari. EGN. Id te facturum esse recepisti. COR. Recepi quidem, sed nunc uideo summam, quàm fecimus, esse maiorem, quàm ut acceßio tanta fieri poßit: nec magni referre

utrum hic, an alibi, quæ debemus, Reip. soluantur: dum ciues tabulas, in quibus soluta dicantur esse, cognoscant. EGN. *Qui uolent igitur illa uidere, è tabulis, quas dicis, ea petent: nos autem, quando tu iam totam Quæsturæ rationem retulisti, & nos, qui pecuniam omnem in tabulas publicas referendam curauimus uidemus rationum summam quadrare, teque bene, & è Rep. fecisse iudicamus, te in fano pecuniam iussu nostro deposuisse, si placet, quo tibi melius caueatur, ascribemus.* COR. *Placet.*

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII, ET IOANNIS PIERII VALERIANI COSS. IVSSV. SEB. CORRADVS QVAESTOR IN FANO HANC PECVNIAM DEPOSVIT.

Seb. Corradi Quæstura literis hisce consignata XIIII. Cal. Quint. MDLV.

BONONIAE.

M E N D A.

7. obseruabam. 13. retulerint. 9. nomine, et re. 12. utilitati pub. 16. tu signa. 21. digestorũ apud. 25. at Cicerõis nostri 35. interfectis. 50. ὑπερβολῆ. 56. Consules decet. 63. exigi iussus est. 71. ipse certe. 75. pronunciauit. 76. commendantes. 81. optimates. 94. satis ipse tibi. 111. honeste nomini. 123. indicabimus. 127. existimetur. 177. si cessissem 188. tuo iudicio. 196. ostenditq;. 202. redirem. 219. distecit. 258. discessisse. 263. deceptum. 230. curiosis possim. 319. in epistolis ad.